



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



a39015 00033265 3b



Gottfried Hermann

GODOFREDI HERMANNI

O P V S C V L A.

VOLVMEN SECVNDVM.

LIPSIAE, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM.

1 8 2 7.

Г. П. С. К. К.
9/29/22
10/10/22
v. 2

INDEX OPVSCVLORVM. ¹

	pag.
1. De argumentis pro antiquitate Orphei Argonauticorum maxime a Koenigsmanno allatis dissertatio . . .	1
2. De legibus quibusdam subtilioribus sermonis Homeric dissertatio prima	18
3. De legibus quibusdam subtilioribus sermonis Homeric dissertatio secunda	40
4. De Aeschyli Glaucis dissertatio	59
5. De versibus spuris apud Aeschylum dissertatio . . .	76
6. De Aeschyli Persis dissertatio	87
7. De metrorum quorundam mensura rhythmica dis- sertatio	105
8. De choro Eumenidum Aeschyli dissertatio prima	124
9. De choro Eumenidum Aeschyli dissertatio secunda	139
10. De mythologia Graecorum antiquissima . . .	167
11. De historiae Graecae primordiis dissertatio . . .	195

	pag.
12. Censura novae editionis Thesauri Stephaniani . . .	217
13. Ἐσμὸς μείλσης	252
14. Epistola ad Fr. Lindemannum	258
15. De R. Bentleio eiusque editione Terentii dissertatio	263
16. De Musis fluvialibus Epicharmi et Eumeli . . .	288
17. De compositione tetralogiarum tragicarum . . .	306
18. De Aeschyli Danaïdibus	319

DE ARGUMENTIS PRO ANTIQVITATE
ORPHEI ARGONAVTICORVM MAXIME
A KOENIGSMANNO ALLATIS
DISSERTATIO *).

Quum ante hos quinque annos carmina, quae Orpheo³ adscribantur ederem, in eo potissimum elaborabam, ut Argonautica multo, quam quibusdam visum erat, recentiora esse ostenderem. In quam rem iis utebar argumentis, quae quod ex mutationibus deprompta essent, quas epica Graecorum poesis paulatim sabiisset, omnium videbantur certissima esse. Praevideri tamen poterat, fore nonnullos, quibus hoc genus demonstrationis non satisfaceret. Nam et in multas partes diffusum est, et sensu quodam indiget e diligenti earum rerum observatione nato, ad quas plerique ne attendere quidem solent. Fuit autem eorum, qui dissentirent, primus lo. Henr. Vossius: quem tamen ego nihil moror. Neque id periti quidem mirabuntur. Mox a. clocccvi. Huschkius, vir ingenio pariter ac doctrina excellentissimus, Rostochii edidit dissertationem de Orphei Argonauticis, in qua etsi ille hoc tantum egit, ut carminis istius scriptorem contra Schnelderi criminationes defenderet, ipse quid de eius aetate sentiret, studiose celans, tamen non est obscurum, non-

*) Edita est a. 1811.
HERM. OP. II.

nihil distare eius sententiam ab ea, quae a me est defensa. Quidquid vero eum moverit, ut aliter statuendum putaret, illud certe non temere videor colligere, aliquid apud eum Draconis Stratonicensis auctoritatem valuisse, cui Ruhnkenius quoque tantum tribuebat, ut hoc teste antiquitatem istius poetae satis evinci arbitraretur. Ac mihi quidem, quum dissertationem de aetate Orphei Argonauticorum scriberem, non viso Draconis libello, non licebat ulterius progredi, quam ut istud testimonium, quod mirifice refragatur iis rationibus, quas ipsum carmen supeditabat, suspectum reddere conarer. Postea contigit mihi apographum nancisci istius libelli, quod ne quis forte, ut fit, non integrum aut parum fideliter descriptum putet, sponsorem habeo omnium maxime idoneum, Bastium, virum celeberrimum, qui rogatu meo codicem 4 Parisiensem ea, qua solet, diligentia, contulit. Nihil enim omittendum putabam, quo mihi plane constaret, quid sentiendum de isto Draconis libro esset. Ac tantum abfuit, ut me poeniteret, fidem eius, certe quod ad Orpheum attinet, in dubitationem vocasse, ut, quo magis librum considerarem, tanto magis suspicionem meam confirmari intelligerem. Quin nuper Haasius, vir doctissimus, vel in parte illa commentationis, quam de hoc Draconis libro in Notitiis et Excerptis MSS. bibliothecae Imperialis T. VIII. part. II. p. 33—77. edidit, nonnulla commemoravit, quae faciant, ut assensionem peritorum iudicum haud difficulter mihi videar impetraturus esse. Sic autem sentio, librum istum de metris poetarum, non talem, qualem Draco eum ediderat, sed ab aliis interpolatum ad nos pervenisse, ac fortasse ne integrum quidem. Quam usitatum enim fuerit, scripta grammaticorum in compendium redigi, inserique rursus excerpta ex aliorum libris grammaticorum, neminem fugit. Quin quae ad nostram aetatem pervenerunt, grammaticorum scripta pleraque ex huiusmodi compendiis excerptisque enata sunt. Draconis quidem liber utrum integer sit, an, quod nondum viso suspicabar, epitome, nunc non quaeram. Illud certe non poterit afferri, quod, quam scholiastes He-

phaestionis in ed. Flor. allatus a Dorvillio in Vanno crit. p. 418. post verba p. 3. ed. Turn. et Pauw. *διὰ τοῦ ὅτερος καὶ ὅτατος*, addat, *διαλαμβάνει περὶ τούτων ὁ Δράκων ἐν τῷ περὶ μέτρων πλατύτερον μετὰ πολλῆς τῆς ἀκριβείας, καὶ ὁ βουλόμενος ἐκείθεν σαφῶς εἴσεται*, nihil de formis ὅτερος et ὅτατος in Draconis libro reperitur. Nam scholiastae istius adnotatio non ad has formas, sed ad nomina vocalem ancipitem habentia, quae ante ab eo enumerata erant, spectat, de quibus sane uberius disserit Draco. Potius ex isto scholiastae testimonio colligi posset, aut illi epitomen Draconis ante oculos fuisse, aut, qui in cod. Parisiensi est Draconis liber, multis additamentis esse auctum. Scribit enim scholiastes: *τὰ δὲ σεσημειωμένα ἐν τοῖς βραχέσι μακρὰ τῶν φωνηέντων, ἃ καὶ χωρὶς δύο συμφώνων καὶ διπλῶν ἐκτείνονται, ταῦτά εἰσι κατὰ στοιχεῖον*. Atqui, quae deinde vocabula ponit, eorum aliquanto maiorem numerum apud Draconem invenimus. In fine tamēn Draconis liber non videtur integer esse, ipsis extremis verbis arguentibus: *νῦν δὲ σαφέστερον καὶ διὰ διαγραμμάτων ἐκδήσομαι, ἢ ἔχης ῥᾶον ἐξέπιστασθαι*. Sed utcumque haec se habeant, satis erit, si interpolatum esse ostendero. Ac non urgebo, quod nonnulla praeter necessitatem ipsis verbis repetuntur: satis enim manifestum est, librum istum fere totum ex aliorum scriptis grammaticorum, maximeque Herodianī, decerptum esse. Illud vero gravius est, quod non pauca ille continet, quae aut ita referuntur, quemadmodum ab antiquo quidem et docto grammatico referri vix poterant, aut tam falsa sunt, ut non videantur grammatico imputari posse, qui quum, Eudocia p. 134. et Suida testibus, praeter alia de Pindari et Sapphus metris, deque Alcaei carminibus scripserit, satis debuerit poetarum lectione exercitatus esse. Prioris generis hoc exemplum apponam: *λιμός ἢ παραλήγουσα ἐκτείνονται· πανταχοῦ γὰρ ἐκτείνόμενον εὔρον*. Horum ultima, quae quasi dubitantis verba sunt, quis credat a docto esse peritōque grammatico scripta, quem fugere non potuisset, id esse certissimum? Alterius generis haec duo exempla promam. *Δία,*

ἡ νῆσος, ἥς τὸ ια ἐκτεινόμενον εὐρίσκεται· εὐρίσκεται δὲ συνεσταλμένον παρὰ ποιηταῖς, ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ λόγῳ συνιζήσεως·

ἐν Δία λασθῆμεν καλλιπλοκάμου Ἀριάδνης.

Et: κύτισσος: τὸ υ ἐκτεταμένον φαίνεται παρ' αὐτῷ,
αἶξ τὸν κύτισσον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

Nam quis sibi persuadeat, veterem doctumque grammaticum tam corruptis Theocriti codicibus usum esse, quum nunc isti versus, II. 46. X. 30. in omnibus libris emendati exsint? Haec igitur non dubium videtur quin additamenta sint recentiorum grammaticorum: qui quae sibi in suis codicibus occurrebant, ad marginem Draconei libri adnotabant, quo vel corrigerent, quae hic dixisset, vel etiam confirmarent. Hoc si in his locis factum est, quid impedit, quo minus etiam in illis factum statuamus, in quibus Orphei mentio fit? Atque operae pretium est, hos ipsos locos considerare diligentius. Igitur Draco quum in vocabulo *Θέμις* regulas exposuisset, secundum quas genitivorum in *ιδος* desinentium alii producerentur, alii corripentur, ita pergit: οἱ ποιηταὶ δὲ ἡ προστιθέντες διὰ τὸ μέτρον συστέλλουσι τὸ ι, ποταμηίδος, πηγασηίδος λέγοντες ὅθεν καὶ Ὀρφεὺς ἐν Ἀργοναυτικοῖς,

λαιψηροῖσι πόδεσσιν ὑπὲρ παρασηίδος ἀκτᾶς,

ἀντὶ τοῦ παρασίδος. Easdem regulas iisdem plane verbis, si a levissimis quibusdam mutationibus discesseris, tamquam τῶν λογιωτέρων sententiam exhibet in tertio grammaticae libro Constantinus Lascaris, homo diligentissimus, cuius grammatica, de qua etiam praestantissimum Heerenium iniquius iudicare miror, ob id ipsum plurimi facienda est, quod bona eius pars ex Herodiani aliorumque scriptis grammaticorum collecta est: permultaque in ea reperiuntur, quae totidem verbis a Dracone adnotata sunt, cuius quidem librum an cognitum habuerit Lascaris, incertum est, quum, ubi grammaticos enumerat, e quorum scriptis hauserit, in hoc genere, quod metra et mensuram syllabarum complectitur, praeter He-

phaestionem nihil nisi τὰ παρὶ μέτρων διάφορα nominet. Hic igitur Lascaris in sola Orphei commemoratione longius a Draconis verbis recedit. Sic enim scribit: οἱ ποιηταὶ δὲ (adde τὸ η) τούτοις προστιθέντες, διὰ τὸ μέτρον συστέλλουσι τὸ ι, ποταμηΐδος, Παγασηΐδος λέγοντες ὄθεν καὶ τὸ ἐν Ἀργοναυτικοῖς ἐκείνο Ὀρφικὸν ἔπος,

λαιψηροῖσι πόδεσιν ὑπὲρ Παγασηΐδας ἀκτάς,
ἀντὶ τοῦ Παγασίδας. Quorsum haec valeant, intelligetur postea. Nunc alteram Orphei mentionem, quae apud Draconem est, afferam. Nam in v. Φόρκυκος sic scribit: Φόρκυκος τὸ κυ ἐκτείνει· αἱ γὰρ γενικαὶ αἱ διὰ τοῦ νος ὑπὲρ δύο συλλαβὰς ὑπάρχουσαι, εἰ παραλήγοιτο τῷ ν, ἐκτεταμένῳ παραλήγονται, οἷον Φόρκυκος, πόλκυνος· τὴν δὲ ὀνομαστικὴν συστέλλεσθαι βούλεται Ἡρωδιανός, καὶ οὕτως εὐρήσεις παρὰ ποιηταῖς Ὀρφεύς,

Πρωτέα καὶ Φόρκυνα καὶ εὐρυβίην Τρίτωνα,
καὶ παρ' Ὀμήρῳ ἐν τῷ τῆς Ὀδυσσεΐας α,
Φόρκυκος θυγάτηρ, ἀλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος,
καὶ αὐθις ἐν τῷ γ' τῆς αὐτῆς,

Φόρκυκος δὲ τίς ἐστι λιμὴν ἀλίοιο γέροντος,
τὸ δὲ Φόρκυς Φόρκυκος τὸ δίχρονον βραχὺ· τὰ γὰρ εἰς 7
υς λήγοντα βραχὺ τὸ δίχρονον ἔχουσι, ὄθεν καὶ Ἡσιό-
δος ἐν Θεογονίᾳ συνέστειλεν·

Φόρκυϊ δ' αὐ Κητὼ Γραΐας τέκε κάλλιπαρήους·

Cum his ante quam Lascaris verba comparabo, alium afferam Draconis locum in v. Γόρτυν· Γόρτυν, inquit, τὸ ν μακρόν· τὰ γὰρ εἰς νν σπάνια ὄντα θηλυκὰ μακρόν τὸ ν ἔχει, ὡς καὶ τὰ ἀρσενικά, οἷον Γόρτυν, Γόρτυνος· ὃ δὲ Ἡρωδιανός ἐν μὲν τῇ ὀνομαστικῇ, μόνον εἶναι βραχὺ φησιν, ἐν δὲ ταῖς πλαγαῖσι μακρόν· δοκεῖ δὲ οὕτω παρὰ ποιηταῖς εὐρίσκεσθαι. Ὁμηρος Ὀδυσσεΐας γ'.

ἑσχατιῇ Γόρτυνος ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ.
καὶ αὐθις, Διονύσιος.

πάρ δ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρώτιδα Φαιστόν.

Postrema haec Lascaris ita habet: τὰ εἰς υν θηλυκὰ σπάνια ὄντα, προσθέσει τοῦ ος ποιούσι τὴν γενικήν, ὁμοίως τοῖς ἀρσενικοῖς μακρὸν τὸ υ ἐν ταῖς πλαγίαις φυλάττοντα, οἷον ἡ Γόρτυν, τῆς Γόρτυνος. Reliqua apud eundem sic scripta sunt: τὸ δὲ υς, οἱ μὲν, μακρὸν, οἱ δὲ, βραχὺ αἰεὶ ἐνόμισαν· ὁ δὲ σοφὸς Ἡρωδιανὸς, ἐν μὲν τῇ ὀνομαστικῇ, μόνον εἶναι βραχὺ φησιν, ἐν δὲ ταῖς πλαγίαις, μακρὸν, ὅπερ ἡ χρῆσις τῶν ποιητῶν ἐκβεβαιοῖ· ὁ γὰρ παλαιὸς ἐκεῖνος Ὀρφεὺς ἐν Ἀργοναυτικοῖς οὕτω φησί,

Πρωτέα καὶ Φόρκυνα καὶ εὐρυβίην Τρίτωνα,
οὕτως ὁμοίως καὶ ὁ ποιητὴς ἐν τῷ α' τῆς Ὀδυσσεΐας,
Φόρκυος θυγάτηρ, ἀλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος,
καὶ πάλιν ἐν τῷ ν' τῆς αὐτῆς,

Φόρκυος δὲ τίς ἐστὶ λιμὴν ἀλίοιο γέροντος,
καὶ ἐν τῷ γ' τῆς αὐτῆς,

ἔσχατιῇ Γόρτυνος ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ.

καὶ Διονύσιος ὁ περιηγητῆς,

πάρ θ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρώτιδα Φαιστόν.

Στοῦ δὲ Φόρκυς, Φόρκυος, τὸ κυ, βραχὺ· τὰ γὰρ εἰς υς, βραχὺ τὸ δίχρονον ἔχουσιν· ὅθεν καὶ Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ,

Φόρκυϊ δ' αὐ Κητῶ Γραίας τέκε κάλλιπαρῆους.

Apertum est Lascarin multo accuratius, quam Draconem Herodiani sententiam retulisse. Neque enim dubitandum videtur, quin Herodianus, quum υ in nominativo breve esse doceret, de masculinis in υς, non de femininis in υν terminatis loquutus fuerit. Sed hoc obiter. Nunc quae-ram, cuinam istae Orphei citationes debeantur. Vtrumne Herodiano? Mirarer sane, si hic ad Orpheum confugisset, ubi Homerum aliosve bonos auctores commemorare satis erat. An Draconi? Hoc quoque mirarer, et professus sum iam in dissertatione de aetate Argonauticorum.

Ergo Lascari? Hoc vero non miror. Nam unus omnium grammaticorum Lascaris saepe Orphei auctoritate utitur, ut par erat admiratorem carminis ab se primo e situ et tenebris in lucem protracti. Memorabilis est locus, in quo de ea re scribit: ἡ δὲ ποιήσις τοῦ Ὀμηρικωτάτου Κοῖντου ἤδη πολὺν χρόνον πᾶσιν ἄγνωστος ἦν καὶ οἶον ἠφανισμένη· ὁ δὲ θεοσεβέστατος Βησσαρίων ὁ Νικαίας, κάρδιναίς Θεουσκυλάνου, ὁ πάντ' ἀγαθὸς καὶ ὄντως σοφός, καὶ, ἰν' Ὀμηρικῶς εἶπω, ἰσόθεος φῶς, ἄλλα τε πλείστα ἐφ' ἡμῶν, καὶ ταύτην ἐξ Ἀπουλίας ἀνασώσας, τοῖς βουλομένοις μετέδωκεν, ἦν καὶ αὐτὸς πάλαι μὲν ἐπόθουν, νῦν δὲ ἀγαθῇ τύχῃ κησάμενος, δημοσίως ἀναγνώσομαι μετὰ τὰ Ἀργοναυτικά τοῦ σοφοῦ Ὀρφέως, ἃ δὴ πάλαι κατημεληθέντα, μόλις ποτὲ αὐτὸς ἐν Μεδιολάνῳ εὐρῶν σεσηπότα, ἐγράψας τε, καὶ τοῖς ἄλλοις μεταδοῦς, δημοσίως ἀναγινώσκω, πολλῶν καὶ λογίων νέων φοιτῶντων· καὶ νῦν ἐς τὰ ἔσχατα τῶν δυστυχῶν Ἑλλήνων ἀνεβίω ὁ ἠγνοημένος ἐκεῖνος Ὀρφεύς. Poterat hic locus I. M. Gesnerum, si is eum cognitum habuisset, revocare ab his, quae parum considerate ab eo scripta Hambergerus in praefatione ad Orpheum retulit. Sed idem locus fugit etiam Fabricium, Harlesium, et nuper Tychsenium. Iam vix opus est, ut explicatius dicam, quo mea inclinet sententia. Nam si Draconis locos, in quibus Orpheum affert, ignoraremus, quis esset, quin Lascarin istos versus primum commemorasse crederet? Nunc quum etiam in Draconis libro eos legi novimus, utrumne, quem nullus veterum grammaticorum citaverit, hunc a Dracone auctorem adhibitum esse, et quidem in rebus, quae aliis⁹ et locupletioribus testibus constabant, censebimus, an hoc quoque fieri potuisse fatebimur, ut illo tempore, quo recens erat reperto omnium scilicet antiquissimo scriptore gaudium, insererentur Draconis libro tanti scilicet ponderis testimonia? Vnum addo, codicem Draconis eo tempore scriptum esse, ut scribi ab aliquo Lascaris auditore potuerit, postquam Orphei codicem repererat Lascaris, quem Mediolani sedem habuisse ab anno c10cccccliv ad annum c10ccccclx homines docti ostenderunt.

Haec quidem propter Huscikium. Nuper vero alius exortus est Orphei defensor, Bern. Ludov. Koenigsmannus, Athenaei Flenopolitani rector, qui superiore anno Slesvici edidit dissertationem de aetate carminis epici, quod sub Orphei nomine circumfertur. Hic quidem hoc carmen post Nicatorem Seleucum et Antiochum Soterem, sed ante Apollonium atque Eratosthenem, ideoque Ptolemaei Philadelphi temporibus scriptum esse, primo geographicis rationibus, deinde ex eo, quod Apollonius Orpheum imitatus sit, denique ex oratione Orphei demonstrare conatus est. Quod ille quo successu fecerit, paucis declarare animus est. Et regionum quidem notitiam, quarum mentionem facit Orpheus, tanto magis miror a Koenigsmanno ad hanc disputationem adhibitam esse, quod hoc totum argumentorum genus, si quis eo antiquitatem scriptoris probare vellet, a me prorsus reiectum erat. Sic enim comparata est haec omnis ratio, ut quam recens sit aliquis scriptor, probare possit, non item, quam sit antiquus: quod nondum reperta scire nemo potest; reperta autem vel ignorare, vel notitiam eorum dissimulare potest quivis, praesertim poeta, isque et antiquissimi scriptoris personam mentitus, et ea tantum referens, quae prius ab aliis tradita erant. Quodsi ea omnia, quae Koenigsmannus magno cum doctrinae apparatu de locorum situ, quorum fit mentio in Orphei Argonauticis, disseruit, ut frustra disputata, prorsus praeteriero, non est mihi verendum, opinor, ne detrectare magis harum rerum pervestigationem, quam refutare eum velle videar. Ac sane quum duas partes habeat eius disputatio, unam, 10 qua usque ad p. 26. docet, Orpheum post Pytheam Massiliensem vixisse, alteram, qua efficere studet, ut eum Eratosthene iuniorem esse credamus, de prior parte facile intelligitur, nihil esse, quod cum eo disceptem: quamquam non laudo, quod quum Andr. Schottus in Orphei v. 1164. Gesn. corruptam lectionem *νήσοιν ἐπι-
νύοιν* optime in *νήσοισιν Ἰερνίοιν* mutasset, ipse insigni audacia *νήσοισι Βρεταννίοιν* scribendum putat: de altera vero parte, quae versatur in eo, ut ex silentio Or-

phai eum ante Eratosthenem vixisse concludatur, non magis habeo quod afferam, nisi quod iam dixi, nullam vim esse in hoc argumento. Illud tamen non est praetereundum, quod parum circumspecte dictum est a Koenigsmanno, Orpheum, si post Eratosthenem vixisset, quos Latinos vocat, huius exemplo Romanos appellaturum fuisse. Nam hoc quidem latere istum Argonauticorum scriptorem non potuit, si pro antiquo illo Orpheo haberi vellet, non esse populum nominandum, quem diu post Orpheum originem cepisse neminem fugeret.

Sed mittamus haec, et videamus, quomodo Koenigsmannus Orpheum ante Apollonium fuisse demonstret. Ac primo hoc ille agit, ut multa apud utrumque scriptorem aut iisdem aut valde similibus verbis expressa esse ostendat. Hoc quidem per se nullam vim habet: nam si uterque *πόντιοι διὰ στόμα καὶ διὰ πέτρας κυνάει* et similia posuit, (ita enim, quo magis consentiant, scribit Koenigsmannus etiam apud Orpheum, apud quem *πορθμοῖο* legitur) uter utrum imitatus sit, aliis rationibus efficiendum est. Hoc verò sic facit Koenigsmannus, ut Orpheum interdum reprehendi et corrigi ab Apollonio demonstret. Quod ut ita sit, non tamen continuo everit, Orpheum Apollonio antiquiorem esse. Potuit enim Apollonius etiam illos reprehendere, quos auctores multo post Orpheus sequutus est. Sed operae pretium est, accuratius hos locos considerare, quibus Koenigsmannus opinionem suam firmari putat. Quorum statim primus magnopere vereor ne contrarium arguat. Orpheus v. 490. Gesn. scribit:

*γλανκώπιδι Τριτογενεῖη
δῆξαν ἀείραντες βριθὺν λίθον.*

Apollonius vero de eadem re I. 955.

καῖσε καὶ εὐναιῆς ὀλίγον λίθον ἐκλύσαντες 11
Τίφνος ἐννεσίησιν ὑπὸ κρήνη ἐλίποντο,
κρήνη ὑπ' Ἀρτακίη· ἕτερον δ' ἔλον, ὅστις ἀρήρει,
βριθὺν· ἀτὰρ κεινόν γε θεοπροπίας Ἐκάτοιο

*Νηλεΐδαι μετόπισθεν Ἰάονες ἰδρύσαντο
ἱερόν, ἧ θέμις ἦεν, Ἰησονίης ἐν Ἀθήνης.*

Iam Orpheus, qui non dicit, unde iste sumptus fuerit lapis, si parvum dixisset, profecto ineptissimus fuisset. Nam quae diis consecrantur, aliqua certe re memorabilia sint necesse est. Atqui lapis magnitudine exiguus, pondere levis, monumentum fuisset tanto magis ridiculum, quod a viris robore et virtute excellentissimis consecrabatur. Hoc intelligere debebat etiam Apollonius, qui si Orpheum reprehendisset, quod is grave saxum memorasset, multo magis ipse ob istam reprehensionem fuisset reprehendus. Tantum vero abest, ut id voluerit, ut magis confirmet Orphei narrationem. Nam quum eum lapidem ὀλίγον λίθον vocat, non voluit exiguum intelligi, sed non satis gravem, ut anchorae instar esse posset. Itaque hoc dicit, lapidem, magnum quidem et gravem, ut qui pro anchora eo usque fuisset, sed non satis tamen idoneum ad navem Argo retinendam, solutum ab rudente et ad Artacium fontem ab Argonautis relictum esse, graviore lapide ad anchorae officium adhibito. Itaque si hic alter alterum reprehendit, non Apollonius Orpheum, sed Orpheus vituperavit Apollonium. Nam Apollonius, id quod modo vidimus, non negat, gravem fuisse lapidem istum, quippe quem pro anchora usurpasse Argonautas scribat. Orpheus vero si quaeras cur aliter istam rem, quam Apollonius narraverit, quid aliud respondeamus, quam displicuisse ei ineptum hoc commentum, quo Argonautae, tam longum et periculosum iter molientes, non recte anchorae prospexisse dicerentur?

Secundus Orphei locus, quo Koenigsmannus sententiam suam tueri studet, hic est v. 859.

*Φρίξου παῖς, ὃν οἱ ἔτικτεν
Χαλκιόπη· τῷ γὰρ παρελέξατο πατρὸς ἐν οἴκῳ,
ἦνίχ' ὑπέρ νώτων κροῦ Κόλχοισι πελάσθη·*

12 et mox v. 869.

τετραγύῳ θέμενος σπόρον αὐλακι, τόν ρ' ἐκόμισεν

*Φοῖβος εὐμμελής, ὅτ' ἔβη δόμον Αἰήταο,
ἔδνον, Ἐνναλίοιο δρακοντείων ἀπ' ὀδόντων.*

Dotem pro filia datam esse Aeetae, studiose negare dicit Apollonium II. 1149.

*καί μιν ἔδεκτο
Αἰήτης μεγάρῳ, κούρην τέ οἱ ἐγγυάλιξεν
Χαλκιόπην, ἀνάεδνον, εὐφροσύνησι νόοιο.*

Hic primum quaero, si alter ait datam esse dotem, alter negat, an propterea alter alterum reprehendere debuerit: quaero etiam, uter utrum reprehenderit: nam verbis eorum nihil aliud effici video, quam aut diversis eos auctoribus fidem habuisse, aut utrumque rem, ut sibi placebat, narrasse. Sed debebat Koenigsmannus alium addere Apollonii Rhodii locum, III. 176. ubi is Aeeten dentes Draconis non a Phrixo, ut Orpheo placuit, sed a Minerva accepisse scribit:

*πόρε δέ σφιν ἰοῦσιν
κρείων Αἰήτης χαλεπούς ἐς ἄεθλον ὀδόντας
Ἄονιοιο δρακοντος, ὃν Ἄγγιγῃ ἐνὶ Θήβῃ
Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανεν,
πέφηνεν, Ἀρητιάδι κρήνη ἐπίουρον ἔοντα.
ἐνθα καὶ εὐνάσθη, πομπῇ βοός, ἣν οἱ Απόλλων
ᾤπασε μαντοσύνησι προηγῆταιραν ὀδοιο.
τοὺς δέ θεὰ Τριτωνὶς ὑπέκ γενύων ἐλάσασα,
Αἰήτη πόρε δῶρον ὁμῶς, αὐτῷ τε φονῆϊ.*

Nunc vero rectius quaerere licebit, uter utrum reprehenderit. Non sane Apollonius Orpheum, qui quum dentes draconis a Phrixo Thebis asportatos, Aeetaeque dotis loco datos esse narrasset, nihil retulerat, quod non esset verisimile. Ab Apollonio autem Orpheus ut discederet, in ipsa Apollonii narratione causam inveniebat satis idoneam. Neque enim hoc probabilem veri speciem habet, quod Apollonius, ut ostenderet, quomodo Aeetes dentibus illius draconis potitus esset, partem eorum a Minerva ei 13 datam scribit, quae cur non omnes Cadmo, qui draconem occiderat, dedisse dicatur, nulla ratio apparet, ut

non sit mirum, si quis hoc inepte ab Apollonio fictum contendat.

Non rectius de tertio Orphei loco sentire videtur Koenigsmannus. *Orpheus*, inquit, *Iphiclum, avunculum Meleagri, huius magistrum perhibuerat v. 160. seqq.* Quid hic, ait, *Apollonius? Nempe rectorem Meleagro additum fuisse observat Laocoontem; Iphiclum vero itineris comitem ei exstitisse.* Nihil amplius. Siccine ergo se effecturum putabat, ut Orpheum ab Apollonio correctum esse cuiquam persuaderet? Pene crediderim consulto eum verba utriusque poetae non adscripsisse. Nam Apollonius I. 193. quum scriberet,

τὸν μὲν ἄρ' Οἰνῆς
ἤδη γηραλέον κοσμήτορα παιδὸς Ἰαλλεν,

videri debbat aliquid detrahere Meleagro, si ei rectorem et quasi paedagogum adderet. Hoc igitur Orpheum movere potuit, ut is Iphiclum diceret Meleagri magistrum fuisse, et iis quidem verbis, quae omnem reprehensionem aspersionarentur:

περὶ δ' αὖ τίεν ἔξοχα πάντων
εὐειδῆ Μελέαγρον, ἰδ' ἀγλαὰ ἔργ' ἐδίδασκεν.

Iam fac Apollonium ab Orpheo discedendum putasse. Ita profecto is corrector habendus esset, qui bona in deterius mutaret.

Ultimus locus, quem Koenigsmannus affert, insigni potest documento esse, quam caute in hoc genere procedendum sit. *Orpheus*, inquit, *v. 202. seq. Nauplium Agonautam ediderat Neptuni et Amymones filium. In quo unum ex maioribus eius cum ipso confundit. Apollonius igitur, ut utrumque diversum esse ostendat, totum minoris Nauplii genus ad antiquiorem usque opere enumerat, I. 134—138.* Miror equidem, quid sit, quod non ipsa utriusque poetae verba apposuerit, quae

gravius etiam pondus opiniononi eius additura fuissent. Sic igitur Orpheus:

Ναύπλιος αὐθ' ἴκανε, Ἀμυμώνης φίλος υἱός,
ὄν τέκεν εὐνηθεῖσα περικλυτῷ Ἐννοσιγαίῳ,
ἀγλαὸν ἠγορήην, δέμας εἶκελον ἀθανάτοισιν.

Apollonius vero:

14

τῷ δ' ἐπι δὴ θείοιο κίεν Δαναοῖο γενέθλη,
Ναύπλιος ὅς γὰρ ἔην Κλυτονήου Ναυβολίδαο·
Ναύβολος αὐ Λέρονου· Λέρονον γε μὲν ἴδμεν ἔοντα
Προῖτον Ναυπλιάδαο· Ποσειδάωνι δὲ κούρη
πρὶν ποτ' Ἀμυμώνη Δαναῖς τέκεν εὐνηθεῖσα
Ναύπλιον, ὅς περὶ πάντας ἐκαίνυτο ναυτιλίῃσιν.

Manifestum sane est, reprehendi hic ab Apollonio quæ-
piam, qui Naupliam Argonautam Neptani et Amymonæ
filium perhibuisset. At hoc non eo valet, ut hic, quem
notare voluerit Apollonius, Orpheus esse censendus sit.
Nam etiam alii ante Apollonium de expeditione Argonau-
tarum scripserant, de quibus disseruit Groddeckius in bibli.
vet. litt. et art. part. II. p. 70. seqq. Vide etiam Fabric.
bibl. Gr. ed. Harles. vol. II. p. 264. s. At, inquit, si
Orpheus post Apollonium fuisset, non potuisset errorem
committere, tam luculenter ab Apollonio et notatum et
correctum. Itane vero? Quid igitur de Hygino statua-
mus, qui ipse hunc Nauplium, Argonautam, e Neptuno
et Amymona natum refert p. 45. non memorato dissensu
Apollonii. Atqui hic ante oculos se habuisse Apollo-
nium, paullo ante, p. 43. profitetur, ubi scribit: *Tela-
mon Salaminam, quam Apollonius Rhodius Athida
vocat.* Et Orpheo, ut poetæ, licet narrare, quod
ipse probabilius putaret: Hyginum, enarratorem rerum
mythologicarum, veritatem sectari, quantum fieri poterat,
dissensumque scriptorum adnotare oportebat. Hoc si re-
putasset Koenigsmannus, ipse, puto, aliam amplexus
esset sententiam. Etenim ex isto Hygini silentio hoc vi-
detur colligi debere, Apolloniam non alium quam semet
ipsum correxisse, et quam in priore Argonauticorum edi-

tionem Nauplium Argonautam Neptuni et Amymonae filium vocasset, in secunda mutatae sententiae rationes exposuisse; Hyginum autem, pariterque Orpheum, prima tantum Apollonii editione esse usos, ideoque, quum correctionem postea factam ignorarent, ne potuisse quidem Nauplium istum ab aliis parentibus, quam Neptuno et Amymona ortum perhibere. Vtramque autem Apollonii 15 editionem aliquamdiu exstitisse, ita ut in secundam, quam nos habemus, aliquot ex prima versus ab iis, qui eam cum altera comparabant, inferrentur, satis docuit Ruhnkienius in epist. crit II. p. 190. seqq.

Iam igitur eo perventum est, ut sola supersit illa disputatio, qua Koenigsmannus orationem quoque Orphei consecutus est. Vellem sane, abstinisset vir doctissimus ab hoc argumento, cui tractando si se parem ostendere vellet, non debebat p. 5. et 36. ὄχθησι in ὄχθησι mutare; non debebat p. 40. φθίτῳσι prima producta, p. 50. ἔπειμα pyrhhichium pro καὶ ἄμα, p. 51. βοόκολος, idque secunda longa commendare; non debebat hexametros in medium proferre, quales p. 32.

ἀλλὰ τὰδ' ἂν πολλὰ καὶ ἐξυστερον αὐτῖς ἀκούσαις,
et p. 35.

μαρναμένοις ἐπιθήσθε, καὶ ἀποφθίσειν μένος
ἀνδρῶν
ἐλησθ'.

et p. 36.

ἡμετέρη, τότε νῆα κατὰ φηγμένοισιν ἐάφθαι.

non debebat assensum cuiusquam sperare, quum in hoc ipso versu κατὰ νῆα ad navem significare contenderet, aut similia vel magis, etiam inaudita p. 36. 54. et alibi, comminisceretur; ut mutationes non necessarias taceam, quas in plurimis Orphei locis faciendas esse censuit; parcere denique etiam aliis scriptoribus debebat, ut Timaeo Siculo p. 14. Herodoro, p. 21. Straboni p. 23. Apollonio p. 29. 30. neque sinceris eorum lectiones tam dura

manu exulcerare: quae omnia quis ei condonabit, qui vel leviter Graecas litteras attigerit? Sed mittam haec: modo attulisset, quo id, quod volebat, efficeretur. At nimirum toto caelo a mea mente aberravit, quum refutari me posse sibi persuaderet, si operosissimo labore ex ingenti antiquiorum scriptorum numero vocabula et formulas colligeret, quas ego in Orphei carmine ut recentioris aetatis indices notaveram. Usquamne ego contendi, verbis non prius auditis usum esse Orpheum? Ita ne Graece quidem loquutum contendissem. Hoc ergo si non feci, quid Anacreon, Sappho, tragici, Herodotus, Thucydides, Xenophon, alique scriptores probant, nisi, quod ego sane etiam non monitus sciebam, Graeca, non pe- 16
regrina esse vocabula, quae reprehendissem? Nam quae ego de oratione Orphei disputavi, in eo versabantur, ut ostenderem, primo, vocabula quaedam, vocabulorumque significationes ab eo usurpatae, quae recentiorum essent epicorum propria; deinde, eorundem more haec eum sectatum esse: quae apud antiquos epicos rara et singularia invenirentur. Vnde apertum est, qui haec impugnare velit, primo solam debere epicorum auctoritatem adhibere; deinde illud debere ostendere, quae apud antiquos epicos rara et singularia reperiri dixeram, trita apud eos et pervulgata esse. Defungar paucis exemplis. In Argonauticorum versu 84. formam *ἀρον* ut recentiorum notaveram. Errasse me dicit non solum Koenigsmannus p. 39. sed, quod profecto miror, etiam Huschkus p. 16. Et Huschkus quidem, *βουβέσθιν δ' ἀροαί μοι*; inquit, *nota sunt poëtriae verba*: quibus addit versum quemdam Sopatri, ab Athenaeo servatum. Hic vero bis fallitur vir praestantissimus, primum, quod Sapphus Sopatrique auctoritatem quidquam valere putat: nam ego de epicis disputabam, non de lyricis et comicis; deinde, quod hunc Sapphus locum praefert, in quo iam quum ista scriberet, dubium erat, an Sappho non scripsisset *ἀροαί*, nunc pene certum est, *ἀροαί* eam scripsisse. Jam quid Koenigsmannus? Hic vero, praeter eundem Sapphus locum, e Pindaro, Herodoto, Ae-

schylo, Sophocle, Euripide, Isocrate exempla conges-
sit. Per me licet centena addat alia, vel millena, si ea
non sint ex epicis petita. Alterius generis illa sunt, quae
idecirco, quod apud veteres raro inveniebantur, recen-
tioribus temporibus ut exquisita frequentari coeperunt, ut
περιμήνητος. Iam quis negabit, talia, si quis scriptor
crebro iis usus sit, eo potius valere, ut eum scriptorem
recentem, quam ut antiquum esse statuamus? Ita quis
Appuleium Ennii Plautique aequalem fuisse contendat,
quod plurima in eius scriptis reperiantur, quae ex isto-
rum temporum sermone deprompta sunt? Immo ex hac
ipsa re multo post illos eum vixisse colligendum esset.
Itaque non mirabitur iam, opinor, Koenigsmannus, si
nihil esse dixerō in his, quae de Orphei oratione attu-
lit, quod vel levissimum momentum ad labefactandam
meam sententiam habeat. Quin quaedam ille protulit,
17 quae etiam si ab his discedas, de quibus iam monui,
ipsa per se falsa sunt. Veluti; ut *τα, δέ, γάρ* post se-
cundum vocabulum ab antiquis posita esse ostendat, p.
43. 47. affert *χαμαι ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων, οὐ
πολλαῖς δέ, οὐ δύναμαι δέ*, quae nemo non videt ne-
cessario sic dici, quia duo ista vocabula pro uno sunt,
quasi tu dicas *χαμαιγενέων, ὀλίγαις, ἀδυνατῶ*. Quin,
quod pene incredibile est, p. 52. affert Hesiodum in
Theog. 538. ubi est *τῷ μὲν γάρ*: qui locus movit me,
ut ab inspiciendis reliquis, quos larga manu citavi,
abstinerem.

Sic igitur Koenigsmannus evicisse se putat, Or-
pheum Apollonio Rhodio antiquiorem esse. Quid vero?
Non etiam de colore totius carminis; non de numero-
rum cōformatione, unde ego praecipuum quoddam pro
mea sententia argumentum petieram; non de insolenti isto
οἶ, quod Orpheus singulari prorsus exemplo tantopere
frequentavit, dicendum erat, et explicatē quidem fuse-
que, quo rationes mihi eriperentur gravissimae? Horum
neque a Koenigsmanno quidquam factum est, neque a
quoquam alio. Quod ego quum reputo, pene adducor,

ut optime rem administrasse Vossium' putem, qui tum ibi homines sic loquutos esse dicit: nempe, si forte quaeras, quando et quo in loco, antiquissimo quodam tempore, quo poetae epici Attica Chalcidensium lingua utebantur; quod factum esse ibi, ubi vivebat Orpheus; vixisse autem hunc illo ipso tempore locoque, quo tempore locoque lingua ista in usu fuerit.

DE LEGIBVS QVIBVSDAM SVBTILIO-
RIBVS SERMONIS HOMERICI DISSER-
TATIO PRIMA *).

Homerum quemadmodum facillimus est ad intelligendum inter scriptores Graecos, ita idem iure habetur difficillimus. Nam si quis in universum quaerat, quae quoque in loco eius mens sit, nihil illo simplicius, nihil planius fingi potest; sin vero accuratius singula peruestiget, neque eum temere aut voces ponere nihil significantes, aut verborum tempora modosque confundere existimet, tam varia est, tamque implicata eius oratio, ut vix initium inquirendi, nedum finem invenias. Nec mirum. Sermo enim liberior, nec dum aut artis quibusdam praeceptis formatus, aut, ut postea factum, usu huc vel illuc inclinante constrictus coarctatusque, plurimas habet et perquam subtiles notionum enunciationumque rationes: quas quidem cognovisse, recteque perspectas habere, tanto magis est necessarium, quod omnis recentiorum sermo ex his quasi radicibus effloruit. Quamobrem qui grammaticam Homericam, quae quidem et plena sit, et erroribus vacua, condiderit, eum propemodum universae linguae Graecae naturam, rationemque explicuisse dixerim. At nimirum hoc aliquanto difficilium est, quam visum est nuper Frider.

*) Edita est a. 1812.

Thierschio, viro praestantis ingenii, mihiqve veteri necessitudine coniunctissimo. Quem quum viderem in actis philologorum Monacensium de verborum modis, quibus apud Homerum tempora et caussae rerum indicantur, ita disputasse, ut, quamvis multa acute dissekeret, tamen in iis, quae quasi fundamenta sunt huius quaestionis, a vero, ut ego quidem arbitror, nonnihil recederet: non alienum esse a munere meo existimavi, monere vel adolescentes, qui litteras Graecas accuratius cognoscere cuperent, vel alios etiam, qui ad assentiendum proniores essent, ne, tantae difficultatis quaestionem pro re iudicata habentes, orationem poetae, nuper eximia Wolfii sollertia a plerisque sordibus purgatam, inconsideratius sollicitatum irent. Faciam autem hoc sic, ut, quoniam tres illas regulas, quas Thierschius proposuit, neque explicatas ab eo video, neque ab omni parte veras esse puto, primo omnem illam rationem constructionum temporalium in partes quasdam describam, deinde autem de singulis partibus, quantum quidem in hac scriptionum Academicarum brevitate licet, dicam explicatius, non quo nova proferam, sed ut faciam, nota ne novis obscurentur.

Ac primum quidem tenendum est, constructiones, quibus tempora notantur, non aliis contineri regulis, quam illas constructiones, quae caussis vel finibus significandis inserviunt. Id enim, ex quo constructionis ratio pendet, commune habent: conditionem dico. Est autem omnis conditio talis, ut aut vere esse aliquid vel non esse, aut posse esse dicatur. Hoc postremum rursus duplex est: nam quae possunt esse, ea, si philosophorum more loqui licet, aut obiective possibilia sunt, aut subiective, i. e. ut ad communem captum verba accommodem, aut nos nescimus utrum sint, necne, ideoque dubitanter loquimur, quum illa tamen re vera vel sint, vel non sint; aut, utrum sint necne, non quaerimus, sed fingimus esse, etiam si non sint, vel non esse, etiam si sint. His rationibus indicandis inventi sunt modi, indicativus, coniunctivus, optativus. *Ei γενήσεται*, si erit, quod futurum est; *ei γένηται*, si fuerit, quod an eventurum sit,

necne, nescimus; *εἰ γένοιτο*, si fiat, quod fingimus fieri, nihil curantes, futurumne sit, an forte ne possit quidem fieri. Sed quantamvis plana sit haec modorum distinctio, tamen usu fit impeditissima, et quidem propter ipsam coniunctivi optativique naturam. Nam coniunctivus quum ea notet, quae nos tantum, sintne an non sint, nescimus, necessario omnes, quae per eum modum indicantur conditiones, in futurum tempus coniicit: quia etiamsi quid ex eo pendet, ut aliquid iam multo ante factum sit, tamen, quum nos, dum coniunctivo utimur, utrum id sit factum necne, nondum sciamus, tota res in eo versatur, ut cognito demum, quid rei sit, conditio impleatur: unde coniunctivo adhaesit vis futuri exacti. Alia ratio est optativi, qui quum natura sua, pariter atque indicativus, non sit cuiusquam temporis proprius, usurpatur ille tamen singulari quodam modo de praeterito tempore. Nam ut, quae hactenus dicta sunt, ad sententias temporales transferamus, his aut certa res, quae fuerit, sit, vel futura sit, designetur necesse est, ut, *ὄτε ἦν, ὄτε ἔστιν, ὄτε ἔσται*, aut incerta, eaque vel sic, ut nos tantum, utrum sit, an non sit, ignoremus: quae conditio quum ex eventu adhuc cognoscendo suspensa sit, planum est, hanc totam rationem non nisi ad futurum tempus pertinere. Nam id tantum, quod nondum factum est, potest ex conditione incerta pendere. Quod autem revera vel fit, vel factum est, id si qua ex conditione pendet, ea conditio non iam incerta esse potest, sed revera impleta fuerit necesse est, quia aliter, quod ex ea pendeat, non evenisset. Quare recte dicas *ξενίσω, ὁπότε ἵκηται*; non autem possis, *ἐξένισα, ὁπότε ἵκηται*. Sed poteris in praesenti tempore, modo ne de eo, quod nunc ipsum fiat, (hoc enim certum est) sed de eo, quod indefinitum est, ideoque aliqua sui parte ex eo pendet, quod adhuc incertum est: ut, *τῷ νῦν σοὶ μὲν ἐγὼ ξείνος φίλος Ἀργεῖ μέσσω εἰμί, σὺ δ' ἐν Λυκίῃ, ὄτε κεν τῶν δῆμον ἵκωμαι, hospes sum, si quando istuc venero*. Iam intelligetur, cur idem in praeteritis per optativum significetur. Nam quum coniunctivus, ut qui futuri notionem contineat, non possit praeteritis accommo-

dari, apparet, si quid in his infinitam est, id per eum significari modum debere, quo quid omnino sine temporis notatione ut incertum, solaque in cogitatione positum indicatur: is est autem optativus. Vnde illud dictum est, *πολλάκι μιν ξείνισσεν, ὅποτε Κρήτηθεν ἴκοιτο, hospitio eum excepit, si quando, vel quoties veniret.* Sed ex hoc ipso, quod optativus omni temporis notione caret, facile intelligitur, nihil, nisi usum, obstare, quin eodem modo etiam in praesentibus et futuris usurpetur. Restat alia adhuc conditionis notatio. Quas enim hactenus vidimus, earum prima in iis, quae certa sunt, versabatur, cui destinatus est indicativus; secunda erat eorum, quae sintne an non sint, nondum scimus, cui servit coniunctivus; tertia continebat ea, quae sive sunt, sive non sunt, sumimus esse, cuius proprius est optativus. Iam his quarta accedit, quae est eorum, quae sic sumimus esse, ut simul non esse confiteamur. In qua quoniam hoc, non esse aliquid, certum est: placuit Graecis modo uti eo, quo simul et res certa, et quae non est, indicaretur, id est indicativo praeteritorum, excepto, ut par erat, perfecto, quod in hoc praesentis significatio reperiretur. Itaque quod Latini, *si hoc esset vel fuisset*, Graeci per indicativum imperfecti vel plusquamperfecti vel aoristi dicunt.

His positis quasi fundamentis, sententias temporales accuratius consideremus. Est autem earum aliquanto maior numerus, quam visum est Thierschio. Quid enim, num *ὄφρα, ἕως, εἰς ὅτε, πρὶν* non sunt particulae temporales? Quin haud rara etiam pronomina sic usurpantur, ut apertius tectius temporis notationem contineant. Quare ne haec quidem prorsus negligenda putamus. Omninoque, quum ne finalium quidem particularum alia ratio sit, ita disseremus, ut magis de modo verbi, quam utrum is cum temporali an finali particula iunctus sit quaeramus.

Incipiamus autem ab indicativo, quo utendum esse, ubi de re certa sermo est, sive ea facta sit, sive fiat, sive futura sit, tam apertum est, ut non putarim

nunquam existiturum esse, cui de eo dubitandum videretur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium, in prima illarum, quas posuit, regularum, indicativi usum ad solas res praeteritas vidi restringere. Difficile profecto sit, rationem vel aliquam huius rei excogitare. Sed nimirum exemplis ille rem conficere voluit. Quorum quam sat multa in rebus praeteritis, pauca autem in futuris vel praesentibus versari videret, haec explicando vel mutando removere studuit. Videamus vero. Odys. c. 272. *νῦξ δ' ἔσται, ὅτε δὴ στυγερὸς γάμος ἀντιβολήσει οὐλομένης ἐμέθεν.* Negat Thierschius p. 7. particulam hic temporalem esse, sed positam vult pro relativo ἐν ᾗ, quod equidem non video quomodo a temporali significatione diversum sit. Quin nemo, opinor, reperietur, quin, si quis quaerat, utrum rectius dictum sit, hoc, an illud, *τῆσσεται ἡμαρ, ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλη Ἴλιος ἰρή,* magis in coniunctivo, quam in indicativo haereat. Porro quod ex hymno Apollinis affert, *ὅτε φαιδίμα τόξα τιταίνει,* in quo particulam vult causalem esse, primo, si ita esset, sententia esset eadem, ac si diceres *ὅτι τοξοφόρος ἐστί,* quod et alienum ab illo loco est, et a sermonis Homericæ natura abhorret; deinde ipsa illa causalis significatio nititur temporali, cadatque, nisi temporalis admittatur, necesse est. Nam quid aliud est, *ἣ δὴ λοιγὰ ἔργ', ὅτε μ' ἐχθοδοπήσαι ἐφήσεις Ἥρη,* vel, *τί νῦ σε ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχές μενεαίνεις,* quam, *malum factum erit, quum tu me coges altercari, vel quid faciunt, quando tu sic irata es?* Luculentum exemplum in his est, Od. s. 356. *ὦ μοι ἐγὼ, μή τις μοι ὑφαινῆσιν δόλον αὐτῆ ἀθανάτων, ὅτε με σχεδὶς ἀποβῆναι ἀνώγει.* Sed cave huc trahas Iliad. π. 52. *ἀλλὰ τὸδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἰκάνει, ὅπποτε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλησιν ἀμέρσαι, καὶ γέρας ἄψ ἀφελῆσθαι, ὅτε κράτῃ προβεβήκει.* Nam neque *ὅτε* particula est, sed antiquum pronomem pro *ὅστε*, et verbi tempus, manifesto vitiosum, optimam lectionem *προβεβήκη* revocari postulat. Ut redeam ad hymnum illum, nemo negabit, *τιταίνῃ* scribi potuisse, modo ne quis indicativum falsum esse

pronunciet. Pariterque Latine et si *arcum tendat*, et *quum arcum tendit* dicas. Sed videamus aliud exemplum: Odyss. ω. 87. ἤδη μὲν πολλῶν τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος ζώννυται τε νέοι, καὶ ἐπεντύονται ἀεθλα. Putat Thierschius p. 188. poetam necessitate coactum ζώννυται dixisse, quod hoc verbum coniunctivo careret, ideoque certe ἐπεντύονται in coniunctivum mutari debere. Malum vero, si poeta tam inops fuisset consilii, ut non aut coniunctivum declinare, aut verbo uti, quod haberet coniunctivum, potuisset. Hoc quidem in loco tam necessarij sunt indicativi, ut neque utā coniunctivis, neque non uti indicativis licuerit. Quod quum tam apertum sit, ut demonstratione non indigeat, satis habeo adicere, quemadmodum Latine non dixeris, *multos vidi ludos, quum certamina instituerint iuvenes*, sed *quum instituunt*, ita cavendum esse, ne Graecos iubeas dicere, quod dici non potest. Sed quid verbis opus? Inveniuntur enim loci, qui tam sunt adversus omnes machinas muniti, ut, nisi nescio quo casu Thierschii diligentiam⁸ effugissent, regulam istam, sat scio, non fuisset propositurus. Odyss. σ. 217. νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας ἔσαι, καὶ ἤβης μέτρον ἰκάνεις, οὐκέτι τοι φρένες εἰσὶν ἐναΐσιμοι. 408. ἀλλ' εὖ δαισάμενοι, κατακείετε οἴκαδ' ἰόντες, ὅπποτε θυμὸς ἄνωγε· διώκω δ' οὔτιν' ἔγωγε. Iliad. ν. 817. σοὶ δ' αὐτῷ φημι σχεδὸν ἔμμεναι, ὅπποτε φεύγων ἀρήση Διὶ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν θάσσονας ἰρήνων ἔμμεναι καλλιτέριχας ἵππους. Sic etiam Od. ρ. 390. οὐκ ἀλέγω, εἴως μοι ἐχέφρων Πηνελόπεια ζῶει ἐνὶ μεγάροις, καὶ Τηλέμαχος θεοειδής. Ita ἔως etiam Iliad. ρ. 727. in oratione elliptica. Alios locos, quos attulit quidem Thierschius, sed ut eos tentaret, tum videbimus, quum de comparationibus Homericis dicetur. Ille tamen non est hic praetermittendus, qui Od. ο. 195. exstat: ἀλλὰ θεοὶ δυνάσει πολυπλάγκτους ἀνθρώπους, ὅπποτε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσονται οἴζυν. Vbi quum Thierschius p. 192. futurum recte, ut arbitror, improbaret, tamen non debebat codicum lectionibus ad con-

inunctivum restituendum abuti, quem sensus loci, in quo particula *ὀπότε* caussalis est, prorsus alienum esse ostendit.

Aliis in locis, quum coniunctivus vel optativus usurpari posset, indicativum praetulit poeta, quo res gravius affirmaretur. Od. θ. 317. *ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμός ἐρύξει, εἶόςκε μοι μάλα πάντα πατήρ ἀποδώσει ἔειδνα.* Quo tamen non velim quosdam locos trahi, in quibus *πρὶν* invenitur, ut Iliad. α. 29. et σ. 283. Nam ibi *πρὶν* non *priusquam*, sed *prius* significare, maioremque antecedere debere interpunctionem puto, sic: *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρὶν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν*, et, *οὐδέ ποτ' ἐκπέσει· πρὶν μιν κύνες ἀργοὶ ἔδονται.* Frequens est ille indicativi usus in pronomimibus, ut Iliad. α. 174. *πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἳ κέ με τιμήσουσι*, quocum compara i. 155. 297. Od. ε. 36. Particula *κέν* in huiusmodi formulis respondet nostrae *wohl*, eoque a *πὸν* differt, quod est *vielleicht*. Inde dicit poeta *ὁ δέ κεν κεχολώσεται* Iliad. α. 139. eademque ratio est in his, α. 523. i. 61. 386. κ. 281. ξ. 102. 239. ο. 211. χ. 66. Od. γ. 255. δ. 80. 546. τ. 558. Ab his videat mihi quis quam diversum sit hoc, Iliad. χ. 41. *αἶθε θεοῖσι φίλος τοσσόνδε γένοιτο, ὅσον ἐμοί· τάχα κέν ἐ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται κείμενον· ἦ κέ μοι αἰνὸν ἀπὸ πραπίδων ἄχος ἔλθοι.*

9 Sensere grammatici, hic, ut in re prorsus incerta, non esse indicativo locum: unde alii *ἔδοιντο*, Aristarchus recte *ἔδοιεν* posuit. In ludis funebribus Patrocli Achilles pugilatus praemia proponit victori mulam, victo poculum. Surgit Epeus, mulamqueprehendens, ita loquitur, Iliad. ψ. 667. *ἄσπον ἴτω, ὅστις δέπας οἴσεται ἀμφικύπελλον.* Audimus certum victoriae. Ita habebis, quo explices β. 229. i. 167. φ. 587. χ. 70. ψ. 675. Od. κ. 432. π. 306. Sed Iliad. ψ. 707. 753. 831. *ὄρνυσθ', οἳ καὶ τοῦτου ἀέθλου πειρήσεσθον*, indicativus non videtur idoneam rationem habere, potiusque requiri coniunctivus. Ita etiam in his II. κ. 44. *χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σὲ κερδαλέης, ἦτις κεν ἐρύσεται ἠδὲ σαώσεται Ἀργείους.* Od. δ. 207. *ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων ὄλβον*

ἐπικλώσει γαμέοντί τε γεινομένῳ τε. θ. 147. οὐ μὲν γὰρ μείζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ἦσιν, ἢ ὃ τι ποσσὶν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἔησιν: quorum ex primo vitium iam Thierschius sustulit p. 181. Eodem modo in his II. ω. 553. μὴ μέ πω ἐς θρόνον ἴξε, διοτρεφές, ὄφρα κεν Ἔκτωρ κῆται ἐνὶ κλισίῃσιν ἀκηδής, reponendum putem κῆται. Sed recte se habent, quamquam singulari modo conformata, haec, Od. π. 437. οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται, ὅς κεν Τηλεμάχῳ σφ' υἱεὶ χεῖρας ἐποίσει: et α. 403. μὴ γὰρ ὄγ' ἔλθοι ἀνὴρ, ὅστις σ' ἀέκοντα βίηφι κτήματ' ἀπορραΐσει, Ἰθάκης ἔτι ναιεταώσης.

Alia indicativi ratio ex vitae communis usu repetenda est, qui etiam in nostro Latinorumque sermone saepe indicativum coniunctivo praefert. Odyss. π. 282. ὀππότῃ κεν πολύβουλος ἐνὶ φρεσὶ θήσει Ἀθήνη, νεύσω μὲν τοι ἐγὼ κεφαλή. Poterat θείη dicere, quod Thierschius p. 195. reponi vult, sed recte etiam indicativus stabit. Multa enim huiusmodi apud Homerum inveniuntur. Vt Iliad. γ. 101. ἡμέων δ' ὀπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται, τεθναίη. 308. Ζεὺς μὲν πῶς τόγῃ οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι, ὀπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν. κ. 394. ἠνώγει δέ με ἀνδρῶν θυμμένων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἐκ τε πυθέσθαι, ἢ φυλάσσονται νῆες θοαί, ὡς τὸ πάρος περ, ἢ ἦδη, χεῖρεσσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες, φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσι, οὐδ' ἐθέλοιτε νύκτα φυλασσέμεναι. In iisdem verbis v. 308. alter quoque indicativus βουλεύουσι positus est. Od. δ. 632. ἢ ῥά τι ἴδμεν ἐνὶ φρεσὶν, ἢ καὶ οὐκί, ὀππότῃ Τηλέμαχος νεῖτ' ἐκ Πύλον: quod non recte explicat Thierschius p. 190. 10 ρ. 120. εἶρετο δ' αὐτίκ' ἔπειτα βοῆν ἀγαθὸς Μενέλαος, ὅττιν χρηζῶν ἰκόμην Λακεδαιμόνα διαν. Confer Iliad. φ. 608. Eiusdem modi haec sunt Iliad. θ. 110. ὄφρα καὶ Ἔκτωρ εἴσεται, ἢ καὶ ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσιν. π. 242. ὄφρα καὶ Ἔκτωρ εἴσεται, ἢ ῥα καὶ οἶος ἐπίσθηται πολεμίζειν ἡμέτερος θεράπων, ἢ οἱ τότε χεῖρες ἀπτοὶ μαίνονθ', ὀππότ' ἐγὼ περ ἰὼ μετὰ μῶλον Ἄργος. Qui duo loci haud scio an alio etiam communis

sermonis vestigio memorabiles sint, indicativo *εἴσεται* dico. Nam aliud agebat, opinor, Thierschius, quum p. 180. *εἴσεται* in coniunctivis numeraret. Quod si quis *ὄφρα*, ut significans, cum futuro ferre nolit, poterit id pro *donec* accipere. Ita autem cognatae hae significationes sunt, quam rem attigit Porsonus ad Eurip. Phoen. 89. ut in *Odyssea* *ἕως* non semel ut significet, v. c. δ. 800. ε. 386. ζ. 80. Nec sordes appellarim indicatives in his locis: Od. α. 316. *δῶρον δ', ὅττι κέ μοι δοῦναι φίλον ἦτορ ἀνώγει, αὐτίς ἀνερχομένῳ δοῦναι*, ubi, quum modo obtulerit donum Telemachus, idonea caussa est, quare admitti indicativus possit; et Il. μ. 226. *πολλοὺς γὰρ Τρώων κατάλειψομεν, οὓς κεν Ἀχαιοὶ χαλκῷ δηώσουσιν*, ubi ut praefendus sit coniunctivus, at indicativus non est tamen falsus. Sed in illo Od. ι. 277. *οὐδ' ἂν ἐγὼ Λιὸς ἔχθος ἀλευάμενος περιδοίμην οὔτε σεῦ, οὔθ' ἐτάρων, εἰ μὴ θυμὸς με κελύει*, ut a sermone familiari excusatio sit, tamen sententiae caussa optativum antepōnam.

Denique alius generis hoc est Od. ν. 385. *ἀλλ' ἀπέων πατέρα προσεδέρετο, δέγμενος αἰεὶ, ὀππότε δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει*. Non refrager, si quis cum Thierschio p. 192. ex cod. Vrat. *ἐφείη* praeferat, modo idem etiam ν. 29. reponat: sed *ἐφήσει* qui defendere volet, eo uti argumento debebit, quod Graeci, quae ex aliena mente dicuntur, saepe velut ex praesentis ore proferant. Qui mos, frequens apud recentiores, ipse quoque radices suas in Homero habet. Itaque his quoque in locis *ἐφήσει*, si versum 39. compares, habebit, quo defendatur. Rara tamen haec sunt apud Homerum. Il. μ. 59. *πεζοὶ δὲ μενοίνεον, εἰ τελέουσιν*. Od. 11 ν. 339. *αὐτὰρ ἐγὼ τὸ μὲν οὐποτ' ἀπίστεον, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ ἦδ' ὃ νοστήσεις*, quod Minerva iam reverso dicit. ρ. 360. *αὐτὰρ Ἀθήνη ὄτρυν', ὡς ἂν πύρρα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι, γνοίη θ', οἵτινές εἰσιν ἐναΐσιμοι, οἳ τ' ἀθέμιστοι*. In illo ξ. 331. τ. 288. *ᾧμοσε, ἐπαρτέας ἔμμεν ἐταίρους, οἳ δὴ μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα*

γαῖαν, postremus versus ut ab eo, qui haec narrat, adiectus accipi potest.

Venio ad coniunctivum. Cui quoniam, ut supra demonstratum est, futuri significatio adhaeret, domicilium ille habet in rebus futuris, ideoque aut ad aliud tempus futurum, aut ad praesens refertur, non etiam, simpliciter quidem, ad praeteritum, quia praeteritis et futuris nulla est nisi per praesens communio. Quare ubi cum praeteritis iungitur coniunctivus, praesens aliquod, quo ille refertur, lateat necesse est: quod quum pluribus modis fieri possit, de potioribus exponendum videtur.

Ac primo latet praesens: ubi per praeteritum designatur: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθεται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ*, Iliad. α. 218. Sic ε. 508. κ. 225. ω. 531. Od. δ. 357. Et cum particulis temporalibus: Iliad. π. 689. *ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ; καὶ ἀφείλετο νίκην ῥηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνῃσι μάχεσθαι*. Vide ρ. 98. Od. ο. 409. cuius loci rationem non prorsus perspexit Thierschius p. 16. Eadem ratio etiam in negativis sententiis obtinet: Od. κ. 327. *οὐδὲ γὰρ οὐδέ τις ἄλλος ἀνὴρ τάδε φάρμακ' ἀνέτλη, ὅς κε πῖη, καὶ πρῶτον ἀμείψεται ἔρκος ὀδόντων*. μ. 66. *ἀλλ' οὐπω τις νηὺς φύγεν ἀνδρῶν, ἧτις ἴκηται*. Difficilius hoc est, II. ξ. 521. *οὐ γὰρ οἱ τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν, ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὄρση*, ubi Thierschius p. 15. neque hanc lectionem, neque alteram *ὄρσεν* ferri posse iudicans, *ὄρσαι* scribi vult; non ille quidem primus: nam et alii viro docto ita visum erat, et mihi ipsi in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 20. sed dubitare postea coepi, monente etiam optativo, praeter solitum particulam *τε* comitem habente, an haec saltem via deserenda esset. Nec sane damnem *ὄρσεν*, quia nihil impedit, quominus haec de Troianorum fuga intelligantur: quin prorsus id ex more poetae foret: sed ne coniunctivus quidem plane spernendus est, si quidem *ἀνδρῶν τρεσσάντων* universe dictum accipiatur pro *ἐν τρο-12 πῇ μάχης*: nemo eum aequabat in persequendo, quum cedunt hostes, ubi terrorem incusserit Iuppiter.

Alius modus est, quum praeteritum tale est, ut eius vis etiam in praesenti futuroque tempore permaneat. Iliad. κ. 88. γνώσεαι Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα, τὸν περὶ πάντων Ζεὺς ἐνέηκε πόνοισι διαμπερές, εἰςὸκ' αὐτμῆ ἐν στήθεσσι μένη, καὶ μοι φίλα γούνατ' ὀρώρη, Sic Iliad. υ. 313. (coll. φ. 373.) φ. 229. ω. 175. et 194. (coll. 119. 147.) Od. θ. 44. κ. 21. λ. 432. ρ. 55. ψ. 267. ω. 201. Huius generis est etiam hoc Iliad. η. 394. καὶ δὲ τόδ' ἠνώγεον εἰπεῖν ἔπος, αἶν' ἐθέλητε παύσασθαι πολέμοιο δυσχερός, εἰςὸκε νεκρούς κείομεν. Compara cum hoc π. 61. σ. 189. Vix opus est, ut adiiciam, eodem modo particulas finales construi, ubi effectus rei praeteritae adhuc praesenti tempore conspicuus, vel futuro expectandus est. Od. ω. 359. ἔνθα δὲ Τηλέμαχον καὶ βουκόλον ἠδὲ συβώτην προὔπεμψ', ὡς ἂν δεῖπνον ἐφοπλίσσωσι τάχιστα. In apparanda enim coena adhuc illi occupati erant. Vide etiam vers. 479.

Porro quem supra in indicativo vidimus morem Graecorum, cogitata e praeterito tempore in praesens transferendi, is etiam in coniunctivi usu invenitur. Od. π. 368. ἐμίμνομεν ἠῶ διαν, Τηλέμαχον λοχόωντες, ἵνα φθίσωμεν ἐλόντες. Iliad. ο. 22. ὃν δὲ λάβοιμι, ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται γῆν ὀλιγηπέλεων. Ad hoc genus pertinent duo alii loci, similes illi quidem inter se, sed tamen quodammodo oppositi: Iliad. ξ. 161. ἦδε δὲ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή, ἐλθεῖν εἰς Ἴδην εὐ ἐντύνασαν ἢ αὐτήν, εἴ πως ἰμείραιτο παραδραθείειν φιλότῃτι ἢ χροῖῃ, τῷ δ' ὕπνον ἀπήμονά τε λιαρὸν τε χεύῃ ἐπὶ βλεφάροισιν ἰδὲ φρεσὶ πευκαλίμησιν, ubi optativus et coniunctivus personis distinguendis inserviunt, ita quidem ut χεύῃ, quod proprie est *an debeat*, ad ipsam Iunonem referatur. Eadem personarum distinctio, sed inversa ratione, et recte quidem, invenitur π. 646. de Iove: καὶ φράζετο θυμῷ, πολλὰ μάλ' ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων, ἧ ἦδη καὶ κοῖνον ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ αὐτοῦ ἐπ' ἀντιθέῳ Σαρπηδόνην φαίδιμος Ἐκτωρ χαλκῷ δρώσῃ, ἀπὸ τ' ὤμων τεύχε' ἔληται, ἧ ἔτι καὶ πλεονεσσιν ὀφέλλειεν πόνον αἰπύν. Aliud hu-

iusmodi exemplum exstat o. 595. ss. Ex hac significa-¹³
 tione explicandus coniunctivus Od. ξ. 327. τὸν δ' ἐς Λω-
 δώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο
 Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι, ὅπως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς
 πῖονα δῆμον. Certe vulgatum νοστήσῃ praestat eo,
 quod Wolfius dedit, νοστήσει. Sed ubi haec repe-
 tuntur, τ. 296. prorsus de more scriptum est, ὅπως
 νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. Eodem modo
 fortasse alii quoque coniunctivi, ut Iliad. β. 4. defendi
 poterunt.

Denique commemorandus est is coniunctivi usus, quo
 hic modus apud Homerum etiam solus per se futuri signi-
 ficationem habet. Qui usus derivandus est ex significa-
 tione dubitativa, quam in coniunctivo esse satis constat.
 Est autem haec significatio duplex. Nam aut in eo cer-
 nitur, quod agendum sit, quam deliberativam significa-
 tionem dixeris: eaque Homerus, pariter ac caeteri scri-
 ptores, tantum in prima persona sive singularis sive plu-
 ralis numeri utitur, cuius rei rationem alio loco aperui;
 aut spectat ad id, quod sit vel fiat, quam coniectural-
 em appellari licebit, qua Homerus in omnibus personis
 utitur. Vtraque non ubique eandem vim habet. Nam
 ut in omnibus linguis multa, quae tamquam incerta pro-
 feruntur; ita dici solent, ut potius maxime affirmari in-
 telligantur, ita idem Graecis in coniunctivo videmus pla-
 cuisse. Itaque quum ἴωμεν proprie dubitantis esset,
 deinde ad adhortationem decretumque translatum est.
 Eodem igitur modo in illa coniecturali significatione pri-
 mo incertum intelligitur futurum. Telemachus in primo
 libro Odysseae, ubi non affectare se regnum dicit, quon-
 iam multi sint in Ithaca viri generis nobilitate conspicui,
 subiicit v. 396. τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνα δῖος
 Ὀδυσσεύς. Sic etiam δ. 691. ἦ τ' ἐστὶ δίκη θεῶν βασι-
 λῆων, ἄλλον κ' ἐχθαίρησι βροτῶν, ἄλλον κα φιλοῖη.
 Vide Iliad. β. 488. Od. β. 333. δ. 240. v. 215. Inter-
 dum pene nihil a simplici futuro differt, ut Iliad. π. 129.
 Od. μ. 383. Sed saepe habet fortiorem quamdam vim ac
 futurum, ita ut etiam a futuro distinguatur; Od. π. 437.

οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται. Germanice dicas, *der ist nicht, und wird nicht seyn, und 14 soll nicht seyn.* Similiter ζ. 201. μ. 191. Sed plerumque mollitur haec significatio, ut dubitanter loquendo affirmes. Iliad. ο. 349. αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε γνωτοί τε γνωταί τε πυρός λελάχουσι θανόντα, ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο: quod eadem figura Germanice dicas, *sie sollen ihn wohl nicht bestatten.* Sic vero illud intelligendum est, ἔσσεται ἡμῶν, ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή, Iliad. δ. 164. ζ. 448. ut ex priore potissimum loco intelligitur. Alia exempla vide Iliad. γ. 54. 417. λ. 386. 431. ξ. 235. σ. 308. χ. 244. 505. Od. δ. 389. κ. 507. σ. 265. Sic possis etiam intelligere ὅς κεν ἔησι et similia Iliad. β. 365. ψ. 344. Od. δ. 756.

Perventum est ad optativum. Hic modus quoniam ea indicat, quae in sola cogitatione posita sunt, per se nullam omnino habet temporis significationem, sed pro cuiusque loci conditione vel ad praeteritum tempus, vel ad praesens, vel ad futurum refertur. Iliad. ν. 343. μάλα κεν θρασνικάρδιος εἶη, ὅς τότε γηθήσειεν ἰδὼν πόνον, οὐδ' ἀκάρχοιτο. His verbis, quae ibi de re praeterita dicuntur, uti possis etiam in re praesente et futura. Ita fit, ut et illud de futuro recte dicatur, Iliad. ω. 619. ἔπειτά κεν αὐτε φίλον παῖδα κλαίοισθα, et hoc de praeterito Iliad. γ. 453. οὐ μὲν γὰρ φιλότῆτι γ' ἐκεύθανον, εἴ τις ἴδοιτο, pro eo, quod plerumque dici solet, εἴ τις εἶδεν. Vide ε. 311. 388. ρ. 70. τ. 90.

Quamquam autem omnis optativi usus eo redeat, ut quid in sola cogitatione positum esse significetur, tamen variae sunt rationes modique, quibus id fieri possit. Horum primus maxinaeque simplex is est, quum quid nulla alia notione adiuncta ut sola cogitatione fictum narratur. Vt in re praeterita Il. δ. 532. ἐνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών, ὅστις ἔτ' ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξεί χαλκῷ διενέουι κατὰ μέσσον; in praesenti Od. φ. 139. ποῖοί κ' εἶτ' Ὀδυσσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι; in futura Il. ω. 139. ὅς ἄποινα φέροι, καὶ νεκρὸν ἄγοιτο,

i. e. *abducat licet*. Quoniam autem, quae sola cogitatione finguntur, ad experientiae veritatem comparata, non re vera fiunt, sed possunt fieri: consentaneum est, optativo, quae possint fieri, significari. Isque frequens apud Homerum usus est. Od. μ. 112. *εἰ δ' ἄγε δῆ μοι τοῦτο, θεά, νημερτές ἐνιοπέ, αἶ πως τήν ὄλοήν μὲν ὑπεκπροφύγοιμι Χάρυβδι, τήν δέ κ' ἀμυνναιμην, ὅτε μοι σίνοιτό γ' ἐταίρους*. Vide Iliad. α. 60. ε. 192. (ξ. 15 299.) ζ. 452. η. 231. θ. 291. κ. 166. 171. ξ. 241. ο. 736. 738. ρ. 640. χ. 348. ω. 149. Od. α. 254. β. 52. γ. 319. δ. 167. 560. (ε. 17. 142. ρ. 146.) ε. 166. ι. 126. σ. κ. 434. λ. 366. μ. 287. ξ. 120. π. 257. 297. 305. υ. 383. χ. 138. ω. 189. s. 532. Hinc fit, ut saepe coniunctivus et optativus in eadem constructione coniungantur, ut Il. σ. 307. *ἀλλὰ μάλ' ἄντην στῆσομαι, ἧ κε φέροισι μέγα κλέος, ἧ κε φεροίμην*. Germanice dicas, *ob er siegen soll, oder ich siegen könnte*. Vide χ. 244. seqq. Od. μ. 156. s. Vnde ξ. 183. scribendum: *ἀλλ' ἦτοι κείνον μὲν ἐάσομεν, ἧ κεν ἄλῳ, ἧ κε φύγοι, καὶ κεν οἱ ὑπέροσχη χεῖρα Κρονίων*: compara Il. δ. 249. Non debebam in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 18. ad hanc constructionem illud referre Od. χ. 75. *ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντας ἔχωμεν ἀθροοί, εἰ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων, ἔλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστυ, βοῆ δ' ὤκιστα γένοιτο*. Nam ibi maiore interpunctione post ἄστυ posita, quae sequuntur, non pendent ex particula *εἰ*, sed per se posita sunt, hoc sensu: *tum poterit auxilium advocari*. Sic eadem verba intelligenda sunt etiam υ. 133. Eadem ratio loquendi saepius occurrit: exemplo in eadem dissertatione eadem pagina ex Il. η. 41. s. allato adde β. 160. γ. 53. λ. 802. videturque ea etiam in coniunctivi usu restituenda γ. 417. Ad hunc autem, de quo agimus, optativi usum pertinent illa quoque exempla, in quibus voluntatis quaedam significatio adiuncta cernitur, ut Od. δ. 637. *τῶν κέν τιν' ἐλασσάμενος δαμασαίμην*. Ea ad secundam tertiamve personam translata, saepe monentis vel iubentis est, ut Il. ω. 149. *κῆρυξ τίς οἱ ἔποιτο γεραίτερος*; tum etiam

optantis, quae quidem ratio etiam alias formas habet, ut interrogativam cum particulis *πῶς ἄν*, ellipticam cum particula *εἰ*, aliasque.

Sed redeo ad simplicem illum optativi usum, quo nihil nisi quae tantum in cogitatione posita sunt, indicantur. Is in primis inservit consilio rationique, ob quam quid fiat, significandae. Sed placuit Graecis, de praesenti futurove consilio fere tum optativo uti, si effectus dubius esset; sin minus, potius coniunctivo utuntur, ut 16 qui rei vere futurae praesentisve notionem contineat. Contra de praeteritis consiliis coniunctivum ibi usurpant, ubi effectus adhuc durat, vel exspectandus est; quum autem iam praeteriit, quoniam id diserte nullus verborum modus indicat, optativum adhibent, qui quum effectum non verum, sed modo cogitatum notet, saltem non significat eum adhuc manere, sed potius refert ad illud tempus, quo captum est consilium. Iliad. η. 438. *ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίηον εὐ ἀραρυίας, ὄφρα δι' ἀντάων ἱππηλασίῃ ὁδὸς εἶη*. Eadem verba exstant v. 339. sed quum ibi *ποιήσομεν* dicatur, etsi *εἶη* non est falsum, tamen nisi significari voles, ut *possit esse*, coniunctivo usum esse poetam credas. Frustra autem coniunctivi formam *εἶη* in Thierschii grammatica Homerica quaeras: quam tamen diligens poetae lectio non uno loco, opinor, vindicare poterit: vide Il. ι. 245. Od. ο. 448. ρ. 586. neque aliter, nisi fallor, Il. σ. 88. Vtrum autem *εἶη* an *ἦη* praestet, non diiudicarem. Illud certum est, Aristarcho et accuratioribus grammaticis (vide Etym. M. p. 787, 26.) *φανήη* aliasque similes formas etiam in his verbis, a quibus Thierschius eas abiudicare ausus est, probatas fuisse. Sed hoc obiter. Vtrique modo locus est in hoc, Il. χ. 252. *νῦν αὐτέ με θυμὸς ἀνῆκεν στήμεναι ἀντία σεῖο, ἔλοιμί κεν ἦ κεν ἀλόιην*, prout ad tempus capti consilii, vel quo perficitur, referas. Sed patet hic optativi usus aliquanto latius, et saepe etiam in constructione particularum temporalium cernitur. Iliad. δ. 262. *σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ ἔστηχ' ὥσπερ ἐμοί, πίεειν, ὅτε θυμὸς ἀνάγοι*. Od. θ. 69. *πὰρ δ' ἐτίθει*

κάνεον, καλήν τε τράπεζαν, πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι. Significatur enim poculum ea mente appositum, ut, quando vellet, biberet. Sed in priore loco quae praecedunt, *πὲρι μὲν σε τῶ Δαναῶν, ἡμὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἢ δ' ἐν δαίθ', ὅτε πέρ τε γερούσιον αἰδοπα οἶνον Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρσι κέρωνται*, apparet, coniunctivum habere, quia res non ex cuiusquam cogitatione suspensa est. Quod si in eadem re v. 344. optativum videmus, is quomodo explicandus sit, infra dicitur. Sed accuratius quaedam ex hoc genere consideremus. Od. σ. 147. *μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ, ὀππότῃ νοστήσειε*. *Νοστήσει* si diceret, esse rediturum Vlysssem indicaret: nunc, optativo usus, incertum reddit, 17 an sit rediturus: ut si plene hoc velis exprimere, dicendum sit, *quum redieris, si redibit*. Sic π. 391. φ. 161. *ἢ δὲ κ' ἐπειτα γῆμαιθ', ὅς κεν πλείστα πόροι, καὶ μόρσιμος ἔλθοι*. β. 335. π. 385. *οἰκία δ' αὐτῆ τούτου μητέρι δοῖμεν ἔχειν, ἢ δ' ὅστις ὀππίοι*. Aliter ο. 20. *οἶσθα γάρ, οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός· κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν, ὅς κεν ὀπνίοι*: ubi quum de ea sermo sit, quae re vera habeat maritum, ὀπνίη scriptum oportebat. Frequentia sunt talia, ut II. ψ. 494. *καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέξοι*: Od. α. 47. *ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέξοι*. Sed ad illud primo aspectu nonnihil offendas, Od. ζ. 286. *καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἦτις τοιαῦτά γε ῥέξοι, ἦτ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων ἀνδράσι μίσγηται*: nam quae addita sunt, nihil nisi explicant priora, ut idem verbi modus videatur adhibendus fuisse. Nihilo minus omnia recte dicta. Nam prius illud ut prorsus incertum ponitur: tum illo posito, reliqua, ut inde vere consequutura, per coniunctivum adiiiciuntur: quod utrumque Germanice sic dicas: *wenn eine das thun könnte, und gegen den willen der ihrigen einem manne folgte*. Porro recte positus optativus in his, Iliad. ι. 304. *νῦν γάρ χ' Ἔκτορ' ἔλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι*. τ. 206. *νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμίξειν νῆας Ἀχαιῶν νῆστιας, ἀμμήρους· ἄμα δ' ἠελίῳ καταδύντι τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπῆν*

τισαίμεθα λώβην. ω. 226. *αὐτίκα γάρ με κατακτεί-
 νειεν Ἀχιλλεύς, ἀγκὰς ἐλόντ' ἐμὸν υἱόν, ἐπὴν γόου ἐξ
 ἔρον εἶην.* Od. δ. 222. *ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρη-
 τῆρι μιγείη, οὐ κεν ἐφημέριός γε βάλαι κατὰ δάκρυ
 παρειῶν.* Od. ω. 254. *τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαι-
 το φάγοι τε:* de quibus locis duos neglexit Thierschius,
 qui in his, quae p. 196. seqq. et 213. de particula *ἐπεὶ*
 disserit, immemor eorum, quae p. 186. ipse dixerat, re-
 gulas comminiscitur, in quibus haud scio an nihil omnino
 veri sit. Qui si, quum *ἐπὴν* cum optativo iungi posse ne-
 gat, in illo solo, *ἐπὴν δαΐδας παραθεῖτο* Od. β. 105.
 τ. 150. ω. 140. haesisset, non mirarer: hoc enim ali-
 quam rationem habet: sed quod illa, quae supra posui,
 tentat, magno opere miror. Nam in istis locis omnibus
 quum non de eo, quod vere futurum fuerit, sed de eo,
 quod ut futurum cogitabatur, sermo sit, apparet, recte
 18 adhibitum esse optativum. Vt id statim in primo osten-
 dam, non hoc dicit, *prosternere Hectorem poteris,
 quum ille tibi prope venerit:* neque enim venturum asse-
 verat: sed *poteris, quum prope venerit, si quidem ve-
 niet.* Eadem et reliquorum locorum ratio est, et illorum,
 in quibus Thierschius p. 13. coniunctivum reponi vult: II.
 γ. 54. *οὐκ ἂν τοι χραίσμη κίθαρς, τὰ τε δῶρ' Ἀφρο-
 δίτης, ἣ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὄτ' ἐν κονίησι μιγείης.*
 Od. ξ. 372. *οὐδὲ πόλινδε ἔρχομαι, εἰ μὴ πού τι περι-
 φρων Πηνελόπεια ἐλθέμεν ὀτρύνῃσιν, ὄτ' ἀγγελίη πο-
 θὲν ἔλθοι.* Nam neque Helena mortem denunciat Paridi,
 sed hortatur, ut cum Menelao pugnet, salvum rediturum
 sperans: neque Eumaeus, ubi nuncius venerit, tamquam
 si hoc fieri soleat, se dicit in urbem ire, sed si forte ve-
 niat nuncius. Thierschius quidem utroque in loco con-
 iunctivo, qui praecedat, optativum excludi dicit. Hoc
 quale sit, nescio. Sed viderit, quid faciat hoc loco, II.
 λ. 386. *εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθεῖης, οὐκ
 ἂν τοι χραίσμησι βιὸς καὶ ταρφέες ἴοι.* Alteri loco il-
 lustrando hic aptus est, Od. α. 415. *οὐτ' οὐν ἀγγελίης
 ἔτι πείθομαι, εἰ ποθεν ἔλθοι, οὔτε θεοπροπίης ἐμπά-
 ζομαι, ἦντινα μήτηρ, ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον,*

ἐξερέηται. Hoc enim, ut coniectores interrogaret Penelope, solebat fieri; illud, ut nuncius afferretur, et rarum erat, et fortuitum. Sic etiam ρ. 539. εἰ δ' Ὀδυσσεὺς ἔλθοι, καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαίαν, αἰψὰ κε σὺν ᾧ παιδί βίας ἀποτίσεται ἀνδρῶν. Non est autem mirum, saepe utrovis modo loqui licere, modo utervis sua propria vi aptus sit. Vt Π. κ. 305. δώσω γὰρ δίφρον τε, δῶω τ' ἐριαύχενας ἵππους, οἳ κεν ἄριστοι ἔωσι θεῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν, ὅστις κεν τλαίη, οἳ τ' αὐτῷ κῦδος ἄροίτο, νηῶν ἀκνπόδων σχεδὸν ἐλθέμεν. Dicit, si quis audeat, incertum relinquens, an talis futurus sit: quod si τλήη dixisset, qui fuerit ausus, expectare se indicaret, fore, qui auderet. Illud vero necessario dicendum erat, οἳ κεν ἄριστοι ἔωσι, qui optimi reperti fuerint: nam si, optativo usus, daturum se promisisset, si qui essent optimi vel possent esse, neminem tam incerti praemii spe permovisset. Od. η. 33. non erat satis idonea caussa, quare diceretur, οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ', ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθοι; rectiusque in altera lectione apud schol. 19 Harl. ad ν. 119. coniunctivus est, ὅτε κέν τις ἴκηται. λ. 147. ὄντινα μὲν κεν εἴς νεκρῶν κατατεθνηῶτων αἵματος ἄσσον ἴμεν, ὃ δὲ τοι νημερτές ἐνίψει· ᾧ δὲ κ' ἐπιφθονέοις, ὃ δὲ τοι πάλιν εἴσιν ὀπίσσω. Valde dubitari potest, sic, an ἐπιφθονέης dederit; si optativum, hoc dicoet, si cui inuideas: colloqui enim Vlysses cum umbris cupiebat, quaesieratque, non quomodo eas arceret, sed quomodo perduceret ad colloquendum. Sed χ. 443. θεινίμεναι ξίφεσιν ταννῆκεσιν, εἰσόκε πασέων ψυχὰς ἐξαφέλησθε, καὶ ἐκλελάθοιντ' Ἀφροδίτης, vix habet, quo defendatur. A poeta profectum puto ἐκλελάθητ'. Rationem habet illud, ο. 435. εἴη μὲν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε, ναῦται, ὄρκω πιστωθῆναι, ἀπήμονά μ' οἶκον ἀπάξειν: sed valde diversum est, quod legitur Iliad. ψ. 893. ἀταρ δόρυ Μηριόνη ἦρωϊ πόρωμεν, εἰ σύ γε σῶ θυμῷ ἐθέλοις· κέλομαι γὰρ ἔγωγε: quod modestiae est. Vide diss. de praeceptis Atticistarum p. 11. In illo vero, κ. 346. εἰ δ' ἄμμε παραφθαιῆσι πόδεσσιν, αἰεὶ μιν προτὶ νῆας ἀπὸ στρατόφιν προ-

τιελειν, manifesto vitiosus est optativus, ut in re certo futura.

Reliquae sunt duae aliae loquendi formae, de quibus monendi tirones sint. Una cernitur in particulis *ὄτε μή*, quarum exempla haec sunt apud Homerum: *Il. v. 317. αἰπύ οἱ ἐσσεῖται, μάλα πέρ μεμαῶτι μάχεσθαι, κείνων νικήσαντι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους, νῆας ἐνπρηῆσαι, ὄτε μή αὐτός γε Κρονίων ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῆσιν. ξ. 247. Ζητὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίουτος ἄσσοι ἰκοίμην, οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὄτε μή αὐτός γε κελεύοι. Od. π. 196. οὐ γάρ πως ἂν θνητὸς ἀνὴρ τὰδε μηχανώωτο ᾧ αὐτοῦ γε νόφ, ὄτε μή θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν φηιδίως ἐθέλων θείη νέον ἢ γέροντα. ψ. 184. τίς δέ μοι ἄλλοσε θῆκε λέχος; χαλεπὸν δέ κεν εἶη, καὶ μάλ' ἐπισταμένφ ὄτε μή θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν φηιδίως ἐθέλων θείη ἄλλη ἐνὶ χώρῃ.* Ex his, quae paullo ante dicta sunt, facile intelligi poterit, recte adhibitos esse optativos. Nam in nullo horum locorum de re sermo est, quae expectari possit, sed in omnibus fingitur aliquid, idque tale, quod eventurum esse ne credibile quidem sit. Quamobrem miror, quod Thierschius, dum anceps animi pendet p. 8. denique eo inclinat, ut ubique coniunctivum 20 reponi velit. Quas rationes affert, earum prima, quod per *ὄτε* conditio indicetur, qua tollatur, quod praecesserit, ea non video quorsum valeat: nam talis conditio, modo *μὴ* adiectum sit, aderit, quicumque verbi modus adhibeatur: altera autem, quod Apollonius Rhodius, qui ubique Homeri vestigia legat, coniunctivos tueri videatur, non una ex parte laborat. Primum enim tantum abest, ut Apollonius Rhodius Homerum ubique sectetur, ut eius oratio ab Homericamirum quantum discrepet: de qua re qui plura, quam quae obiter inspectis utriusque poetae carminibus occurrerint afferre velit, satis magnum possit librum conscribere. Deinde (non enim contendo nihil Apollonium ex Homero hausisse, sed aio plurima) est, ubi Apollonii auctoritas aliquid conferat ad Homeri usum cognoscendum; est vero etiam, ubi nihil utilitatis afferat, quia ille non ubique recte Homerum imitari videtur. De-

nique in hac re, de qua nunc agimus, quid valeat Apollonius, multo minus intelligi potest. Qui si erat commemorandus, non hic locus, I. 245. afferri debebat, (multo enim facilius unum Apollonii, corruptissimi scriptoris, locum ex quattuor Homericis, quam hos ex uno, eoque dubiae auctoritatis, Apollonii corrigas) sed IV. 409. Verum ne sic quidem quidquam efficietur, nisi ut appareat, Apollonium coniunctivo usum esse, ubi coniunctivus poni debebat, quemadmodum idem in eadem formula alibi recte optativo utitur.

Alter, de quo dicturus eram, usus optativi is est, quo frequens repetitio rei praeteritae significari putatur. Id vero prorsus falsum est, nec sequi hunc errorem, sed refutare debebat Thierschius. Nam etsi negari non potest, ubi de re saepius repetita sermo est, tam crebrum esse optativi usum, ut rarissima sint exempla in quibus ille non inveniatur, (apud Homerum non memini exemplum praeter II. γ. 221. in quo ipso, sed male, nonnulli libri optativum habent) tamen ea non optativi vis est, sed verbi, unde pendet optativus: hoc enim ubique tale est, ut in ipso insit diurnitatis vel repetitionis significatio: est enim plerumque vel imperfectum, vel plusquamperfectum: Iliad. α. 610. Od. τ. 49. *ἔνθα πάρος κοιμᾶθ' ὄτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἰκάνοι.* II. κ. 188. *πεδίονδα γὰρ αἰεὶ τετράφαθ', ὀππότε ἐπὶ Τρώων αἴτιεν ἰόντων.* Ac plerumque Homerus frequentativis verborum formis utitur, ut II. γ. 216. *ἀλλ' ὄτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς, στάσκειν, ὑπαὶ δὲ ἴδσκε.* Ad quam normam Aristoteles, Rhet. II. 9, 11. ex II. λ. 549. affert, *Ζεὺς γὰρ οἱ νεμέσασχ', ὄτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.* Frequentativis in eodem genere utitur Herodotus, ut VII. 119. Raro aoristum invenias, et sicubi, ita ut aliquid adiectum sit, quo repetitio declaretur, ut II. γ. 232. *πολλάκι μιν ξείνισσεν Ἀρηίφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὀπότε Κρήτηθεν ἴκοιτο.* Etenim optativus nullo modo potest repetitionem indicare, neque in istis locis omnibus, quorum millena afferri in eam rem possent, quidquam, nisi unum factum notat, sed ita, ut ex

multis factis, quorum notatio verbo adiecto inest, illud designet, quodcumque alicui cogitare libuerit. Eadem ratio est coniunctivi in rebus praesentibus. Od. τ. 515. *αὐτὰρ ἐπὴν νῦξ ἔλθη, ἔλθοι' τε κοῖτος ἅπαντας, κείμαι ἐνὶ λέκτρῳ.* Nam si in his vertendis vocabulo *quoties* uti licet, ea non coniunctivi virtus est, sed verbi *κείμαι*, ex quo de re solita fieri sermonem esse cognoscitur. Sed quaeri poterit, an Graeci, ubi de repetitione agitur, etiam praesenti iunxerint optativum. Quod etsi in se ipso nihil habet, quod repugnet, tamen non videtur temere concedendum. Non retulerim huc illud Il. α. 549. *ὄν δέ κ' ἐγὼν ἐθέλοισι θεῶν ἀπάνευθε νοῆσαι, μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διεῖρο, μηδὲ μετᾴλλα.* Mirum enim foret, ni Aristarchus hic, ut ι. 397. *ἐθέλωμι* scripsisset. Sed duo alii loci maius momentum habent: δ. 343. *πρῶτω γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο, ὀππότε δαῖτα γέρονσιν ἐφοπλίζοιμεν Ἀχαιοί.* Thierschius quidem p. 194. *ἀκουάζεσθον* putavit imperfectum esse, in qua re nec ducem, quod sciam, habuit, neque habebit, opinor, qui sequatur. Quamvis autem facile ex simillimo loco v. 260. coniunctivus inferri possit, tamen ita constanter omnes optativum tuentur, ut eum, nisi qui temerarius sit, vix videatur mutaturus esse. Alter locus est Od. ω. 343. *ἐνθα δ' ἀνὰ σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν, ὀππότε δὴ Διὸς ὥραι ἐπιβρίσειαν ὑπερθεῖν.* Hunc ut 22regulae accommodaret Thierschius, inauditum quid et pene incredibile commentus est, *ἔασιν* antiquum esse perfectum. In qua re alius adhuc, isque maior etiam inest error, quia, si non potest cum praesente construi optativus ista repetitionis significatione, non magis poterit cum perfecto: unde Thierschio hanc omnem rationem parum perspectam fuisse conicio. Mihi quidem hos locos consideranti videtur optativus ita cum praesente, quo aliqua repetitio contineatur, locum habere, si non, ut in coniunctivo, ad futuram, sed ad praeteritam partem praesentis respiciatur. Nam in priore loco, quod hactenus factum sit, exprobratur; in altero autem de vitibus sermo est, quas puer Vlysses olim a patre acceperit: quas ille

quum quotannis uvis abundasse sciret, quoniam adhuc cultas videt, utrumque tempus coniungit. Quare si quis vim verborum interpretando exprimere volet, ita dicendum erit: *primi adestis, quoties epulas apparabamus: omnis generis uvis abundant, quoties anni tempestas fecundarat.* Qualia sermoni familiari facile condonari possunt.

Postularet institutus ordo, ut etiam de illo conditionum genere explicarem, quo sumitur aliquid esse, quod simul non esse fatemur, vel contra. Cui rei indicativum aoristi, imperfecti, et plusquamperfecti destinatum esse, supra indicavi. Sed hoc ita et planum et pervulgatum est, ut rectius praetermittatur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium in epimetro illo, quod, pace viri amicissimi dixerim, totum retractari ab eo velim, ita in hoc genere vidi offendere, ut p. 211. monstruosum esse diceret illud Apollonii Rhodii l. 281. αἶθ' ὄφελον κείν' ἡμᾶρ αὐτίκ' ἀπο ψυχὴν μεθέμεν κηδέων τε λαθέσθαι, ὄφρ' αὐτός με τεῆσι φίλης ταρχύσασα χερσίν: quod rectissime dictum esse, et sic, ut aliter ne potuerit quidem, nisi aliunde, certe ex adnotationibus ad Vigerum p. 767. IV. et 805. notum esse credebam.

Eo igitur perducta disputatione, quo volebam, quod supra me facturum ostendi, ut modos verborum, quos ad comparationes adhibere Homerus solet, attingerem, id quoniam longius est, quam ut hic tractari possit, alia dissertatione, quae mox edenda erit, complectar. 23

DE LEGIBVS QVIBVSDAM SVBTILIO-
RIBVS SERMONIS HOMERICI DISSER-
TATIO SECVNDA *).

3 Non inepte mihi videtur Thierschius, quum de modis verborum, qui temporibus indicandis apud Homerum inseruiant, dissereret, seorsum tractasse eos locos, qui sunt in comparationibus; non quod harum alia sit, quam reliquae orationis, ratio: nam qui hoc fieri posset? sed quod quaestio illa, ad unum, idque haud amplum genus revocata, multo minus habere difficultatis potest, quam si per immensam loquendi formarum varietatem diffundatur. Non recte tamen, universa tractaturus, ordiari a tali aliquo genere: quoniam in parte aliqua consistenti proclivior ad errorem via est, quam universa, quantumvis varia et dissimilia, consideranti. Quare quum de modorum usu apud Homerum disserere instituerem, malui, priusquam de comparationibus dicerem, universam istius rei rationem describere, quam ab his initio facto, etsi id maxime perspicuum exemplum esse intelligebam, ad reliqua explicationem transferre. Etsi autem totus hic locus, qui est de comparationibus, facile potest ex iis intelligi iudicarique, quae iam sunt universe de usu modorum dicta, tamen habet ille etiam propria quaedam,

*) Edita est a. 1813.

non illa quidem recondita, sed quae tamen adnotasse non fuerit supervacaneum. Neque enim probo Thierschium, qui particulas temporales in comparationibus, si res ut praeterita narratur, cum indicativis praeteritorum; si ut praesens, cum coniunctivo; nusquam autem cum optativo construi contendit: a quibus regulis solam dicit particulam *ἦντε* recedere, quae etiam praesentis indicativum admittat, et ita quidem, ut excludat coniunctivum. Nam haec ego ut non esse vera existimem, rationes habeo gravissimas, unam, exempla, quorum multa, nisi violentius mutantur, repugnant regulis istis; alteram, graviorem etiam, rei ipsius naturam, quae talis est, ut non posse veras esse⁴ regulas istas evincat. Ab hac vero re ut par est, capiendum nobis erit disputationis exordium.

Ac nemo non videt, posse quid comparari vel cum eo, quod re vera est, vel cum eo, quod potest esse. Hoc alterum duplex est. Nam aut eo posse esse intelligitur, quia, si casus tulerit, re vera evenire solet; aut sola cogitatione; tamquam quod fiat, sumitur, etiamsi forte ne possit quidem fieri. Apparet, plane easdem hic cerni diversitates, quas supra in modis verborum esse vidimus. Vnde consentaneum videtur, quom quid cum re, quae vere est, comparatur, indicativo utendum esse; ubi autem cum eo, quod aliquando eveniat, coniunctivo; denique si cum eo, quod cogitetur tantum esse, nec sit, optativo.

Primum igitur de iis rebus dicatur, quae vere sunt. Has quis volet tali verbi modo indicare, quo non vere esse, sed posse esse significantur? Sed de tribus temporibus, quibus omnia eveniunt, unum, futurum dico, natura sua ad comparationem parum idoneum est. Quam enim declarandae rei inserviant comparationes, consentaneum est, potius cum eo, quod est vel fuit, comparandum aliquid esse, quia hoc, quale sit, novimus, quam cum eo, quod futurum sit, quod quoniam nondum cognovimus, ipsum potius aliqua comparatione illustrandum erit, quam ut ipsum aliam rem illustret. Quare futurum vix invenietur in comparationibus, nisi in lo-

cis corruptis: veluti Il. *v.* 707. Reliqua igitur sunt praeteritum et praesens. Vtrumque seorsum consideremus.

Ac praeteriti indicativo primum in re vere facta necessario utendum esse, nemo non videt. Sic Od. *v.* 66. *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρας ἀνέλοντο θύελλαι*, et quae multa ibi de his narrantur. Deinde vero alium usum hic indicativus habet, qui talis est, ut regulae supra positae repugnare videatur: usurpatur enim etiam de his, quae non revera esse, sed aliquando evenire intelliguntur. Non repugnat vero. Nam hoc ipsum maxime proprium est orationis poeticae, ut certa pro incertis commemoret, quaeque vel possunt fieri vel solent, ut vere facta referat, eoque rem, ex generis infinitate in singulari facti arctos fines contractam, certo in exemplo contemplandam exhibeat. Est autem haec ratio, ut modo indicavimus, duplex: nam aut ea, quae solent fieri complectitur: unde in his locis frequens est praesentis admixtio: Iliad. *ε.* 902. *ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπιγόμενος συνέπηξεν, ὕγρον ἔόν, μάλα δ' ὄκα περιστρέφεται κυκῶντι*: aut de re est, quae aliquando fit, ut Il. *γ.* 33. *ὡς δ' ὅτε τίς τε δρακόντα ἰδὼν παλινόρσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσης, ὑπὸ τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἅψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρὸς τέ μιν εἶλε παρειάς*. Quoniam autem etiam in tali facto sunt, quae ut solita consequantur, his quoque saepe admiscetur praesens. *λ.* 558. *ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβήσατο παῖδας, νωθῆς, ᾧ δὴ πολλὰ πέρι ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη· κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες τύπτουσιν ῥόπαλοισι· βίη δέ τε νηπιή αὐτῶν· σπουδῇ τ' ἐξήλασαν, ἐπεὶ τ' ἐκορέσατο φορβῆς*.

Venio ad praesentis indicativum, quem quum Thierschius, ubi cum particulis *ὡς ὅτε* coniunctus invenitur, coniunctivo cedere iubet, vereor ut huius rei rationem exploratam habuerit. Tantum abest enim, ut coniunctivus ex particula *ὅτε* pendeat, ut potius ex ipsa re et natura comparationis explicandus sit. Quid enim? Vnde eum pendere dicemus, ubi, quod saepissime fit, sola parti-

cula ὡς vel ὥστε praecedit? Immo sive harum aliqua particularum, sive articulus praecedit, res ipsa doceat necesse est, qui verbi modus vel potuerit vel debuerit adhiberi. Quod ut planum faciamus, de utroque modo simul dicendum videtur. Atque indicativus (de praesente autem loquor, etsi quaedam horum, quae dicam, etiam in praeteritum quadrant) is igitur natura sua primo id indicat, quod re vera est vel fit; deinde notat, quod permanet in eo statu, in quo est; denique etiam, quod solet esse, significat. Coniunctivum autem, qui modus ita aliquid cogitari iubet, ut id non omnino et simpliciter, sed, si quando sit, esse intelligatur, eum si cum indicativo compares, huic, pro triplici eius significatione, tribus modis oppositum videbis. Primum enim, ut indicativus rem, tamquam quae vere fiat, proponit, ita eam coniunctivus non omnino, sed sic tantum fieri, si quando fiat, significat. Il. ζ. 506. ο. 263. olim legebatur, ὡς δ' ὄτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτῃ, δεσμὸν ἀπορρήξας, θείει πεδίωιο κραινῶν. Nuper editum θείη. Neutrum falsum: sed si indicativo usus est poeta, rem, ut quae vere fieret, narravit, talem dicens rupto capistro equum luxuriare; sin coniunctivo, ut incertam commemorat, talem cogitandum esse equum, quando eveniat, ut aliquis equus se a stabulo proripuerit. Deinde, ut indicativus permanentem statum significat, ita coniunctivus, ut qui, an aliquid vere sit, incertum relinquat, transeuntem statum, i. e. factum singulare indicat. Il. ρ. 434. ἀλλ' ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἦτ' ἐπὶ τύμβῳ ἀνέρος ἐστήκη τεθνηότος, ἢ γυναικός. χ. 93. ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειρὶ ὀρέστερος ἄνδρα μένησιν, βεβρωκῶς κακὰ φάρμακ'. In priore loco graviter falleretur, qui coniunctivum putaret admitti posse: nam de permanente statu sermo est, cuius status contrarium ob id ipsum non est pravo verbi modo inferendum, quia sic is status tolleretur: nec Latinus sermo hic coniunctivum ferat. Contra in altero exemplo, ut in commemoratione facti singularis, quod non semper exstet, sed aliquando eveniat, recte posuit coniunctivum. Eamdem ob causam in priore loco

posui *ἐστήκη* pro *ἐστήκει*, quod si praesens verbi *ἐστήκω* esset, ferri posset: sed non est ita: quare in coniunctivum mutetur necesse est. Fortuitum enim est, statui columnam. Sic etiam Od. γ. 468. scribendum, *ὡς δ' ὄτ' ἂν ἦ κίχλαι τανυσίπτεροι, ἠὲ πέλειαι ἔρκει ἐνιπλήξωσι, τό θ' ἐστήκη ἐνὶ θάμνω*: ubi bona lectione, quam prima manus in cod. Harl. offerebat, uti nesciens Porsonus, in magnum errorem incidit. Eodemque modo Il. δ. 482. *αἰχειρὸς ὦς, ἦ ῥά τ' ἐν εἰαμενῇ ἔλεος μεγάλοιο πεφύκη* scribendum, non *πεφύκει*. Imperfecti enim, quodque eodem redit, plusquamperfecti usus in talibus locis plane monstruosus foret, quippe quo certa praeteriti temporis pars designaretur. Quod fugit Thierschium qui in epimetro p. 216. in his Il. λ. 474. *ὡσεὶ τε διαφοινοὶ θῶες ὄρεσθιν ἀμφ' ἔλαφον κερὰν βεβλημένον, ὄν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ ἰῶ ἀπὸ νευρῆς· τὸν μὲν τ' ἤλυξε πόδεςσιν φεύγων, ὄφρ' αἶμα λιαρὸν, καὶ γούνατ' ὀρώρη,* scribi iubet *ὀρώρει*. Nempe praeteritum praecessisse dicit, unde non esse coniunctivo locum. Hanc vero? Immo, ut supra observatum est, in comparationibus ubique praeteritum et praesens commiscentur, idque in primis in fine indicando locum habet. Sic Il. δ. 485. in eadem, cuius paullo ante mentio facta est, comparatione, *τὴν μὲν θ' ἀρματοπηγὸς ἀνὴρ αἰθῶνι σιδήρῳ ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψη περικαλλεῖ δίφρω.* ε. 522. *νεφέλησιν εἰοικότες, ἄς τε Κρονίων νηνεμῆς ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν ἀτρέμας, ὄφρ' εὐθῆσι μένος Βορέαιο καὶ ἄλλων ζαχρηῶν ἀνέμων.* Optativum ibi tantum hoc genus constructionum in comparationibus habet, ubi de re eo fine suscepta, ut quid possit fieri, agitur. Il. σ. 321. de leone ereptos catulos quaerente: *πολλὰ δέ τ' ἄγχε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἰχνί' ἐρευνῶν, εἴ ποθεν ἐξεύροι.* Et post praesens, ut quidem rhetores, Dionysius Halicarnassensis et Hermogenes, legebant, Il. μ. 434. *ἦ τε σταδμὸν ἔχουσα καὶ εἶριον, ἀμφὶς ἀνέλκει ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν αἰκία μισθὸν ἄροίτο,* nescio an recte. Sed ex eadem observatione apparet, recte Ixionem Od. ε. 488. legisse: *ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαινη,*

ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι, σπέρμα πυρὸς σῶζων, ἵνα μὴ ποθεν ἄλλοθεν αὐῆ, non αὖοι. Similia vide in superiore dissertatione p. XII. seq. Ita coniunctivum praeterito iunctum videas II. η. 5. ν. 64. ο. 363. ρ. 728. υ. 168. Od. δ. 357. 792. ξ. 65. τ. 206. ex quibus locis eum, qui II. ο. exstat, frustra vitio, quod nullum est, liberare studuit Thierschius p. 196.

Sed redeundum in viam est. Tertio enim quemadmodum indicativus solere aliquid fieri indicat, ita coniunctivus ad unum refertur ex pluribus factum. Od. τ. 518. ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρῆς ἀηδῶν καλὸν αἰείδησιν, ἕαρος νέον ἱσταμένοιο, δεινῶν ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκνιοῖσιν· ἧ τε θάμα τρωπῶσα χέει πολυήχεα φωνήν. Quod dicit, χέει, id significat *fundere solet*: nam si hoc vellet, nunc ipsum lusciniam, quum ita, uti dicit, in arbore sedens canit, fundere sonoram vocem, coniunctivo utendum erat, quemadmodum non αἰείδει, sed αἰείδησιν dixerat, non quamcumque canere solitam intelligens lusciniam, sed unam, eamque aliquo, quo cui libeat, temporis momento canentem describens.

Posuimus regulas et genera, quibus etiam si nihil amplius adderemus, sat lucis ad hanc rationem allatum arbitraremur. Sed iuvabit tamen singula explicatius pertractare. Et primum genus, quod est rerum vere exstantium, indicativum sibi postulare diximus. II. θ. 540. τιοίμην δ', ὡς τίειτ' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων. Referrī huc possunt η. 438. οἶός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης. ν. 298. οἶος δὲ βροτολογὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισιν. Od. ξ. 102. οἷη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα; et avium descriptio in Asio prato considentium II. β. 459. Quamquam haec scio etiam aliter posse intelligi. Certa vero haec sunt χ. 318. οἶος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῶ ἔσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἱσταται ἀστὴρ. ε. 5. ἀστέρ' ὀπωρινῶ ἐναλίγκιον, ὃς τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνησι λελουμένος ὠκεανοῖο. Sensere accuratiores grammatici, quum de Sirio sermo sit,

non esse coniunctivo locum, quem alii admiserant, sed indicativum requiri: eo spectat scholiastae Veneti adnotatio, supplenda ex Etym. M. p. 650, 7. Confirmatur hoc alio Homeri loco, χ. 26. *παμφαίνονθ', ὡστ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο, ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν· ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῶ· ὃν τε κύν' Ἰλιώνος ἐπίκλησιν καλέουσιν· λαμπρότατος μὲν ὄγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καὶ τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν:* et hinc Apollonii III. 957. *ὑπὸς ἀναθρώσκων; ἄτε Σείριος ὠκεανοῖο, ὅς ῥ' ἦτοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐσιδέσθαι ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἦκεν οὔζυν.*

Porro ubi permanens status significandus est, negamus, quaecumque particulae adhibeantur, alii modo, quam indicativo locum esse. II. ι. 14. π. 3. *ὥστε κρήνη μελάνυδρος, ἦτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ. μ. 132. ὡς ὅτε τε δρῦες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, αἰτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἡματα πάντα, ῥίξῃσιν μεγάλησι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι. ο. 614. ἦντε πέτρῃ ἡλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἀλὸς ἐγγὺς εὐῶσα, ἦτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα, κύματά τε τροφόντα, τὰ τε προσερεύεται αὐτῇ. ρ. 747. ὥστε πρῶν ἰσχάνει ὕδωρ, ὑλῆεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκῶς· ὅς τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίωνδε τίθησιν πλαζῶν, οὐδέ τί μιν σθένει ῥηγνῦσι ῥέοντες. Od. ι. 190. οὐδὲ ἐφῶκει ἀνδρὶ γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὄρέων, ὃ τε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων.* Nullus horum locorum coniunctivum admittit: quo posito fieri non posset, quin, quae nunc permanere significantur, fluxa et transeuntia intelligenda essent, ut illud II. ε. 161. *ὡς δὲ λέων ἐν βοῦσι θορῶν ἐξ ἀνχένα ἄξῃ πόρτιος ἢ βούς.* Quorum similia ingenti numero afferri possent: sed satis habeo adnotasse, indicativum futuri, qui ex huiusmodi exemplis saepius a Wolfio eiectus est, nondum, ut oportebat, cessisse coniunctivo II. β. 147. 395. (ubi non debebat Thierschius p. 177 *ὅτ' ἐκίνησεν* obtrudere) κ. 183. Od. ε.

368. Iam vero existimari poterit, quid sentiendum sit de his locis: II. λ. 492. *ὡς δ' ὀπότε πλήθων ποταμὸς πεδίωνδε κάτεισιν χειμάρρους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρω.* Zenodotus, cuius plurimae feruntur pravae correctiones, *πεδίωνδε διηται* scribebat. Id arripiens Thierschius p. 199. dum mire laborat, ut insolentem huius verbi usum aliquo modo defendat, quid aliud quam facit, ut iam torrentem non iugi perpetuoque cursu ferri, sed, leporis instar, simul et venire et evasisse videamus? Non multum differt illud ρ. 263. *ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῆσι διίπετέος ποταμοῖο βέβρωχεν μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι ἠϊόνες βοόωσιν, ἐρευγομένης ἀλὸς ἔξω.* Hic Thierschius p. 20. *βεβρώχη* legi iubens cum Aristarcho, hunc festinans auctorem nominavit lectionis, quae Aristophanis erat. Aristarchus enim, opinor, intelligebat, *βέβρωχεν* dictum oportere, ut de re, quae non interdum, sed perpetuo fieret. Coniunctivo usus est poeta in simili loco, ξ. 16. *ὡς δ' ὅτε πορφύρη πέλαγος μέγα κύματι κωφῶ, ὀσσομένον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα:* hoc enim non fit semper. Sed non est praetereundum aliud genus comparationum, quod etsi commemorationem continet rei transeuntis, tamen iure ad illas refertur, quibus permanens status describitur. Nam quum quis quid potest facere, id si facit, factum est singulare; 10 quum autem non potest, is perpetuus est et permanens status: omninoque negativae sententiae non ubique eandem, quam affirmativae, rationem habent. Ita in his locis: σ. 161. *ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἰθωνα δύνανται ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίσσθαι.* χ. 199. *ὡς δ' ἐν ὀνειρῶ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν.*

Venio ad tertium genus, quod est eorum, quae solent fieri. Hoc quoque indicativum postulat. Iliad. β. 87. *ἦντε ἔθνεα εἰσι μελισσάων ἀδινάων.* Ita cum eadem particula γ. 3. cum *ὡς ε. 499. ι. 4. π. 765. φ. 22. Od. τ. 205. υ. 14. cum ὡς δ. 433. μ. 278. ν. 703. π. 633. ρ. 755. Od. ν. 81. cum ὡς ὅτε II. β. 210. μ. 451.*

π. 364. σ. 219. χ. 162. ψ. 692. Od. ν. 31. cum οἶος II. ζ. 146. λ. 62. Od. σ. 193. τ. 233. cum ὄσος II. β. 468. ο. 358. π. 589. ψ. 431. 517. ω. 317. Od. θ. 124. cum ἄτε II. χ. 127. Sed quoniam, quae solent fieri, etiam ut semel facta narrari possunt, unde aoristi frequens usus hac in re est, non est mirum, si pleraque huius generis exempla etiam coniunctivum admittunt: quare ambiguum esse nonnumquam potest, uter modus usurpatus fuerit, v. c. II. β. 210. ὡς ὅτε κύμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται. Sed cur ad coniunctivum confugiamus, ubi nihil in indicativo vitii est? Nam si quis ὡς ὅτε cum indicativo praesentis construi neget, ei satis iam supra responsum arbitramur. Et respondebitur iterum infra. Quae quum ita sint, tantum abest, ut Thierschium probem, qui p. 19. seqq. II. π. 384. τ. 357. φ. 12. Od. ε. 433. μ. 253. ω. 7. coniunctivos reponi iubet, ut etiam ubi libri hunc modum offerunt, ut II. δ. 131. non sine dubitatione recipiendum putem. At non omnes indicativi tam facile removeri possunt. Quare alias quoque vias tentandas duxit Thierschius. II. ψ. 759. ἐπι δ' ὤρνυτο δῖος Ὀδυσσεύς, ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς εὐζώνοιο στήθεός ἐστι κανών, ὃν τ' εὖ μάλα χεῖρὶ τανύσση, πηνίον ἐξέκλουσα παρέκ μίτον, ἀγχοῦθι δ' ἴσχει στήθεος. Quis credat, haerere quemquam in his potuisse? Nam quemadmodum 11 τανύσση, ut in singulari facto, dici debebat, ita, quum, quid soleret fieri, indicandum esset, ἔστι dictum oportebat. At Thierschius, ὅτε non posse cum indicativo praesentis construi ratus, ἔστι p. 22. mutat in ἄγχι, ut ad ὡς ὅτε verbum ὤρνυτο mente repetatur, cuius repetitionis quae quattuor exempla affert, iis etiam si adiecisset hosce sex alios locos, II. ν. 471. 571. π. 406. Od. ε. 281. λ. 368. τ. 494. nihil tamen omnes probarent, quia in omnibus idem verbum, quod adiectum est, etiam in comparatione apte poni potuit: quod in hoc loco, cuius causa illos attulit, non est: quare horum nullus, sed II. ψ. 712. afferri debebat. Sed potuissent tamen isti loci certe hanc utilitatem habere, ut ne in epimetro illo p. 206.

Pindarum Thierschius reprehenderet. Sed si posthac, ut speramus, illud *ἔστι* immotum manebit, multo magis manebunt haec, II. δ. 422. *ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυήχει κῦμα θαλάσσης ὄρνυτ' ἐπασσύτερον.* θ. 555. *ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνεται ἀριπροπέα.* Nam quum imperfectum his in locis infert Thierschius p. 6: non cogitavit, id quod supra iam ostendimus, imperfectum prorsus a comparationibus alienum esse. Neque id diligentem Homeri lectorem fugere potest. Illud enim non vereor, ne quis *ἦεν* II. ο. 274. φ. 493. vel *ἔπεφνε* π. 487. ω. 759. vel *ἐπέχραεν* et *ἔχραεν* π. 352. Od. ε. 396. ut imperfecta afferat, vel *πίπτον* ex vitiosa interpunctione II. μ. 156. tueatur. Vnum proferri poterit *ἔσσεύοντο* II. λ. 549. ο. 272. sed Aristarchus, ut in posteriore loco, ita sine dubio etiam in priore legebat *ἔσσεύαντο*. Non autem sic nomino Aristarchum, ut qui quemcumque vel obscurissimum grammaticum, vel recentissimum codicem, si suae alicui opinioni faveat, auctorem testemque afferunt. Tam enim vir ille admirabili fuit ingenio, ut vix putem ad illustrandam Homeri dictionem, quod recte acuteque animadversum sit, afferri posse, quin illi cognitum perspectumque fuerit: ut haud sciam, an perinde habendum sit, Homerum atque Aristarchum intelligere. Redeo ad indicativum praesentis. Et abunde iam demonstratum est, eum recte cum particulis *ὡς ὅτε* construi. Quod si *ἂν*, ut et ab nobis alibi dictum est, et a Thierschio p. 186. concessum, nihil ad verbi modum 12 pertinet, non opus erit, quod ille vult p. 187. Iliad. μ. 41. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῆσιν κάρπιος ἠὲ λέων στρέφεται,* de coniunctivo cogitare, aut Od. κ. 410. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαιάς, ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσονται, πᾶσαι ἅμα σκίρουνσιν ἐναντίαι,* orationem putare abrupti: quamquam si quis pertinacius contendat, non magnopere repugnabimus.

Dictum est supra, quae soleant fieri, per indicativum designanda esse. Quod quoniam tale est, ut quasi rationatione quadam contineatur: nominatur enim, non

ἢ πάϊς ἄφρων. χ. 410. τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον, ὡς εἰ ἅπανα Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης. Od. ι. 313. αὐτὰρ ἔπειτα ἄψ ἐπέθηχ', ὡς εἰ τε φαρέ-
 τρη πῶμ' ἐπιθείη. κ. 415. δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὰς ὡς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἰκοίατο. 419. ὡς ἐχάρημεν, ὡς εἰ τ' εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα. ρ. 366. πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡς εἰ πτωχὸς πάλαι εἴη.

Possem hic finem facere. Sed addam tamen alias quasdam observationes de modis verborum in comparationibus. Ac primo Thierschius, ὅτε cum indicativo praesentis construi negans, etiam eos locos tentavit, in quibus haec particula non praecedente ὡς in comparationibus inveniatur. Π. β. 471. ἤντε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά, αἷ τε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν ὦρη ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. π. 641. ὡς ὅτε μυῖαι σταθμῷ ἐν βρομέωσι περιγλαγέας κατὰ πέλλας, ὦρη ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. Od. χ. 299. βόες ὡς ἀγελαῖαι, τὰς μὲν τ' αἰόλος οἴστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν, ὦρη ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται: cum quo loco hunc comparat. σ. 366. εἰ γὰρ νῶϊν ἔρις ἔργοιο γένοιτο ὦρη ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται. Π. π. 384. ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαίην βέβριθε χθῶν ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεὺς, ὅτε δὴ ρ' ἄνδρεςσι κοτσεσάμενος χαλεπήνη, οἱ βίη εἰν ἀγορῇ σκολιάς κρινῶσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὅπιν οὐκ ἀλέγοντες. Omisit ν. 334. ὡς δ' ὄθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι ἤματι τῷ, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους, οἷτ' ἄμυδις κόνιης μεγάλην ἰστάσιν ὀμίχλην, credo, quod etiam coniuncti-
 15 vus subintelligi posset. Neglexit ψ. 598. ὡς εἰ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέροη λήϊον ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι. In his igitur locis, quos attulit, omnibus p. 17. seqq. audacter coniunctivum reponi vult. Quod ego iudicium vehementer miror, tum propter usum Homeri, tum propter rationem grammaticam. Nam Homerum quidem quis nescit multa talia addere generatim, rei accuratius describendae causa: quae ob id ipsum, quod generatim dicuntur, per indicativum adicienda sunt: et ita

semper fit: veluti Il. ι. 440. *νήπιον, οὐπω εἰδὸθ' ὁμοίου πολέμοιο, οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν.* Deinde vero in illis locis, qui allati sunt, ne propter sensum quidem ubique coniunctivus reponi potest. Possit ille ferri in his, in quibus est, *ὄτε τε γλάγος ἄγγεα δέυει, ὄτε λαβρότατον χέει ὕδωρ, ὄτε φρίσσουν ἄρουραι,* si non universe intelligantur de eo, quod in vere, in auctumno, in segete fieri soleat; sed si de muscis tum vasa obsidentibus, quum fuerint madefacta lacte; de turbine tum oriente, si quando largos imbres fundat Iuppiter; de rore tum spicis adhaerente, si quando segete horreant campi. Plane vero abhorret coniunctivus ab reliquis. Nam, ut hoc utar, quid longi dies ad oestrum? aut quis Latine dicentem ferat, oestro boves agitari verno tempore, quum fuerint longi dies, nec videat dicendum esse, *quum sunt longi?* In altero autem loco, in quo eadem verba sunt, sensum quidem praeberet coniunctivus, sed alienum ab loci istius natura. Nunc enim Vlysses, indicativo usus, hoc dicit, si sibi certandum cum Eurymacho sit opere faciundo veris tempore, quo longi sunt dies, diuque manere in opere licet, victorem se esse futurum. Quod si coniunctivo usus esset, hoc diceret: *si certandum nobis sit tempore verno, quum dies longi fuerint, vincam ego:* quo videretur Eurymachum in proximum ver ad certamen provocare. Quod si his in locis falsus foret coniunctivus, in reliquis autem mori poetae contrarius, posthac immotos spero indicativos mansuros esse.

Quae modo de particula *ὄτε*, supra autem de iis particulis et pronomibus, quibus ad similitudinem indicandam utitur Homerus, dicta sunt, eadem omnia dicta volo de pronomibus *ὄς* et *ὅς τε*. Nam haec quoque tetigit Thierschius, qui in primo illorum, de quibus modo disputatum est, locorum, p. 17. legi vult, *αἴτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκωσιν*, similemque mutationem etiam in aliis in locis se facturum significat. At rectissime positus est indicativus, ut quo solere ita fieri indicetur. Nam ubi de re certa vereque exstante, vel de ea, quae solet fieri, vel de permanente statu sermo est, ne-

cessarius, ut ubique, ita etiam in pronomini usu indicativus est. Vbi autem de singulari facto agitur, coniunctivo locus est, nec tamen, ut excludatur indicativus, nisi si admissus rem ambiguum reddat. II. ψ. 517. ὄσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὡς ῥά τ' ἀνατὰ ἔλλησιν πεδίωο τιταινόμενος σὺν ἄχεσφιν. Licuisset hic etiam indicativo uti, quo res ut praesens describeretur. Sed π. 259. αὐτίκα δὲ σφήκεσιν δαιμότες ἐξεχέοντο εἰνοδίοις, οὓς παῖδες ἐριδμαίνωσιν ἔδοντες, si indicativo usus esset, ambiguum foret, utrum solere vespas a pueris irritari, an, quae eius mens erat, vespas, si quando irritatae essent, proruentes describere voluisset. Sed clarius apparebit hoc discrimen ex locis, in quibus uterque modus coniunctus est, ut II. γ. 60. αἰεὶ τοι κραδίη πέλεικς ὡς ἐστὶν ἀτειρής, ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρὸς ὑπ' ἀνέρος, ὅς ῥά τε τέχνη νήϊον ἐκτάμνησιν. Non recte enim legitur ἐκτάμνησιν. Animum dicit durum esse, ut securim. Durities ergo proprium in securi est et permanens: quod quum lignis rumpendis cernatur, indicativo id exprimit: sed etsi semper adest illa in securi durities, at non apparet, nisi quum quis ea aliquid caedit: hinc per coniunctivum addit, *qui arborem caedat*. Quod si pluribus verbis ista eloqui voles, dicendum erit, animum durum esse, ut securim, cuius hoc proprium sit, lignum perrumpere, si quis ea ad caedendum utatur. Satis esse arbitror, haec uno in exemplo ostendisse. Plura qui requiret, ὅς τε cum indicativo in re certa et vera positum inveniet II. ε. 5. ι. 5. λ. 270. ρ. 674. χ. 27. 29. de eo quod solet autem γ. 151. 198. ε. 525. η. 209. 257. ν. 102. 336. ξ. 399. π. 157. ρ. 21. 571. 757. υ. 253. τ. 521. ita denique, ut nihil nisi rei natura describatur λ. 298. 550. 17 μ. 146. 434. ν. 472. 571. 796. ο. 587. 631. π. 8. 757. ρ. 737. υ. 165. χ. 309. ω. 42. 81. Od. ε. 51. ζ. 131. ι. 323. ρ. 518. χ. 403. cum coniunctivo autem ita, ut, quoniam semper de facto singulari usurpatur, fere per *quando* vel *si* explicare possis, γ. 61. ε. 137. κ. 184. μ. 299. 423. ν. 138. 179. ο. 411. 579. 680. π. 590. ρ. 134. 725. σ. 319. φ. 283. χ. 23. ψ. 761. Od.

θ. 524. ν. 31. ψ. 234. Obiter addo, multo saepius ὅς τε, quam ὅς ρά τε dici, et ὅς ρά τε quidem cum indicativo multo rarius esse, quam cum coniunctivo. Loquor autem hic ubique de praesentis indicativo. Rarissimum autem est ὅς sine particula τε in comparationibus, quod cum coniunctivo invenies II. π. 260. 387. ρ. 110. Od. δ. 357. ξ. 65. π. 19. cum indicativo autem praesentis nescio an nusquam, si quidem duo loci, quos statim afferam, corrupti videntur. Nam II. σ. 207. sic legitur: ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵηται τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δῆϊο ἀμφιμάχονται, οἳ τε πανημέριοι στυγερῶ κρίνονται Ἄρηι ἄστεος ἐκ σφετέρου. In quo loco recte dictum κρίνονται: describitur enim hostis, nec possis pro οἷτε particulam temporalem vel conditionalem ponere. Quod quum possis pro τὴν, et pene debeas, quia id ipsum agitur, ut, quando ignem accendant, indicetur, ἀμφιμάχονται scribendum videtur. Praeterea vero ἄστεος ἐκ σφετέρου scribendum est, quod est idem atque ἄπο πατρίδος. Alioquin enim, ut Hēynius volebat, scribendum esset οἱ δέ, quemadmodum Zenodotum legisse coniectias, qui, de insularis haec intelligens, ἄστν ποτὶ σφετέρου scribebat. Eodem modo in hoc, Od. ε. 394. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπασίως βίωτος παιδεσσι φανῆη πατρός, ὅς ἐν νούσφ κείται κρατέρ' ἄλγεα πάσων, scribendum est κῆται. Non alienum erit observasse, praeteriti indicativum in huiusmodi locis recte poni: eandem enim habet vim, quam coniunctivus, ut rem ad factum singulare restringat. Ita in exemplo, huic, quod modo attuli, similimo II. ψ. 222. ὡς δὲ πατὴρ οὐ παιδὸς ὀδύρεται ὄστια καίων, νυμφίου, ὅς τε θανῶν δειλὸς ἀκάχησε τοκῆας. Poterat coniunctivum ponere, ut et in illo fecerat, et fecit in hoc, Od. θ. 523. ὡς δὲ γυνὴ κλαίησι φίλον πόσιν ἀμφιπεσοῦσα, ὅς τε ἐῆς πρόσθεν πόλιος λαῶν τε πέσσειν. Ita indicativus praeteriti cum pronomine ὅς τε 18 explicari potest II. η. 209. λ. 173. 475. ν. 390. (π. 483.) π. 353. 752. φ. 494. ψ. 432. 712. Od. π. 217. τ. 206. χ. 300. 384. et cum ὅς ξ. 233. (ψ. 160.) Alibi vero, ut in praesenti, vel simpliciter describendae rei inservit, ut II.

a. 522. v. 242. π. 583. 768. ρ. 282. ω. 758. vel solere quid fieri notat, ut μ. 157. v. 300. ρ. 549. 676. Sed ista coniunctivi ratio monet, ut dicamus de loco, qui singularis videtur, Od. τ. 108. ἡ γὰρ σιῦ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἰκάνει, ὥστε τευ ἡ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδῆς ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων, εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα πυρούς καὶ κριθῆς, βροῖθῃσι δὲ δένδρεα καρπῶ, τίττει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς, ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ. Quae si verae sunt lectiones, Ibycum ipsum, non Homerum, hos versus fecisse credas. Vulgo ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βροῖθῃσι, et sic etiam apud Platonem II. de rep. p. 363. B. ubi tamen ex codice affertur βροῖθουσι. Deinde τίττει quoque et παρέχει apud Platonem est, nisi quod Bas. secunda τίττοι: τίττει etiam Homeri cod. Harl. ex emendatione, et Vindobonensis 50. παρέχει. Et ἀνέχῃσι quidem coniunctivus omnino probandus. Quamquam enim hic indicativo videri possit locus esse, ut in descriptione regis boni, nec sermo sit de facto aliquo, sed de permanente conditione, tamen, quia non describitur rex, qualis unusquisque est, sed si quis talis sit, ut iustitiam colat, recte poni coniunctivum apparet. Quae autem sequuntur, si de more per indicativum adiecta essent, φέρει δὲ τε dedisset, opinor, poeta, et deinde βροῖθουσι, τίττει, παρέχει. Nunc, si genuina sunt φέρῃσι et βροῖθῃσι, coniunctivi sint necesse est, ut credibile fit, etiam τίττει et παρέχει esse genuina. Nam quod Thierschius p. 185. dicit, coniunctivum semel tantum ultra particulam δὲ extendi, II. ρ. 520. seqq. non est verum. Nam etiam Od. ξ. 65. habemus, ὅς οἱ πολλὰ κάμησι, θεός δ' ἐπι ἔργον ἀέξῃ. Eodemque referri poterit Iliad. κ. 360. ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δῦω κύνη, εἰδότε θήρης, ἡ κεμάδ' ἠὲ λαγῶν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεὶ χῶρον ἀν' ὑλήενθ'· ὁ δὲ τε προθέσει μεμηκῶς. Quamquam 19 dubitare me fateor, an etiam post indicativum inferri coniunctivus possit. Certe in illo loco, II. v. 703. ἄλλ' ὥστ' ἐν νεῖφ βός οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον ἴσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν πρυμνοῖσιν κεράεσσι πο-

λὺς ἀνακηΐει ἰδρωσ· τὼ μὲν τε ζυγὸν οἶον εὐξοον ἀμφὶς
 ἔεργει, ἰεμένω κατὰ ὄλκα· τεμεῖ δέ τε τέλσον ἀρούρης,
 ubi nec τεμεῖ nec τέμνει ferri potest, ex scholiastarum
 adnotationibus colligas fuisse, qui τεμῆ legerent, is ut
 esset coniunctivus aoristi secundi passivi: quam opinionem
 priusquam quis ut absurdam reiiciat, reputet velim, quae
 pro ea dici possint. Alia modi mutatio est in his II. ο.
 80. ὡς δ' ὅτ' ἂν αἶξῃ νόος ἀνέρος, ὅς τ' ἐπὶ πολλὴν
 γαῖαν ἐληλουθῶς, φρεσὶ πενκαλίμησι νοήσῃ, ἐνθ' ἦν
 (hoc vulgatae εἶνν praeferendum videtur) ἢ ἐνθα· με-
 νοινήσειέ τε πολλὰ. Wolfius ex Aristarchi sententia edi-
 dit μενοινήσει: sed quum haec aperte correctio sit, eo
 ipso efficitur, ut a poeta optativum profectum credamus,
 qui habet idoneam rationem, si sic intelligas, *ut subito*
transsilit mens viri, qui multis itineribus exercitus cogi-
tet, hic fui vel illic: possitque multa cogitare.

Sed semel mota quaestione de mutatione modorum
 non potest regula praetermitti, quam Thierschius p. 185.
 protulit, post particulam δὲ novam institui structuram
 posse, non etiam post τέ. Vnde ille β. 149. ex cod.
 Townl. ἐπὶ τ' ἦμυ' (ita volebat) ἀσταχύεσσιν, θ. 340.
 ἐλισσόμενον δὲ δοκεύει, λ. 156. πάντη δ', et p. 20. Od.
 ω. 8. ἔχονται, quoniam paullo ante ποτέονται, ei pla-
 cebat, scribendum censet. At longe alia est ratio, qua
 harum usus particularum in comparationibus continetur.
 Etenim τέ, sive idem, sive alius sequitur verbi modus,
 hunc usum praestat, ut partes comparationis coniungat
 eas, quae nullam inter se oppositionem continent, sed
 tantum alia alii accedunt. II. γ. 33. ὡς δ' ὅτε τίς τε
 δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη οὐρεος ἐν βήσσης,
 ὑπο τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρός
 τέ μιν εἶλε παρειάς. Δὲ autem vel oppositioni inservit,
 ut ε. 136. ὥστε λέοντα, ὃν ῥά τε ποιμὴν ἀγρῶ ἐπ'
 εἰροπόκοις οἴεσσιν χραύσῃ μὲν τ' αὐλῆς ἰπεράλμενον,
 οὐδὲ δαμάσῃ· τοῦ μὲν τε σθένος ὤρσεν, ἔπειτα δὲ τ'
 οὐ προσαμύνει, ἀλλὰ κατὰ σταθμούς δύεται, τὰ δ'
 ἐρῆμα φοβεῖται. π. 299. ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυ-
 20 φῆς ὄρεος μέγαλοιο κινήσῃ πνικινὴν νεφέλην στεροπηγε-

ρέτα Ζεύς· ἔν τ' ἔφρανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρόνοιας
 ἄκροισι, καὶ νῆπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερφάγη ἄσπετος
 αἰθήρ. Vel ad declarationem praecedentium adhibetur,
 ut β. 455. ἦν τε πῦρ αἰδηλον ἐπιπλέγει ἄσπετον ὕλην
 οὐρεος ἐν κορυφῆς· ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. δ. 75.
 οἶον δ' ἀστέρα ἦκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, ἧ ναύ-
 τησι τέρας, ἧ στρατῶ εὐρέϊ λαῶν, λαμπρόν· τοῦ δέ τε
 πολλοὶ ἀπὸ σπινθήρες ἴενται. 275. ὡς δ' ὄτ' ἀπὸ σκο-
 πιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνήρ ἐρχόμενον κατὰ πόντον
 ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς· τῷ δέ τ' ἀνευθεν εἶοντι μελάντερον
 ἦν τε πίσσα φαίνεται ἰὸν κατὰ πόντον· ἀγει δέ τε λαιλα-
 πα πολλήν· ῥίγησέν τε ἰδὼν, ὑπὸ τε σπέος ἤλασε μῆλα.
 Sed quid exempla in huiusmodi re congeram, quum prae-
 sertim verendum sit, ne vel sic multa attulerim, quae di-
 ligentem Homeri lectorem non lateant. Non poenitebit
 me tamen haec attigisse, si illud effetero, ut ne quis iusto
 calidius de hoc genere pronunciet. Quod si hic illic, ut
 mihi videtur, factum est a Thierschio, non sum nescius,
 accidisse id obruto distractoque magna negotiorum et
 multitudine et varietate, ut qui saluberrimum suscepit
 opus instaurandi in Bavaria strenui antiquarum litterarum
 studii: quod opus successus habere felicissimos, egregiam-
 que iuventutem navi et industrii ducis solertia efflorescere,
 satis Acta illa testantur Monacensia.

DE AESCHYLI GLAUCIS DISSERTATIO *).

Isaacus Casaubonus, quum Aeschyli Glaucum Potniensem non semel a veteribus commemorari meminisset, nec recordaretur, Pontii quoque Glauci interdum mentionem fieri, apud Athenaeum III. p. 87. A. ἐν Ποτυεῖ Γλαύκῳ pro ἐν Ποτυίῳ Γλαύκῳ scribendum censuit. Cuius errorem qui notavit, Ianus Rutgersius in Var. Lectt. II. 6. p. 92. scholiastam Euripidis, scriptorem vitae Arati, Strabonem Athenaeumque auctores nominans, ipse negligentiae reprehensionem tulit ab novissimo editore Athenaei, iniuria, saltem quod ad vitam Arati attinet, quam hic, quod miror, nullam se nosse scribit, in qua Aeschyli Glaucus memoretur; nec de scholiasta Euripidis litem moveam Rutgersio, qui aut ineditum citasse, aut vitioso codice in Phoen. 1229. (1201.) usus videtur. Sed iam ante Rutgersium Paullus Leopardus Emendatt. XI. 24. et 25. Potniensem Glaucum a Pontio distinguendum esse monuerat, non inepte Ovidii verbis in Ibide v. 557. usus:

*Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum,
inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas.*

*) Edita est a. 1812.

Eademque etiam Io. Meursii sententia fuit, et Salvagnii, et Stanleii, aliorumque. Quorum quum etiam qui caeteris explicatius de hac re disseruit, Meursius in Aeschylo, reliquisse videatur, quod addi possit, operae pretium me facturum puto, si, oblata scribendi opportunitate, plenius haec atque accuratius exponam. Dicitur autem de utraque fabula seorsum. Nam duos ab Aeschylo scriptos esse Glaucos, certissimum est, etsi Casaubonus speciosum pro sua opinione testem affert indicem fabularum Aeschyli, qui vitae eius in edd. subiectus est. In quo indice unus tantum memoratur Glaucus, isque Ποτνιεύς, modo ne haec sit, ut equidem suspicor, emendatio Turnebi, eandem, ut Casaubonus, opinionem sequuti. Nam codex Guelferbytanus et edd. Aldi ac Robortelli Γλαῦκος Πόντιος habent. Sed videamus primo de Potniensi Glaucō.

Celebratissimi fuerunt apud veteres ludi, quos Acastus in funere Peliae instituit: quos illustri aliquo carmine descriptos fuisse, vel ex eo intelligi potest, quod teste Pausania III. 18, 9. V. 17, 4. caelo expressi fuerunt in throno Amyclaeo et arca Cypseli. In his ludis, quos Iolci factos esse ex Apollodoro I. 9, 28. discimus, (nam Argis quomodo institui potuerint, quod nomen Munckerus in Hygini fab. 273. pro *Argivis* reponi volebat, nemo explicuerit) praeter alios, quorum certamina refert Hyginus, etiam Glaucus Sisyphi f. quadrigis decertans, quae res ei, ut ex Etymol. M. p. 54, 48. cognoscimus, iam ante Olympiae male cesserat, exitium invenit. Simplicius, quam reliqui scriptores, Nonnus Dionys. XI. 143. p. 302, 31.

Γλαῦκον ἀπεστυρέλιξαν ἐπὶ χθονὶ λυσσάδες ἵπποι.

Nam communis narratio est, nota illa vel ex Palaephato c. 26. discerptum ab equabus esse. Ita Hyginus fab. 250. et 273. Virgilius Georg. III. 266.

*Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:
et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.*

Ibi Servius: *Potniae civitas est, de qua fuit Glaucus, qui quum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus eius immisit furorem, quibus utebatur ad currum, et eum morsibus dilaceraverunt. Et mox: hoc autem ideo fingitur, quod eis furorem Venus immiserit, quia dilaniatus est Glaucus effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet a coitu, ut essent velociores. Probus autem sic: Potnia urbs est Boeotiae, ubi Glaucus Sisyphi f. et Meropes, ut Asclepiades in tragodumennon lib. I. ait, habuit equas, quas adsueverat humana carne alere, quo cupidius in hostem irruerent et perniciosius: ipsum autem, quum alimenta deficerent, devorarent in ludis funebribus Peliae. Quidam aiunt has equas Diomedis fuisse, quas Hercules ad Eurysthea perduxerit, et ab Eurystheo et Sisypho distractas, eumque filio suo dedisse. Cum his conspirant, quae 5 ad Eurip. Phoen. 1159. ubi poeta Potniades equas, furentibus similes, in clipeo expressas commemorat, a scholiastis narrantur, nisi quod unus eorum haec addit, quae quo spectent nescimus: *Γλαῦκον δὲ οὐ τὸν ἀπὸ Σισύφου, ἀλλὰ τὸν Θραῖκα τὸν ἄγριον*: alius autem Potniis lacertatum ab equabus Glaucum scribit. Possit Strabo quoque ita videri sensisse, qui IX. p. 627. sic scribat: *ἔστι δὲ καὶ ἡ Δίρκη κρήνη καὶ Πότνιαι, ἐφ' ὧν μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ποτνιέα Γλαῦκον, τὸν διασπασθέντα ὑπὸ τῶν Ποτνιαδῶν ἵππων, τῆς πόλεως (Thebas dicit) πλησίον*: ad quem locum respicit Eustathius p. 269, 34. Verum nihil ille, opinor, aliud voluit, quam contraxisse equas furorem isto loco. Cuius rei causam sunt qui herbam quamdam perhibeant. Scholiastes Eurip. ad Orest. 318. *Πότνια δὲ χωρίον ἐστὶ Βοιωτίας, ἐνθα φαροῦσαι βοτάνιον αἱ Γλαύκου ἵπποι, (τοῦ Βελλεροφόντου addit Etym. M. p. 685, 42. qui eadem habet) καὶ μαρῖσαι διεσπᾶσαντο τὸν ἴδιον δεσπότην ἐν τῷ ἐπιταφίῳ Πελίου. Plinius H. N. XXV. 53. circa *Abderam et limitem, qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie; circa Potnias vero et asini. Alii vero fontem Potniis fuisse tradunt, cuius aqua rabiem equis afferret, ut Pausanias***

IX. 8, 1. et Aelianus H. A. XV. 25. qui etiam, quae Plinius de herbis circa Abderam scribit, de fluvio illius regionis narrat. Hoc sequutus est Philargyrius, qui haec ad Virgilio locum adnotavit: *Glaucus Sisyphi f. quum ad gymnicum certamen quadrigam duceret, applicuit ad vicum Boeotiae, et equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equae, furore exagitante, in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur.* (Burmanno auctore gymnicum pro mimicum adscivi: nam Masvicii coniecturae, *Isthmium*, qui solus favere videatur, Pausanias, non multum favet: nam VI. 20, 9. quum scribat, *ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἰσθμῷ ταράξιππος Γλαῦκος ὁ Σισύφου*, addit haec: *γενέσθαι δὲ αὐτῷ τὴν τελευταίην λέγουσιν ὑπὸ τῶν ἵππων, ὅτε Ἄκατος τὰ ἄλλα ἔθηκεν ἐπὶ τῷ πατρὶ.*)

Hunc igitur Glauci exitum Aeschyleae tragoediae argumentum fuisse ut per se credibile est, ita etiam ex fragmentis intelligitur. Ac videtur nuncius certamen quadrigarum enarrasse: in qua narratione locum certe habuit hic versus:

6 *ἀγὼν γὰρ ἄνδρας οὐ μένει λελειμμένους,*

servatus a scholiasta Platonis p. 16. ed. Ruhnk. 27. Siebenk. Certius vero hinc ducta sunt haec in scholiis ad Eurip. Phoen. 1229. (1201.)

*ἐφ' ἄρματος γὰρ ἄρμα καὶ νεκρῷ νεκρός,
ἵπποι δ' ἐφ' ἵπποις ἦσαν ἐμπεφυγμένοι.*

Ibi cod. Aug. *ἐφ' ἄρματι γὰρ ἄρμα, καὶ νεκρῶν νεκροί:* sed vulgatam tuetur Aristophanes, qui in Ranis v. 1450. (vide schol. ad v. 1447.) hunc Aeschyli versum affert, eique hanc explicationem subicit, *δύ' ἄρματ' εἰσέθηκε καὶ νεκρῷ δύο.* In secundo versu, quum cod. Aug. *ἐμπεφυγμένοι* praeberet, Valkenarius ad Phoen. 1201. corrigendum censuit *ἐμπεφυρμένοι*, apte comparans Virgilium Aen. XI. 638.

*armaque, corporaque, et permisti caede virorum
semianimes voluntur equi.*

Quamquam de veritate emendationis est quod dubites. Nam quum φ et $\varphi\rho$ saepissime commutentur, de qua re vide, si opus est, Bastium ad Græg. Cor. p. 747. facilius etiam ἐκπεφραγμένοι vel ἐμπεφραγμένοι scribi poterit. Euripides certe, cuius cum verbis Aeschylī versus comparavit scholiastes, ita dixit:

τροχοὶ τ' ἐπήδων, ἄξονές τ' ἐπ' ἄξουσιν.
νεκροὶ δὲ νεκροῖς ἐξεσωρεύονθ' ὁμοῦ.

Verbo ἐκφράσσειν quidem quae significatio ab H. Stephano et inde ab aliis adscribitur, ita repugnat analogiae, ut verear, ne exemplis, quae idonea sint, confirmari nequeat.

Ipsas Glauci equas dominum lacerantes ita describebat nuncius:

εἰλικον δ' ἄνω λυκηδόν, ὥστε διπλοοὶ
λύκοι νεβρὸν φέρουσιν ἀμφὶ μασχάλαις,

Schol. Ven. ad Iliad. XIII. 198. tantum εἰλικον ἄνω λυκηδόν, Eustathius p. 927, 39. omnia praeter duo extrema vocabula affert, uterque sine ullo fabulae indicio. Sed scholiastes Victorianus apud Heynium vol. VI. p. 644. non modo integros hos versus habet, nisi quod hic quoque, ut illi, δὲ omittit, sed etiam de Glaucō dicit sermonem esse. Non inepte coniicias, his versibus hunc fuisse subiectum, nisi obstat forma Dorica,

λεοντοχόρταν βούβαλιν νεαίτερον,

quem sine fabulae indice servavit Eustathius. p. 1625, 44. et ex eo Favorinus in v. τράγοι.

Praeterea haec ex Potniensi Glaucō afferuntur. Scholiastes Aristoph. ad Ran. 1576. πρῶτα μὲν εὐοδίαν ταῦτα δὲ παρὰ τὰ ἐν Γλαύκῳ Ποτνιαῖ Αἰσχύλου· εὐοδίαν μὲν πρῶτα ἀπὸ στόματος χέομεν. Videtur πρῶτον scripsisse Aeschylus, nisi aliquid omisit scholiastes. Hesychius: ἀμφίωπον, περίωπον, πάντοθεν ἀναπεπτάμενον· Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιαῖ. Idem: εὐφήμοις γόοις, δυσφήμοις, πατὰ ἀντίφρασιν· Αἰσχύλος γλαύκο-

ceperat, herbae cuiusdam contactu reviviscere et in mare desilire vidisset, gustata ea herba ipse quoque in mare se praecipitasse, et deus marinus factus esse perhibetur *). Plurimas de eo fabulas refert Athenaeus lib. VII. p. 296. seq. quarum partem repetit Eustathius p. 271. Praeter hos vide eundem Athenaeum XV. p. 679. A. Philostratum Imag. II. 15. Scholiastas Apollonii ad I. 1310. Euripidis ad Orest. 364. Tzetzen ad Lycophr. 754. Neque scholiastes Euripidis ad Orest. 318. Pontium Glaucum cum Potniensi confudit, quod ex his eius verbis colligi possit: *Πόντια πόλις Βοιωτίας, ὅθεν ὁ Γλαῦκος ἐμμανῆς γέγονε, καὶ ἤλατό εἰς τὴν θάλασσαν*, sed mutilum est scholion, integrandum ex Etym. M. p. 685, 44. Porro attigerunt hanc fabulam Strabo IX. p. 621. Nonnus Dion. XIII. 73. p. 354, 27. XXXV. 73. p. 868, 22. XXXIX. 99. p. 996. extr. ubi quum eum vocat *πόντιον Λοῦκα Ἀνθηδότος ἀστὸν ἀρούρης*, respexit ad Lycophr. III. 754. *ἀστὴρ σύννοικος Θρηκίας Ἀνθηδότος*. Ex Latinis autem luculenter de Glaucō marino egit Ovidius Metam. XIII. 904. usque ad XIV. 69. qui obiter mentionem fecerat VII. 232. s. Ex eo hausit Ausonius in Mosella v. 276. ss. Praeter hos vide Statium in Theb. VII. 335. seqq. et ibi veterem eius interpretem; tum Hyginum fab. 199. Naturali modo explicatur fabula ab Eudocia p. 98. ab Apostolio proverb. VI. 32. a Palaephato c. 28. a Fulgentio II. 12.

Iam Aeschyli fabulam praestantissimi viri, Leopardus, Rutgersius, Meursius, Salvagnius, Scherpezelius, Valckenarius, Ruhnkenius tragoediam fuisse putarunt.

*) Post editam hanc dissertationem ex Bekkeri Anecdotis haec accesserunt fragmenta: p. 347, 24.

ὁ τὴν αἰζῶν ἄφθιτον πόαν φαγών.
Et v. 29.

καὶ γεύομαι πῶς τῆς αἰζῶου πίας.

Et p. 6, 21. ἀνθρώποισι δὲ θηρίον ὕδατι συζῶν· ἐπὶ τοῦ Γλαύκου, ἀναφανέντος ἐν τῆς θαλάσσης· Αἰσχύλος.

HERM. OP. II.

E

9 At nec veterum quisquam hoc testatur, Pausaniasque *δράμα* appellare maluit, nec de argumento ita constat, ut inde quidquam, quod certum sit, colligi possit; tum ex fragmentis, quae pauca supersunt, illud certe, quod Athenaeus III. p. 87. A. attulit,

κόγχοι, μύες, κῶστρεια

(sic pro κ' ὄστρεα ex eiusdem Athenaei observatione p. 93. E. scribendum: *μύες ὄστρεια* sic iungit Anaxandrides apud eundem p. 131. E. v. 59.) satyricam fabulam potius, quam tragoediam videtur redolere. Apertius vero indicium praebet scholiastes Theocriti ad IV. 62. *τοὺς σατύρους ἀκρατεῖς οἱ πλείονές φασιν, ὡς καὶ τοὺς Σειληνοὺς καὶ Πάνας, ὡς Δισχύλος μὲν ἐν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἀνδρομέδῃ.* Ita haec scripta affert Casaubonus de satyr. poes. I. 5. ex codice, ut opinor, quo eum usum esse constat. Toupium enim mitto, vulgatam, in qua *ἀκρατεῖς* deest, sic interpretantem, ut satyros et Silenos a nonnullis Panes vocatos dici velit. Certum autem esse arbitror, marinum Glaucum in hoc scholio intelligi, non Potniensem, quam tragoediam fuisse et argumentum docet, et mentio facta in praefatione veteri ad Persas, ubi, si satyrica fabula fuisset, non tertio, sed quarto loco esset nominata. Quod pulcre animadvertens Casaubonus, quum non nisi unum ab Aeschylo scriptum esse Glaucum existimaret, ita corrigendum in ista praefatione censuit, *Φινεῖ, Πέρσαις, Προμηθεῖ, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ*; perperam sane, sed in eo tamen verum videns, quod Glaucum, quem scholiastes Theocriti citaret, satyricum esse intellexit. Et sic Toupius quoque Glaucum satyricum fuisse pronunciat, etsi solita festinatione non quaerens, utro de Glauco agatur.

Iam de argumento fabulae videamus. Id Ruhnkenius videtur positum putasse in infelici amore, quo Glaucus Scyllam deperisse fertur. Nam ad Velleium II. 83, 2. ubi is Plancum, caeruleatum et nudum caputque redimitum arundine, et caudam trahentem, genibus inni-

xum, Glaucum saltasse in convivio narrat, ita scribit: *Plancus, ni fallor, saltando effinxit Aeschyli Γλαῦκου πόρτιον, de qua tragoedia opportuniore loco dicemus. Ex ea sumta videntur, quae de Glaucō narrat Ovidius Met. XIII. 904. seqq. cuius hi versus cum Velleio comparandi:*

*hanc ego tum primum viridem ferrugine
barbam,
caesariemque meam, quam longa per aequora
verro,
ingentesque humeros et caerulea brachia vidi,
cruraque pinnigero curvata novissima pisce.*

Velleii loco usus est Ios. Mercerus ad Aristaeneti I. Ep. 26. Movisse Ruhnkenium videtur tum mentio facta in hac fabula Siciliae, locorumque circa Scyllam, tum descriptio Glauci, de qua testem habemus Pausaniam X. 4, 5. καλεῖσθαι δὲ τὰ δασέα ὑπὸ τῶν πάλαι δαῦλα· ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ Αἰσχύλον τοῦ Γλαύκου τοῦ Ἀθηδονίου γενεῖα ὑπήνην ὠνομακέναι δαῦλον. Integrum versum servavit Etym. M. p. 250, 4.

δαῦλος δ' ὑπήνη καὶ γενειάδος πνυθμήν.

Omissum ibi δ' inserendum ex Eustathio p. 274, 24. qui verba δαῦλος δ' ὑπήνη affert. At in Glauci quidem descriptione nihil mirum si scriptores consentiunt: consentitque etiam Philostratus Imag. II. 15. Ad Scyllam vero quod attinet, parum verisimile est, de hac egisse Aeschylum, quum Athenaeus, qui curiose testimonia scriptorum de Glaucō congregavit, aliis auctoribus in Scyllae fabula exponenda utatur, Aeschyli autem nullam faciat mentionem. Omninoque ut non fortunam aut casum aliquem Glauci, sed vaticinia eius ab Aeschylō tractata esse putem, quum illud ipsum Athenaei silentium me movet, tam Pausanias, qui IX. 22, 6. sic scribit: *τούτων τε δὴ ἐστὶ τῆ Ἀθηδόνι μνήματα, καὶ ἐπὶ τῆ θαλάσῃ καλούμενον Γλαύκου πήδημα· εἶναι δὲ αὐτὸν ἀλιέα, καὶ ἐπεὶ τῆς πόας ἔφαγε, δαίμονα ἐν θαλάσῃ γενέσθαι,*

καὶ ἀνθρώποις τὰ ἐσόμενα ἐς τόδε προλέγειν, οἳ τε ἄλλοι πιστὰ ἤγηται, καὶ οἱ τὴν θάλασσαν πλείοντες πλείστα ἀνθρώπων ἐς τὴν Γλαύκου μαντικὴν κατὰ ἔτος ἕκαστον λέγουσι. Πινδάρῳ δὲ καὶ Αἰσχύλῳ πυνθανομένοις παρὰ Ἀνθηδονίων, τῷ μὲν οὐκ ἐπὶ πολὺ ἦλθεν ἄσαι τὰ ἐς Γλαῦκον, Αἰσχύλῳ δὲ καὶ ἐς ποιήσιν δράματος ἐξήρκεσε. Quod si Rhegium, locosque qui circa sunt, et Siciliam poeta commemoravit, veri simile est, Glaucum alicui, qui ista loca adisset, fata cecinisse.

11 Quis autem non statim de Hercule cogitet? Sumamus, de hoc agi, et videamus, an ita aliquid, quod probabile videatur, effici possit: sed meminerimus simul, quamvis quid speciosum sit, posse etiam nōn verum esse. Nihil enim nec periculosius est in antiquitatis pervestigatione, nec turpius, quam incerta temere pro certis arripere. Herculi igitur, quum is inter Argōnautas Colchos peteret, vaticinatum esse Glaucum ex Apollonio Rhodio I. 1310. sqq. Diodoro Siculo IV. 48. Philostrato Imag. II. 15. Eudocia p. 97. constat. Quam narrationem si est Aeschylus sequutus, certe eam sic videbitur temperasse, ut Herculem iam parte laborum profligata cum Glaucō congressum fingeret. Nam, si quidem de Hercule sermo fuit in Aeschyli fabula, ipse se dixit in Siciliam venisse. Scholiastes Pindari ad Pyth. I. 152. Ἰμέρας, ποταμὸς Σικελίας, περὶ οὗ καὶ Αἰσχύλος φησὶν ἐν Γλαύκῳ,

καλοῖσι λουτροῖς ἐκλελούμενος δέμας
εἰς ὑψίκορημον Ἰμέραν ἀφικόμην.

Ita quidem corrigunt, nec male. Editum est ἐκλέλουμαι et Ἰμέραν δ' ἀφικόμην. Possunt autem haec eo magis videri ad Herculem spectare, quod ei Siciliam peragranti nymphae thermas ad Himeram, aliasque ad Egestam excitasse dicuntur, ut refert Diodorus IV. 23. Atque haud inepte coniicias, his versibus statim subiectum fuisse illum versum, quem non indicato fabulae nomine Pollux servavit, ita scribens VII. 167. Αἰσχύλος δ' ἂν εἰοίκοι τὰ βαλανεῖα λουτήρια λέγειν,

λουταί γε μὴν λουτήριον αὐτὸ δεύτερον.

Scribendum puto, quamvis in satyrica fabula, *λουτήρι αὐτὰ δεύτερα*. Suspiceris autem, secunda haec dici lavacra propter thermas Egestaeas. Paulo post credas positum fuisse versum, quem statim addit Pollux,

ἀλλ' ἐκ μεγίστων εὐμαρῶς λουτηρίων.

Venerat autem Hercules in Siciliam, quum ei Geryonae armenta agentī taurus ab Rhegio in Siciliam tranatasset, ut Apollodorus II. 5, 10. p. 134. scribit, quam rem etiam Dionysius Halic. Ant. Rom. I. p. 28, 4. ed. Sylb. ex 12 Hellanico, sed nulla Rhegii mentione facta; et paullo aliter, qui meminit agri Rhegini, Diodorus IV. 23. narrant. Vide Cluverium in Ital. ant. I. 1. p. 5. ss. Diodorus quidem Herculem nando traiecisse fretum dicit, unde audaciora amantibus alia patet via, qua *λουτήρια* ista explicant. Ex illa autem Rhegii mentione colligas, fortasse ad Pontium Glaucum pertinere, quae Strabo p. 396. his verbis retulit: *ὀνομάθη δὲ Ῥήγιον, εἶθ' ὡς φησιν Δίσχυλος, διὰ τὸ συμβᾶν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· ἀπορῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ἐπὶ σεισμῶν, ἄλλοι τε κἀκείνος εἶρηκεν,*

ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται.

Ac loca circa Rhegium, ipsumque Rhegium ab Aeschylo commemorata esse, ex Hesychio discimus, apud quem perperam, ut equidem existimo, Potniensis Glaucus pro Pontio citatur in his: *Ξιφύρου λιμὴν, Δίσχυλος Γλαύκῳ Ποτνιαί, ὁ πορθμὸς· ταῦτα γὰρ πάντα τὰ περὶ Ῥήγιον ὠρείων*. Ita codex. Corrigunt, *τῶν περὶ Ῥήγιον ὀρίων, vel νεωρίων*. Casaubonus autem ad Athen. p. 170. et Hadr. Iunius *Ξιφύρου λιμὴν* scribunt, quo nihil proficimus. Malit quis forsitan *Ζεφύρον* vel *Ζεφυρίου λιμὴν*. Nam non longe abest promontorium Zephyrium, quod *Ζεφύρον ἄκρην* vocat Dionysius Perieg. v. 364. sub eoque portus fuit. Strabo VI. p. 397. *μετὰ δὲ τὸ Ἡράκλειον ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον, ἔχου-*

σα τοῖς ἐσπερίοις ἀνέμοις λιμένα, ἐξ οὗ καὶ τοῦνομα. Verum mittam hoc: iam enim afferendum est, quod hanc viam praecludat, aliamque tentare suadeat. Dico autem hunc Strabonis locum p. 686. s. ἔστι δὲ πᾶσα μὲν ἡ Εὐβοία εὐσειστος, μάλιστα δ' ἡ περὶ τὸν πορθμόν, καὶ δεχομένη πνευμάτων ὑποφοράς, καθάπερ ἡ Βοιωτία καὶ ἄλλοι τόποι, περὶ ὧν ἐμνήσθημεν διὰ πλειόνων πρότερον· ὑπὸ τοιοῦδε πάθους καὶ ἡ ὁμώνυμος τῇ νήσῳ πόλις καταποθῆναι λέγεται, ἧς μέμνηται καὶ Αἰσχύλος ἐν τῷ ποντίῳ Γλαύκῳ·

*Εὐβοίδα καμπὴν ἀμφὶ Κηραιῶν Διός
ἐκτὴν, κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Δίχα.*

Ita codd. pro vulgato καμπτήν. Hos versus Valckenarius subiectos putabat alii versui, de quo ipsa summi viri verba afferam ex diatr. de fr. Eur. p. 143. C. *idem illud* 13 *participium* (ἀπεκπετωκότας), *sed paullum diverso significatu positum, miram subit corruptelam in Aeschyli versu, quem ex eius Γλαύκῳ ποντίῳ vita praebet Arati, post Victorium, vulgata D. Petavio in Vranolog. p. 269. A. εἰσι δὲ καὶ τῆς Εὐβοίας Ἀθηναίων Δαΐδαις μέμνηται* (in margine corrigitur Ἀθηναίῳ ὧν μέμνηται) ἐν Γλαύκῳ ποντίῳ Αἰσχύλος,

κᾶπειτ' Ἀθήνας Δαΐδας παρ' ἐκ Περσῶν·

Petavius *Latina dedit sensu vacua*: Exinde Athenas Diadas e Persis. *Persas hinc fugabit una duntaxat ablata littera; una etiam transposita senarium nobis Aeschyli restituet:*

κᾶπειτ' Ἀθήνας Δαΐδας περεκπεσῶν.

Cumque deinceps furtim Athenas Diadas se subduxisset. *Facillime iam vicina sic corrigi poterunt: εἰσι δὲ καὶ τῆς Εὐβοίας Ἀθηναίῳ Δαΐδες, ὧν μέμνηται — Αἰσχύλος· haec non attigerunt Stanleius, aut commentatores Stephani Byz. qui eadem forsitan olim posuerat in Ἀθηναί· ubi enim istius nominis urbs sexta commemoratur in Eu-*

boea, atque ista prostant, τὰς δ' Ἀθήνας καὶ Διάδας λέγεσθαι· primitus forte scripserat Grammaticus: ταύτας τὰς Ἀθήνας καὶ Διάδας λέγεσθαι Διοχύλος μαρτυρεῖ. Quando autem Stephanus, sequitur Strabonem X. p. 684. A. Διον urbem fuisse scribit Euboeae περὶ τὸ Κήναιον, a qua prope abfuerint (πρὸς ταύτη ἦσαν) Διάδες Ἀθηναίαι καλούμεναι, suspicor equidem, quos eadem laudat e Tragoedia Strabo p. 687. A. versus Aeschyli versui paulo ante emendato iungendos:

*Εὐβοῖδα καμπήν, ἀμφὶ Κηναιῶν Διὸς
Ἀκτῆν, κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Αἰχᾶ.*

Docta haec summi viri adnotatio, neglecta illa a Buhlio in Arati vol. II. p. 470. solo infelici isto *παρεκπεσῶν* deformatur. Tametsi quis credat, quod quivis Aeschylum scripsisse videat, *παρεκπερῶν* *), Valckenarium effugisse? Sed ille interdum, ne trita incedat via, in avia deferatur. Isti vero versus, in quibus Lichae tumulus memoratur, monent, ut dubitemus, an de alio potius, quam de Hercule in Glaucō Pontio egerit Aeschylus. Nam quum Licham Hercules iamiam morti propinquus interemerit, ipse quidem vix potuit Lichae tumulum commemorare: nec, si Glauci fuerunt hi versus, de Hercule ille sic loquutus videbitur. Quare videndum, ne non Hercules, 14 sed Orestes sit is, cui fata canentem Glaucum poeta introduxerit. In hunc enim haud difficilius, quam in Herculem, fragmenta, quae attulimus, quadrant. Quò brevius hoc ostendam, ipsa auctorum verba afferam. Scriptor de inventione bucolicorum, Theocrito praemitti solitus: Ὀρέστη γὰρ ἐκκομίζοντι τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ἐν Ταύρων τῆς Σκυθίας χρῆσμός ἐξέπεσεν, ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσαι ἀπολούσασθαι· ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας, τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις διαχώροις ποταμοῖς· ἔπειτα εἰς Τυνδαρίδα

*) Ita iam Scaligerum emendasse comperi e Villosonii Epist. Vinar. p. 78. b.

Σικελίας ἦλθεν. Probus in praefatione ad Virgilio bucolica: *Orestes, post parricidium furens, responso didicit, quod deponeret furorem ita demum, si recuperata sorore Iphigenia ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur. Diu vexatus, quum in Taurica Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum, ibique invento flumine elutus traiecit in Siciliam. Et paullo post: huius autem fluminis, apud quod purgatus est Orestes, Varro meminit Humanarum X. sic: iuxta Rhegium fluvii continui septem, Latapadon, Migodes, Eugyon, Stacteros, Polme, Meleissa, Argeades: in his a matris nece dicitur purgatus Orestes, ibique diu fuisse ense, et ab eo aedificatum Apollinis templum: cuius loco Rheginos, quum Delphos profiscerentur, lauream decerpere solitos, quam ferrent secum. Item Cato in Originibus tertio: Rhegini Taurocini vocantur de fluvio, qui praeterfluit. Id oppidum Aurunci primo possederunt; inde Achaei Troia domum redeunt. In eorum agro fluvii sunt sex; septimus fines Rheginorum atque Taurinum disspescens; fluvio nomen est Paccolico. Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum venisse, et non longinqua memoria est, quum in arbore ense viderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur. Prorsus haec tenebricosa sunt: praetermisitque Cluverius, cui tamen lecta fuisse ex p. 1298, 24. colligas. Apud commentatorem Theocriti in magno consensu codicum unus *διαφόροις ποταμοῖς* habet. Apud Varronem in edd. primi fluminis nomen scribitur *Latopodonar*, secundi *Migodes*, quarti *Stacteres*. Apud Gabr. Barrium in Graevii Thes. Antiq. Italiae T. IX. P. V. p. 68. *Lapadon, Micodes, Eugion, Stracteros, Polmae, Melcissa, Argeades*, vocantur. Umbra quaedam horum nominum mansit in oppidulis Parma, sive Palma, atque Arciade, 15 de quorum priore Barrius p. 71. E. et Cluverius p. 1293, 33. de altero idem p. 1293, 28. 1298, 22. Aliud oppidum, Melissa, quod Barrius p. 154. C. et Marafiotus fol. 204. ab Ovidio Met. XV. 52. memoratum pu-*

tant, remotius est, quam quod huc trahi posse videatur. Apud Catonem *Taccolico* scribitur in fragmentis historicorum. Phacelinum amnem Siciliae, de quo Cluverius in Sicilia p. 377. C. et interpp. ad Vibium p. 170. una cum Diana Facelina huc translatum suspiceris: vide Cluverium p. 375. s. Vere Lampridius p. 103. D. et *Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianae, nec uno in loco posuisse, sed multa in multis. Posteaquam se apud Tria flumina (loci id nomen esse iudicat Casaubonus p. 147. a. C.) circa Hebrum ex responso purificavit, etiam Orestam condidit civitatem.* Videmus hic eandem rem, quae ab aliis in Italia locatur. His adde, quae Marafiotus in libro Patavii a. 1601. edito, cui titulus est *Croniche et antichita di Calabria*, fol. 37. b. de Proserpina scribit: *la cui historia cosi viene racconta da Proclo nell' Epitome de oraculis, mentre raggiona degli atti d' Oreste. Porro tunc Hipponium urbem Calais vita functi Hermippi uxor regebat, cuius filia Proserpina per Vibonense littus cum vagaretur, Plutonis Siculi piratae incursus non evasit, qua cum plerisque mulieribus rapta, ut matris dolor quiesceret, tanquam in Deae sortis mutatam suaserunt hipponenses, eique templum erexerunt; didicitque ibi Orestes deponendum furorem si post ablutionem Rhegii Dianae Fascelidis simulacrum erigeret, quod opere complevit.* Idem fol. 132. a. b. quae Strabo VI. p. 394. de Hipponio refert, Latine, sed mutato rerum ordine versa explanans, sic scribit: *dice ancora che quivi venne Proserpina di Sicilia; mà credo che per Sicilia intendesse questo paese di Calabria, et in particolare Ippone, dove anticamente signoreggiava Calais; altri la chiamarono Cerere; non quella che fu sorella di Saturno, mà Cerere Ipponiaca moglie d' Ermippo, come s' è detto nel precedente libro, la cui figliuola Proserpina fu rubbata da Plutone corsaro dell' isola di Sicilia, mentre colei s' andava à*

diporto con altre donzelle nelle maremme di Vibone. Ma doppo favolosamente i Poeti finsero questa rapina à Proserpina figliuola di Cerere; non dimeno la
 16 *verità del fatto è secondo che dice Proclo nell' Epitome de Oraculis, e l' habbiamo accennato nel precedente libro, dove s' è descritto tutto 'l successo dell' historia, e perciò non lo replicaremo di novo. Ma chi vuole sapere più certamente, che Proserpina sia stata rubbata da Plutone nel lido del mare di Vibone, legga Messer Francesco Alunno da Ferrara, nella sua fabrica del mondo; dove assentendo all' opione di Strabone nel trattato della Luna, usa queste parole. Proserpina in latino laquale quella medesima è, che la Luna, secondo i Poeti fù figliuola di Giove, e di Cerere, essendo un giorno ne' parti dell' isola di Sicilia, ò pure di Vibona in Calabria, come c' insegna Strabone à coglier fiori, fù veduta da Plutone Dio dell' Inferno, il quale preso dalla bellezza della fanciulla, la rapì e fecesela moglie; ne credo che Strabone harebbe insegnato à noi questa dottrina s' egli primo di noi non l' havesse imparata dalle scritture di Proclo. Haec Marafiotus, qui unde ignotum doctis Procli librum commemoret, laetabor, si quis mihi monstraverit. Illud scio, de Proserpina Hermippi f. quam Pluto, patruus eius, pirata Siculus rapuerit, etiam compilatores quosdam lexicorum geographicorum in nomine *Vibo* mentionem iniicere. Sed apparet tamen ex his omnibus, satis commode in Orestem quadrare et *λουτρα* illa, et Rhegium, quique circa sunt loci, in quibus corruptum nomen *Ζεφύρου λιμῆν* satis singulari ratione ad conservatum in ista regione ensem Orestis alludere videtur, ut suspiceris eundem esse portum, quem alii Orestis vocant. Denique sic etiam Lichae tumulus offensione carebit, Euboeaque a Glauco commemorata putabitur, alios praedicente errores Orestis, quem non modo Brauronem in Attica deportasse Dianae simulacrum quidam*

retulerunt, sed ipsa in Euboea fuisse arguere videtur Oresta, quod loci in ea insula nomen fuisse testatur Hesychius, ex quo Stephanum Byzantinum corrigunt Holstenius et Berkelius. Haec nunc quidem de hac re habemus: sed vellemus certiora, repertisque forte, gaudebimus.

DE VERSIBVS SPVRIIS APVD AESCHYLV M DISSERTATIO *).

3 **A**rs critica ita exerceri a plerisque solet, ut, quoniam omnis eius vis in iudicandi sollertia exprimitur, nullam eius esse disciplinam existimare videantur. Quae res facit, ut, dum vel sensum quisque suum vel opinionem aliquam aut consuetudinem sequitur, non ubique iusta et apta medendi ratio adhibeatur. At huius quoque artis ratio quaedam est ac disciplina, quae et modos emendandi explicat, et ubi singulis horum modorum utendum sit, praecipit, et quousque eorum usus pateat, docet. Quae omnia quo maius saepe in emendando momentum habent, tanto magis optandum est, ut existat, qui omnem huius artis rationem accuratius, quam adhuc factum est, expleret: praesertim quum interdum etiam primarios viros in hoc genere errare videamus. Nam quum nulla emendandi ratio per se ipsa spernenda sit, tamen translata, quo non debet, vel modum, qui quoque loco tenendus est, egrediens, obsit potius, quam prosit, necesse est. Monebo, data scribendi opportunitate, iuvenes litterarum studiosos de illa tantum ratione, quae indagandis spuris continetur: in qua quidam ita sibi placuerunt, ut vix quidquam adversus eorum suspensiones satis muni-

*) Edita est a. 1814.

tum fuerit. Sunt autem genera additamentorum, quibus scripta veterum deformata sunt, plura. Nam modo interpretationes vocabulorum, quae glossemata vocantur, modo enarrationes sententiarum, modo locos similes adiectos videmus: praetereaque interdum traiectum est aliquid eo, quo non debebat, vel casu etiam, a quo nihil tutum est, illatum. Verum bene tenendum est, haec non aequae omnia in quovis scriptore obvia esse, sed quae horum non errori debentur, in his fere scriptoribus in-4 veniri, qui quum multum lectitarentur, largam etiam adnotandi opportunitatem praebebant. Quare ut in his attenti esse debemus, ne quid alienum nos lateat, ita in iis, qui minorem experti sunt lectorum assiduitatem, cavendum, ne in suspicionem vocemus, quae genuina sunt. Vtar exemplo Aeschyli. Hic quum aliquanto minus, quam Euripides, in scholis grammaticorum tractatus fuerit, consentaneum est, etiam paucioribus eum vel adnotationibus, vel interpolationibus, vel insitiis versibus esse corruptum. Ex quo intelligi potest, non satis caute fecisse, qui plurimos huius poetae versus ut spurios damnarunt. Nam ut semel iterumve alienus apud eum versus reperitur, veluti in Persis post v. 253. libri quidam Sophoclis versum inserunt,

στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν,

quem in censum veniunt in eadem fabula etiam v. 780. et in Sept. ad Th. v. 607. at plerisque in locis, qui maxime spurii visi sunt versus, non nisi aut interpretatione iusta, aut apta emendatione, aut restitutione in locum suum indigent, ut maxime genuinos esse appareat. Quin quum saepius apud Aeschylum omittendo, quam addendo peccatum sit, est etiam, ubi hiatus non solum animadvertere, sed etiam explere possis, inserendis, qui neglecti ab librariis fuerunt, versibus. Placet singula horum uno alterove exemplo confirmare.

Agamemnonis hoc est initium:

θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγῆν πόνων

φρουρᾶς ἑταίας μῆκος, ἦν κοιμώμενος
 στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,
 ἀστρων κάτοιδα νυκτέρων ὀμήγυριν,
 καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
 λαμπροῦς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι
 ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.

Versum, qui horum ultimus est, ut ineptum, praeter-
 eaque Achilli Tatio ignotum, damnarunt Valckenarius ad
 5 Eurip. Phoen. 506. Porsonus in Append. ad Toup̄ii Not.
 in Suid. T. IV. p. 479. aliique, vereor ne iniuria. Nam
 Achillis Tatii exigua auctoritas est, qui et valde corru-
 ptus sit, et paullo ante etiam in alio Aeschyli loco omit-
 tat, quae adliicienda fuisse existimes. Versus autem ipse
 tantum abest ut ineptus sit, ut, si memineris, usitata
 Graecis ratione τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος ἀστέρας,
 ὅταν φθίνωσιν dictum esse pro ὅταν φθίνωσιν οἱ χεῖμα
 καὶ θέρος φέροντες ἀστέρες, etiam aptissimus videatur.
 Hoc enim dicit ille: *video et coetum stellarum, et
 quando quodque illorum siderum, ex quibus anni tem-
 pestates numeramus, occidit atque oritur.*

In Choephoris Electra manes patris invocans, fra-
 tremque ad patrandam caedem exhortans, his verbis
 utitur v. 506.

ἄκου· ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα.
 αὐτὸς δὲ σώζει τόνδε τιμήσας λόγον.
 καὶ μὴν ἀμόμφητον δέ τινα τὸν λόγον,
 τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.
 τὰ δ' ἄλλ', ἐπειδὴ δρᾶν κατώρθωσαι φρενί,
 ἔρδοις ἂν ἤδη, δαίμονος πειρώμενος.

Secundum ex his versibus spurium putarat Schützius:
 quem reprehendens Porsonus in Suppl. praef. ad Eurip.
 Hec. p. 37. manifesto spurium esse contendit sequentem
 versum, omissum in cod. Guelf. et ed. Ald. et ei, qui
 sequitur, versui subiectum in ed. Rob. At uterque, si
 quidquam apud Aeschylum, genuinus est, modo corru-
 pta recte emendes. Neque enim apparet, unde venerit

tale additamentum. Partem veri Seidlerus vidit, legendum putans,

καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἔτεινα τὸν λόγον.

Non tamen perfecit emendationem. Nam particulae *καὶ μὴν* non aliter hic aptae sunt, quam si alius personae orationem incipiant. Atqui quid planius est, quam Oresti Electraeque se invicem ad vindicandam patris necem cohortantibus chororum adstipulari his verbis:

καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' εἰναιτον λόγον, 6
τίμημα τύμβου τῆς ἀνομιώκτου τύχης.

Quae ille quum dixisset, reliquis duobus versibus ad solum Orestem, cuius illud officium erat, ut rem perpetraret, se convertit.

Sed diximus supra, cavendum etiam esse, ne spurios putemus eos versus, qui nihil nisi in alienum locum traiectionis sunt. Ita in eadem fabula haec leguntur v. 162.

*ἔχει μὲν ἤδη γαπότους χοῶς πατήρ,
κῆρυξ μεγίστη τῶν ἄνω τε καὶ κάτω.
νέου δὲ μύθου τοῦδε κοινωνήσατε.*

Advertit, qui medius horum versuum est, Robortellum, ut post eum lacunae signum poneret. Nec dubium est, versum illum, sic, ut nunc est, reliquis insertum, adeo ineptum esse, ut mirum sit, qui alias ad eiciendos versus promptissimi sunt, hic ad lacunam confugere maluisse. Quid enim? Quidquid excidisse statuas, num tale erit, ut Mercurii invocationem hic aptam esse efficias? Non opinor equidem. Quod si superiora consideraveris, facile, spero, adduceres, ut versum illum, lacerato vel eiusdem paginae supremo, vel praecedentis folii imo margine, alienam sedem occupasse tibi persuadeas. Apertum enim huius rei indicium praebent illa v. 122.

— — — *Ἐρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τοὺς γῆς ἐνεργθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς.*

Vnde quid aliud colligemus, quam, quo nihil inveniri aptius aut convenientius potest, ita processisse hanc orationem:

*κῆρυξ μέγιστε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω,
ἄκουσον, Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τοὺς γῆς ἐνεργθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς.*

γ Apparet, verbum κηρύξας, quod aliter obscurum foret, nunc habere quo referatur, praegresso nomine κῆρυξ.

In Agamemnone Cassandra, ultorem exstiturum esse Agamemnonis significans, his verbis utitur v. 1289.

*ἦξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὐ τιμᾶορος,
μητροκτόνον φίτυμα, ποινάτωρ πατρός,
φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος
κάτεισιν ἅτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.
ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.
τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὠδ' ἀναστένω;
ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν, ὡς ἔπραξεν, οἱ δ' εἶχον πόλιν,
οὕτως ἀπαλλάσσουνσιν ἐν θεῶν κρίσει,
ιοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.
ὁμώμοται γὰρ ὄρκος ἐκ θεῶν μέγας.
Ἄιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω.
ἐπεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν,
ὡς ἀσφάδαστος, αἱμάτων εὐθνησίμων
ἀπορρέντων, ὄμμα συμβάλω τόδε.*

Versum, qui in his quintus est, quum non habere, unde penderet, critici animadvertent, ἄξειν in ἦξει mutarunt. At tam abrupta oratio, praesertim in sententia, quam, si abesset, nemo esset desideraturus, non potest non offensionem esse: ut mirer, non fuisse, qui eum eiectum mallet. Non minorem, si attendas, dubitationem movet undecimus ex his versibus. Quo si Cassandra illud indicare vult, necessario sibi moriendum esse, non modo brevius id atque obscurius, quam par est, significat, sed etiam gravius de se et magnificentius loquitur, quam illa, in

στένε καὶ δακνάζου unum versum efficere debebat, antistrophae adiiceretur, quumque explicatione indigeret, adscriberetur *ἐν δάκρυσι*. Sic, detecta erroris origine, nulla mutatione facta et metra exaequantur, et sensui utroque in loco consulitur, simulque vocabulum poetae suum vindicatur, idque haud parum memorabile propter formam numeri pluralis, iniuria, ut opinor, suspectam Schaefero ad Dionys. Hal. de struct. or. p. 355. et ad schol. Apollon. Rhod. p. 208.

- 9 Interdum versus reperiuntur, qui quod explicationis speciem habent, pro insitiis habiti sunt. Editor Glasguensis, quem qui Porsonum esse putarunt, non satis videntur magni illius viri morem cognitum habuisse, in Agamemnone v. 88. ubi haec leguntur,

*πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων,
ἰπάτων, χθονίων,
τῶν τ' οὐρανίων, τῶν τ' ἀγοραίων,
βῶμοι δάροισι φλέγονται,*

versum, qui ante ultimum est, uncis inclusit, auctore Heathio *): quem versum equidem non minus genuinum esse putō, quam quos in eadem fabula, ingeniose sane et non sine specie veri, eaque etiam a metro et antistrophicorum lege desumpta, Seidlerus de verss. dochm. p. 408. damnavit, v. 1530.

*οὐκ ἀνελεύθερον οἶμαι θάνατον
τῷδε γενέσθαι.*

Sed nolo his immorari, quae longiorem disputationem requirunt. Illud miror, editorem Glasguensem non uncis inclusisse haec in Sept. ad Theb. v. 890. *οὐκ ἐπὶ φιλία, ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε*, quae tam manifesto interpretis verba sunt, ut non videam, quomodo id ullum latere potuerit criticum. Tametsi nuper priorem versiculum de-

*) Fecit id profecto ipse Porsonus in ea, quae genuina eius est Aeschyli editio.

fendere conatus est censor editionis Schützianae in Diar. Ienens. 1813. mense Octobri p. 117. Sed hic vir nondum eam, quam velis, cum Aeschylo videtur familiaritatem contraxisse. Glasguensis quidem editor, ut haec damnare debebat, ita non debebat, Piersoni motus iudicio, in Eumen. v. 1017. verbo *ἐπιδιπλοῖζω* uncas apponere. Sed saepius ille alios, nec semper fidos duces sequitur.

Sed ut addendo peccatum est apud Aeschylum rarius, ita frequentissime, multoque saepius, quam critici animadverterunt, erratum est omittendo. Cuius rei quum plurima possim exempla proferre, paucis tantum utar, quae sunt eiusmodi, ut reponi, quod omissum est, posse videatur.

Mos est tragicorum, versus inter colloquentes personas aequali lege distribuere, nec nisi aut in initio, aut in fine uni personae plures, quam alteri, versus dare. Sed faciunt hoc etiam in medio colloquio, ibi quidem, ubi materia colloquii mutatur, ut quasi novum institui videatur colloquium. Itaque aliquam rationem habet locus in Prometheo v. 623. ubi quum Prometheus et Io singulis versibus alternassent, de Prometheo colloquentes, iam Io, de se sermonem iniectura, duobus versibus Prometheum alloquitur, progredientibus deinde per singulos versus vicibus:

*ΙΩ. καὶ πρὸς γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης
δείξον, τίς ἔσται τῇ τάλαιπώρῳ χρόνος.*

ΠΡ. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρείσσον ἢ μαθεῖν τάδε.

ΙΩ. μήτοι με κρύψης τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.

Sed utcumque haec defendantur, responsio puellae non satis convenire videtur cum eo, quod Prometheus dixerat. Nam quum particula *μήτοι* concludentis sit, contrarium potius quam illud, quod dicit, concludere debebat, ut rectius adversativa particula usura fuerit, *ἀλλὰ μὴ με κρύψης τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν*. Vide vero miram ad hunc locum scholiastae adnotationem: *λέγουσι δέ οἱ, ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται*. Quae quid aliud, quam facit, ut suspicari debeamus, interpretem istum,

quum versum illum in margine adscriptum videret, pro sententia eum nescio cuius habuisse, et proinde, additis verbis λέγουσι δὲ καὶ ὅτι, commentario suo inseruisse. Nam ut taceam, versum illum omnino dignissimum esse Aeschylō, quid vel gravius hoc loco, vel accommodatius ad nexum orationis scribi potuit, quam hoc:

ΠΡ. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.
ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται.

ΙΩ. μὴ τοι με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.

Iam enim et recte concludet Io, et duobus huius versibus totidem versibus Prometheus respondebit.

In Agamemnone haec leguntur v. 599.

- 11 καὶ τίς μ' ἐνίπτων εἶπε· φρυκτώρων διὰ
πεισθείσα, Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς;
ἢ κάρτα πρὸς γυναικός, αἰρεσθαι κέαρ.
λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὐσ' ἐφαινόμην·
ὅμως δ' ἔθρον.

Nihil est in his, quod desideretur. Non inepte tamen suspiceris, poetam scripsisse:

λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὐσ' ἐφαινόμην,
πεισθείσα τῷ φέροντι θέσκελον φάτιν.

Addit enim hunc versum scriptor Christi patientis v. 75. qui, quod satis mirum est, solam ex Aeschyli fabulis Agamemnonem videtur cognitam habuisse.

Possem his addere alia. Veluti in Persis divinari, nisi fallor, locus potest, ubi versus ille exciderit, ex quo scholiastes Hermogenis, citatus a Bastio ad Greg. Cor. p. 241. vocabulum ὑπόξυλος affert. Pariterque, quae ex eadem fabula ab Athenaeo p. 86. B. commemorantur corruptissima verba, τίς ἀνήρει τὰς νήσους ἀναριτοτρόφους, quorum tamen ultimum recte in codice scriptum est νηριτοτρόφους, neque ad Phrynichum, neque ad Epicharmum, neque ad alteram Aeschyli Persarum editionem pertinere, sed ex ea ipsa, quam nunc habemus, edi-

tione, excidisse veri simile est: quod ubi factum videatur, nunc quidem iis quaerendum relinquam, quibus minus, quam mihi, difficilis videtur huius poetae emendatio. Sed unum tamen ex illa fabula locum attingere placet. Est is a v. 537.

πολλὰ δ' ἀπαλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι, διαμυδαλέοις
δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ' ἄλγους μετέχουσαι.
αἱ δ' ἀβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν
ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν,
λέκτρων τ' εὐνάς ἀβροχίτωνας,
χλιδανῆς ἤβης τέρψιν ἀφείσαι,
πενθοῦσι γόοις ἀπορεστοτάτοις.

Senserunt critici, duas hic feminarum classes commemorari, quarum secunda uxores Persarum complectitur, prima autem quae sit, ex verbis poetae tam parum colligi potest, ut potius omnes Persicae mulieres intelligendae videantur: quod tamen repugnat sequentibus. Itaque Borthius, videns lectionem quorundam librorum ἀταλαῖς in grandaevas mulieres quadrare, de his et recte quidem, sermonem esse intellexit: sed quum, emendare locum volens, πολλὰ in πολλαὶ mutavit, canos nobis capillos pro canis mulieribus exhibuit. Rectius Schützio visus est versus excidisse. Eamque suspicionem egregie confirmat unus quidem, sed optimae notae codex, Vitebergensis, in quo post verbum κατερεικόμεναι luculentis litteris additum est μαγνὰδ, ut pene incredibile sit, negligi hoc a Zeunio in collatione huius codicis potuisse. Haec verò quantumvis corrupta vox, si compendia scripturae in codicibus usitata in auxilium advoces, non magno negotio optimam lectionem praebebit:

πολλὰ δ' ἀταλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι μαῖαι γονάδες
διαμυδαλέοις δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ', ἄλγους μετέχουσαι.

Maia enim secundum Hesychium matris honorifica appellatio est. Idem etiam alterum vocabulum, ex hoc ipso fortasse loco sumptum, tuetur: *γονάδες, μητέρες*. Et ita hic locus similis fiet iis, quae supra dicta erant v. 64.

*τοκῆς τ' ἄλογοί θ' ἡμερολεγδὸν
τείνοντα χρόνον τρομέονται.*

Caeterum in eandem coniecturam incidit, iussus a me ipse videre, quid lateret in illa codicis Viteb. lectione, unus ex iis, quorum hic vitae subiiciuntur, Chr. Tr. G. Hildebrandus, iuvenis optima indolis.

Parisi

DE AESCHYLI PERSIS DISSERTATIO *).

Quae tres partes sunt interpretationis, explicatio verborum, enarratio rerum, et disceptatio de scriptoris virtutibus vel vitiis, earum illa, quam postremam nominavi, quoniam fere ad sensum quemdam iudiciiue sollertiam redit, ut liberalior reliquis duabus habetur, ita etiam magis ambigua est atque incerta. Nam quum omnino in rebus, quae sensu magis quam scientia percipiuntur, diversissima sint hominum iudicia, tum multo maior sit necesse est dissensio, ubi ne materia quidem, de qua iudicatur, ita explorata ac definita est, ut una omnibus atque eadem videri debeat. Id vero maxime in veterum scriptis usu venit quae modo ob temporis vetustatem, modo propter linguarum imperfectam notitiam ita quasi e longinquo conspiciuntur, ut, prout cuique propius accedere contigerit, aliam atque aliam speciem prae se ferant. Nam vetustas, quae plerumque rerum memoriam obscurat, facit, ut haud raro, quo rerum statu, quo consilio, quo in singulis partibus respectu quid scriptum sit, aut plane ignoremus, aut non nisi coniectando assequamur: quo in genere quam facile accadat, ut, neglecto vero, falsa coniectemur, in promptu est. Linguarum autem scientia quum non in omnibus, qui docti vocantur, eadem sit,

*) Edita est a. 1812.

non solum pro sua quisque facultate alii aliter iudicant, sed multi, mentem scriptoris in universum percepisse contenti, id ipsum satis esse ad laudandum eum vel vituperandum existimant. Qui error quum nullo in scriptore levis sit, gravissimus est in iis scriptoribus, quorum praecipua virtus, ut poetarum et oratorum, in dictione elucet. Nam qui linguae scientiam, quod sane faciunt nonnulli, in eo consistere putant, ut quis significationes verborum et constructiones teneat, nae illi parum cognitum habent, quod sit interpretis officium: quem illud quoque scire oportet, quam vim et potestatem quaeque loquendi forma habeat, ne poetica cum pedestribus, serio dicta cum ludicris, exquisita cum vulgaribus, gravia cum tenuibus, grandia cum exilibus permisceat. Quae qui distinguere nesciunt, tantummodo de qua re quis scribat, non quid scribat, nedum quomodo scribat, intelligunt. Ex quo consequitur, ut, nisi tota via a mente consilioque scriptoris aberrent, certe non animadvertant omnia, quorum ali-quod in iudicando momentum sit. Insigne horum, quae dixi, exemplum praebent Aeschyli Persae: cui fabulae incredibile dictu est quam repugnantia contigerint doctorum iudicia: quos si audias, nescias profecto, utrum admirari gravem eximia sublimitate tragoediam, an ridere comoediam, scurrilibus iocis obscenaeque turpitudine plenam, oporteat. Neque vero hic, quod alias in tali sententiarum discrepantia factum videmus, verum in medio positum est, sed, nisi egregie fallor, ita totum ab altera parte stat, ut ei ne satis quidem factum videatur. Nam unus ille, qui hanc fabulam ad comoediae humilitatem deprimere conatus erat, et refutatus est ab aliis, et ipse, ut spero, mutavit sententiam: ex defensoribus poetae autem is, qui prae caeteris virtutes huius fabulae declaravit, quamvis erudite atque eleganter ea de re disseruerit, tamen, quum ad quaedam, quae magis recondita sunt, non attenderit, nonnulla praeteriisse videtur, quae ad laudem poetae atque admirationem non leve momentum habent. Itaque non iniucundum hominibus litteratis fore putavi, si, hac oblata scribendi opportunitate, quaestionem illam

retractarem: quod quidem sic faciam, ut non tam laudando poeta commovere lectorum animos, quam arte eius explicanda ostendere, quid de hac fabula statuendum sit, studeam. Erunt autem tria huius disputationis capita. Nam et de consilio poetae, et de inventione argumenti, et de dictionis virtutibus dicendum erit.

In universum quidem tantum abest, ut a doctissimo illo viro, cuius mentionem feci, dissentiam, ut, quae ille in Wielandii Museo Attico vol. IV. fasc. 1. disseruit, pleraque omnia pro concessis haberi velim. In his illud est, quod scribit de Phoenissis Phrynichi, fabulam illam, quae in eodem versabatur argumento, Themistoclis maxime caussa editam videri, qui et sumptus ei praeberit, et illo ipso tempore coeperit civium invidiam experiri. Quod si quis quaerat, quo consilio Aeschylus post Phrynichum idem argumentum attigerit, in historia quidem illius temporis nihil est, unde coniecturam facere possis: sed qui norit, quanta fuerit poetarum tragicorum inter ipsos aemulatio, satis esse putabit, si nihil ille voluerit aliud, quam superare eiusdem rei tractatione aemulum, praesertim victorem illa fabula, ut ex Plutarchi vita Themistoclis c. 5. colligi potest. Praeterea vero, quum Graecorum poetae multo magis, quam nunc solitum est, in eo elaborarint, ut non delectarent solum, sed etiam prodessent, consentaneum est, ut Aeschylum, quem id in primis fecisse constat, haec quoque fabula putemus virtutem civibus suis atque animi magnitudinem commendare voluisse. Quin diserte id fatentem introduxit in Ranis Aristophanes. Ad haec si adiunxeris, quod commune omnium, qui poemata scribunt, consilium est, ut quam possint perfectissimum opus edant, nihil erit amplius, quod requiras. Sed ex his tribus, quae spectasse Aeschylum veri simile est, ut bonam faceret tragoediam, ut superaret Phrynichum, ut cives ad virtutem excitaret, tantummodo primum illud nunc paucis attingendum est, reliqua duo autem illi quaestioni servanda, quae erit de

inventione fabulae. Etenim si aequi volumus iudices esse, non, qualis ex regulis artis bona dici tragoedia possit, quaeremus, sed qualem Athenienses illis temporibus tragoediam probarint, videbimus. Ars enim prior est regulis: quae non ante conduntur, quam, multa tentando, verum ex vitis apparuit. Quamquam initia artis duplex habent commodum, unum, quod, regulis nondum inventis, non regularum perversitate erratur: est autem hoc in primis proprium regularum, ut per errores ad veritatem ducant; alterum, quod sensus hominum, circa praecipua occupatus, quae ob id ipsum etiam vera sunt, nondum multis patentibus viis, plerumque brevem aliquam, Geoque non longe ab recta dissitam, ingreditur. Ita Aeschyli aevo, nondum satis explicata natura tragoediae, ita videntur existimasse Athenienses, contineri hoc genus poematis introducenda actione gravi, quae ex metu et miseratione et animi magnitudine sublimitatem haberet, distinctaque esset in partes quasdam, quarum in singulis nova persona produceretur: quam rationem docte ex Aeschyli fabulis explanavit Heerenius; denique quae chororum haberet, quum ad rem, quae ageretur, adiuvandam idoneum, tum vero, idque praecipue, sensibus declarandis inservientem, quos excitari in spectatorum animis consentaneum esset. Caetera, quae deinceps subtilior investigatio aperuit, nec desiderabantur neglecta, neque observata in laude ponebantur. Itaque non est quod miremur, si Persae Aeschyli, quae fabula, ut scite observat Iacobsius, non dissimilis est illi generi, quod ab nostratibus *cantate* appellatur, aequalibus poetae omnes tragoediae visa est numeros implere. In qua si implicationem hoc nomine dignam, si enodationem discriminis idoneam, si personam primariam, quae animum adversa fortuna maiorem monstret, requiras, nihil usquam reperias, quod satis facere videatur. Nec tamen perfecta fabula diffiteberis, motum animi in lectore, ne quid de spectatore dicam, remanere eundem, ac si optime ista omnia haberent. Id ipsum autem volebat poeta: quod ille si consequutus est, quidni tanto magis admiremur divinum eius

ingenium, quod vel imperfecto opere idem efficere, quod perfectissimo, potuerit?

Sed clarius haec elucescent inventione fabulae consideranda. Adduxerat cladem Persarum in scenam Phrynichus, choro usus, ut nomen fabulae prodit, Phoenissarum mulierum; eunuchumque adhibens, qui in exordio fabulae principibus civitatis sedilia sternens, fusos a Graecis Persas narraret, similiter ordiens, ut chorus apud Aeschylum,

τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβημότηων.

Haec ex Glaucō Rhegino in argumento Persarum Aeschyli relata sunt: nec praeter haec quidquam, quod aliquem hic usum habeat, ex fragmentis illius fabulae colligi potest. Eadem rem quum post Phrynichum Aeschylus aggrediretur, poterat hic, sive quod ei Phrynichi fabula displiceret, sive ne sequi illum videretur, prorsus aliam viam inire; poterat etiam, servatis, quae recte instituisset Phrynichus, mutare, quae minus apta esse sentiret. Id vero fecit: quae res et ipsi, et Phrynicho laudi est: ipsi, quod non, ut in quibusdam fabulis Euripides, nova aptis praetulit; Phrynicho, quod huius iudicium ab summo poeta confirmatum videmus. Convenere autem ambo in eo, quod rem non a Graecis, sed a Persis, neque in Graecia, sed in Persia geri voluerunt. Magnopere enim falleretur, qui putaret, aptius celebrari virtutem Graecorum potuisse, si ipsi feliciter hostem profligantes in scenam essent introducti. Nam ut id nunc, rebus illis ex vetustate admirationem et veluti sanctitatem adeptis, recte fieret, at Phrynichi Aeschylisque aevo illi, qui Persas fugarant, non poterant, semet ipsis spectantibus, sine offensione in scenam produci. Tametsi id minus fortasse est ridiculum, quam videbitur esse. Nam chorus quidem Graecorum non multum habuisset offensionis, ut non ex certis et notis personis constans, sed populi universi vicem sustinens. At opus erat etiam actoribus singularum partium: qui si certas et notas personas egissent, veluti Themistoclem vel Eurybiadem, id vero

vix ab ridiculo abfuisset. Quos enim quotidiano adspectu vel familiari consuetudine notos habemus, ii, quantumvis vel oris maiestate graves, vel morum sanctitate venerabiles sint, tamen poetica sublimitate ornat, quoniam veritas fictionem arguit, tantum abest, ut magis videantur admirandi esse, ut absurdi potius et ridiculi fiant. Quod si fictis personis uti poetae illi voluissent, non solum res ipsa, ut notae veritati repugnans, absona esset visa, sed ne splendor quidem ille, qui regum est et heroum, conciliari iis potuisset: quem Graeci, et recte quidem, ut necessarium in persona tragica requirebant. At, dicat quis, ut Persae introducendi fuerint, tamen in Graecia res agi poterat. Fortasse: quamquam ne hoc quidem satis apte. Nam quum nota essent, quae a Persis in Graecia gesta erant, sic quoque verisimilitudinem elusisset veritas. Desinit enim verisimile esse, quod res praesens falsum esse arguit. Itaque sapienter uterque poeta et scenae locum a Graecia removit, et rem ipsam a Persis tantum geri voluit.

Sed duabus rebus Aeschylus a Phrynicho, quantum quidem huius fabulam cognitam habemus, discessit, quod neque eunuchum adhibuit, neque chorum ex Phoenissis mulieribus, sed ex senibus Persis composuit. Phrynichus, cur ista faceret, idoneas fortasse rationes habebat. Nam etsi laudandum putamus Aeschylum, quod is neutrum fecerit, tamen non reprehendimus Phrynichum, quoniam de huius fabula iudicari non licet. Certe eunuchum non esse propterea ab Aeschylo improbatum, quod ea minus congruens tragoediae persona esset, ex eo intelligi potest, quod ipse Aeschylus in Agamemnone vigilem, in Choephoris nutricem, humilioris sortis personas, introducere non dubitavit. Quin eunuchus ille Phrynichi fortasse ne erat quidem servus, sed munere aliquo insigni apud regem fungebatur. De choro Phrynichi autem ne per coniecturam quidem iudicium ferri potest: quamquam illud non est obscurum, ab ea ratione, quam Aeschylus sequendam putavit, talem chorum alienum fuisse. Hic enim grande quiddam et admirabile animo conceperat, magnitudinem

cladis a Persis acceptae eo depingere, quod universam eorum civitatem afflictam ostenderet. Nam si quis recte omnem fabulam consideraverit, fatendum erit, specie eam, non re differre ab illo genere, quod recentioribus *monodrama* vocare placuit. Quae enim introducuntur personae, tantum abest ut studiis, consiliis, factis sibi invicem renitantur, quo ex conflictu, ut solitum est, postremo iustus quidam eventus prodeat, ut magis omnes idem agant, et proinde, quod quidem ad actionem attinet, omnes una persona sint. Quin si singulorum conditionem respicias, facile adducaris, ut id non casu, sed consilio factum dicas. Est enim is adhibitus personarum delectus, ut nihil ad imaginem universae civitatis deesse videatur. Populum chorus, regiam maiestatem Atossa, exercitum nuncius, ducem dux ipse idemque rex Xerxes, denique vatem, quod genus dignatione secundum regem, auctori-⁹tate saepe prius, omnino autem dimidia pars imperii est, Darius repraesentat: quos omnes quum afflictos lugentesque videmus, ecqua potest maior fingi aut illustrior species moeroris per omnes universae civitatis partes diffusus? Igitur si detracta colloquentium personarum fictione rem ipsam spectamus, civitatem Persarum videmus initio de eventu belli sollicitam, mox re comperta consternatam, deinde ab diis auxilium petentem, denique accepto dei responso, adspectu redeuntium in effusum luctum erumpentem. A tali vero consilio chorus, qui non ex Persis esset, ita abhorrebat, ut, si poeta Phrynichi exemplo Phoenissas mulieres introduxisset, omnis illa universae civitatis imago interitura fuisset. Quin sapienter ne Persicas quidem mulieres adhibendas putavit, quod civitatis vicem sustinere virorum potius est, quam mulierum. Quod contra ne femineus sexus abesset ab illa universae civitatis specie, prudenter tum eo cavit, quod feminam introduxit, quae absente rege imperium administrare videretur, tum haud temere toties per chorum repeti fecit mentionem matrum et coniugum, filiis et maritis orbatarum.

Sed videamus iam, qua arte in singulis partibus fa-

bulae usus sit. Ac nullam omnino vim habitura fuisset aut sollicitudo Persarum, aut afflictio, nisi statim ab initio, quam magna de re periclitarentur, manifestum fieret. Itaque per chorum, ut quae communis sit civium vox, initium faciens, tam grandem, tamque magnificam exhibet copiarum in Graeciam profectarum enumerationem, ut tot populorum ducumque nomina quum admiratione percillant audientis animum, tum, si de tali tantoque exercitu metuendum sit, etiam metu non mediocri impleant. Auget autem metum chorus ipse, temeritatem tangens ducis, Hellesponto iugum imponere ausi, iramque deorum commemorans, infestorum superbis, et inanem fiduciam graviter fallentium; tum suam ipse sollicitudinem ostendens, civitate exhausta, et solitudine ubique querimonias et metum commovente. Habet autem hoc carmen, etiam si a dictorum gravitate discedas, aliam, eamque nondum animadversam virtutem, cuius mira quaedam in spectatorum animis efficacia fuerit necesse est. Nam non solum a simplici oratione ad modulatam recitationem, et ab hac ad cantum transitur, sed etiam personarum vices ita sibi succedunt, ut deinceps omnia et commotiora et splendidiora fiant. Etenim ex tribus partibus hoc carmen constat, quarum in prima, quod proprium esse anapaestorum solet, solus loquitur coryphaeus. Secundam partem, id quod ipsum ex metris colligitur, aliqui ex choro senes, colloquentes inter se, voce magis modulata recitant. Sunt enim versus illi Ionici a minore, quod genus metri, ut reliqua systemata, quae εἰς ὁμοίωσιν vocantur, praeter anapaestos, colloquiis, si recte observavi, (sunt autem multa, quae eam observationem confirmant) destinatum est. Tertia denique pars, quae prorsus alium habet colorem, aperte concentum continet universi chori: ita ut etiam ad oculos auresque spectatorum illa Persarum senum ingressio sensim sensimque splendidior accidat.

Inde rursus coryphaeus, pauca anapaestis loquutus, prodeuntem ex aedibus regis reginam, pro dignationis illius maiestate, trochaeis, splendido et motu pleno ge-

nere versuum, salutat. Cui quum regina, servans illam maiestatem, iisdem numeris respondisset, iam ad trimestros, quorum simplicitas narrationem decet, descendit, somniumque exponit, quod ea arte a poeta inventum est, ut non tantum singulae partes splendeant, sed illud praeclarum sit et admirabile, quod somnurna illa duarum mulierum species non ducum, non exercituum, sed duarum vastarum continentium, quae de imperio inter se certent, imaginem animis admovet. Ita aucta rei magnitudine augetur metus: cui novum et magnum incrementum ex eo accedit, quod placare deos volenti ob illud somnium reginae ostentum offertur, causas metuendi etiam divinitus confirmari significans. Conserunt deinde iterum chorus et Atossa colloquium, trochaeis utentes, qui et maiestatem reginae, et venerationem chori deceant. In hoc vero colloquio eximium cernitur poetae iudicium. Nam et necessarium erat, inter illam somnii narrationem et adventum nuncii aliquid interponi, quo ne nimis ex abrupto statim clades nunciaretur, et illud ipsum, de quo isti inter se colloquuntur, multum ad rem facit, quia clades illa parum visa esset verisimilis, nisi etiam Athenarum potentia spectatoribus in mentem revocata esset. De qua re scienter monnit Iacobsius. Illud vero ne quaerendum quidem puto, cur Atossa de rebus interroget, quas ei notas esse oporteat. Nam id omnes poetae, et iure quidem, concessum sibi existimarunt, ut, quae ad plenam rei cognitionem necessaria essent, non praeterirent, etiamsi nunc demum ista dici, si res vere ageretur, parum esset credibile. Latet enim hoc spectatorem, ad rem praesentem attentum, nec, dum fabulam spectat, omnia ante acta animo reputantem. Illud potius considerandum est, quam praeclare poeta admirationem patriae urbi eo conciliarit, quod, quemadmodum omnia remota nec satis cognita admirabiliora videntur, ita etiam de Athenis ut de loco longissime dissito et fama tantum noto Persas loquentes introducit.

Iam vero, dubiis metu animis, nuncius advenit, non ille statim composita oratione rem exponens, sed, ut in

tanto malo praesertim hominem Persam decebat, cum clamore scenam ingrediens, et primo summatim ac sine ordine rem omnem effundens. Quem dum chorus sublata lugubri acclamatione saepius interpellat, silet, ut regiam maiestatem decebat, Atossa: sed paullo post, superato primo doloris impetu, gravi oratione nuncium rem omnem enarrare iubet. Qui primo, quod egregie a poeta institutum est, singulari versu Xerxem salvum esse refert. In hoc enim, secundum Persarum opinionem, summa rei versabatur. Quare hoc, ut primarium, paucis verbis, sed ab ipsa simplicitate sublimitatem habentibus, ab reliquis seiungitur, ut hac remota sollicitudine requiescant paullum animi, quo deinde attentius reliqua accipiant. Sed priusquam praelium describatur, agitatus adhuc nuncius plurimorum ducum, qui perierint, nomina enumerat, ut paullatim a tanto animorum motu ad sedatiorem praelii expositionem via paretur. Sequitur deinde ipsa pugnae ad Salaminem descriptio, quae in tanta simplicitate tam ¹²magnifica est, ut neminem, qui aliquo venusti sensu polleat, non sponte virtutes eius intellecturum putem. Vnum tamen est, quod non videtur praetereundum esse. Nam neque hic, neque usquam in tota fabula ullum Graeci hominis nomen occurrit: quod prudenti consilio a poeta factum est, non quod invidiam metueret, sed quod intelligebat, commemorandis iis, qui quotidiano adpectu noti omnibus essent, tragoediae sublimitatem ad humilitatem communis vitae deprimi. Itaque tantum abest, ut, quod viro praestantissimo, cuius saepius mentionem feci, placet, in illo loco, ubi de Aminia sermo est, qui primus in classem Persarum impetum dederit, poetam ob animi magnitudinem laudem, qui nomen illius hominis, si quidem ille frater ipsius fuerit, tacendum putarit, ut magis, si eum nominatim commemorasset, id valde reprehensurus essem. Quin hoc quidem, etiam si ab eo, quod poesis postulabat, discesseris, vel invidiae vitandae causa facere non potuisset. Quamquam idoneas rationes habeo, quare neque illum Aminiam, neque alium isto nomine Aeschyli fratrem fuisse putem. Sed pergamus. Nam

egregie poeta, ne in pugnae descriptione res acquiesceret et quasi refrigeraretur, exorto deinde inter nancium et Atossam colloquio duas alias narrationes, quae novos dolori stimulos addant, intexuit, unam de occisis in insula Psyttalea, alteram de afflictis in fuga per Thraciam, unde expectatio excitatur adventuri regis, et consultatio de placanda deorum ira. Conquestis deinde praeclaro carmine choricis senibus, redit cum inferiis Atossa, iterumque chorus divino plane cantu manes Darii ab inferis evocat. Adscendit ex Orco magni regis umbra, regiae dignitatis insignibus ornata, tranquillaque gravitate, ut rebus humanis exemptum par est, chorum affatur: qui percussus horrore, concitatoribus numeris bis significat, non audere se regem contra tueri, aut cum eo colloqui. Vnde ille ad Atossam conversus, quum de causa evocationis suae quaesivisset, et ante acta exponit, et, audente iam sermoni sese immiscere choro, monet ne posthac bellum Graecis inferant: ac denique reliquam cladis partem, quam illi ex nuncio audire non potuerant, enarrat, simulque Xerxis adventum denunciat. Haec vero scena, si 13 quidquam in hac fabula, magnis obnoxia est dubitationibus. Nam neque quid opus sit Dario, statim apparet, neque ea illum loqui dicunt, ob quae quis ab inferis excitandus videatur. Non diffitear equidem, aliquid Aeschylam in hac re spectatoribus dedisse, qui non poterant non vehementer commoveri admirabili illo mortui regis simulacro: id quod etiam Aristophanis iudicio confirmatur, apud quem Bacchus in Ranis ita dicit:

*ἔχαρην γοῦν, ἥνικ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρσίου
τεθνεῶτος,
ὁ χορὸς δ' εὐθύς τῷ χεῖρ' ὠδὶ ξυγκρούσας εἶπεν
ἱανοί,*

quae verba neque, ut Spanhemius volebat, de Siculo recensione Persarum intelligenda putó, neque ita posse explicari adducor, ut visum est Iacobso: sed Bacchus, semper aliquid ineptiarum afferens, hic eó se ridendum praebet, quod, ut solent homines stolidi et inficeti, omnia

HERM. OP. II.

G

confundit, et non modo alia, quam quae vera erant, sed ea etiam ridicule refert. Illud vero recte observat Iacobsius, quum vitandam esse superbiam docere hac fabula poeta velit, unde ubique Xerxis temeritatem cum moderato Darii imperio conferri, clarissime id elucescere adducta in scenam ipsa Darii persona, quae quo augustior habitu, moribus, veneratione populi appareat, tanto magis Xerxem, ut inferiorem iisdem rebus omnibus, ita etiam miseriorem videri. Sed praeterea alia est, eaque meo quidem iudicio longe gravior caussa, ob quam Darii anima introducta est. Sume enim abesse hanc scenam, et nihil continebit fabula, nisi luctum sine fine et fructu. Etenim, ne exitu res careret, esse aliquid debebat, quo omnis iste luctus tenderet, quoque effecto, solatium malis, quantumvis illud triste, accederet. Quod quum duplex esset, aut in instaurando bello, aut in saniore capiendo consilio, consultationem ea de re institui necessarium erat. Idque factum videmus in colloquio chori cum Dario. Sed frustra esset ista consultatio, si vel ex populi, vel ex afflicti regis arbitrio penderet: nam, prouti in hanc vel in alteram partem inclinaret, aut inanes iras ostenderet, aut ¹⁴animum proderet malorum magnitudine victum fractumque. Vtrumque autem non modo foedum esset et a gravitate tragoediae alienum, sed ne certo quidem et firmo niteretur fundamento. Eiusmodi fundamentum non poterat nisi aut in fatorum necessitate, aut in voluntate divina inveniri. Atqui necessitatem aliquam fatalem fingere res ipsa prohibebat. Nam ubi caetera vere gesta sunt, hoc, quod eiusmodi est, ut de eo constare debeat, non potest fictum esse: quod secus est, ubi omnia ficta sunt. Itaque sola relicta erat voluntas divina, de qua quoniam creditur tantum, nihil erat, quod introduci eam vetaret. Nec tamen apte ipse deus in conspectum adductus fuisset. Persarum enim deus aliquis rei insolentia omnem fabulae rationem turbasset; Graecus autem, etsi nominari sine offensione Graeci dii potuerunt in hac fabula, tamen coram apparens male convenisset moribus Persicis. Itaque pro deo interpretem dei introductum videmus, non eum

tamen casu delectum, sed quem res ipsa demonstraret. Quum enim Xerxis temeritas desiderium excitasset Darii, qui ob iustitiam etiam apud inferos regis potestate esse existimaretur, nihil inveniri poterat accomodatius, quam hunc evocari ab inferis, ut collapsam rem publicam erigeret. Et quum, ut supra diximus, omnes huius fabulae personae ad id conspirarent, ut quaedam totius civitatis imago effingatur, nihil iam ad eius imaginis integritatem deest, addito Dario: propterea quod imperium civitatis ex duabus partibus constat, altera, quae humanis viribus rem publicam moderatur, altera, quae fatorum scientia nutuque divino priorem illam refrenat. Eaque in Dario tanto illustrior apparet, quod hanc personam ab eo sustineri videmus, qui et ob virtutes suas colendus, et ob pristinam dignitatem venerandus, et ob manium reverentiam sanctus, et ob honores infernos admirabilis, et ob divinam conditionem non minor deo sit. Facit vero Darius id, quod solum facere debebat. Dehortatur, ne instaurare bellum velint, monetque, illa quoque mala aperiens, de quibus nondum audiverat chorus, temeritatem ab diis funesta clade puniri. Hic vero finis est et exitus fabulae, ut malis ad sanierem mentem civitas revocetur. Sed alius est tragoediae finis, si cogitatione¹⁵ rem expendas; alius, si sensus, quos excitari par est, respicias. Effecto enim, quod ad actionis integritatem satis est, ratio nihil amplius desiderat. Sed quum animos movere poetae officium sit, eoque motu potius, quam rei perspicentia persuadere hominibus: apertum est, fieri posse, quod ex recentioribus multi neglexerunt, ut actio, quae ad rationem finita sit, ad sensum nondum finita habeatur. Ita est autem in Persis. Nam etsi iis, quae Darius dicit, res omnis finita videtur, tamen, quoniam hoc agebat poeta, ut atrocitas malorum a superbia deterreret, minime id consequutus esset, si gravi illa Darii tranquillitate rem componi, luctumque universae civitatis, quem maxime ostendere debebat, rursus sedari voluisset. Immo quo magis intellectam ex Darii oratione erat, iustas Xerxem dare superbiae poenas, tanto magis exardescere

dolorem et re vera ut poenam, dempta iam omni excusatione, se prodere oportebat. Quod egregie videns poeta, ita reliquam partem tragoediae instituit, ut, quum Atossam, filii regis miserum habitum digne vestita commutaturam a scena removisset, chorum autem pristinam Persarum Dario rege felicitatem potentiamque celebrare fecisset, iam omnem effunderet luctus et querimoniarum vim, ipso Xerxe in conspectum adducto: quem ut caput civitatis, et auctorem totius mali, ducemque funestae illius expeditionis, quum prudenter huic demum loco reservavit, tum a choro, admirabili temperamento inter acerbissimas exprobrationes et debitam regi reverentiam, ita excipi fecit, ut nulla fingi neque crudelior poena superbiae, neque gravior confectae dolore civitatis imago possit. Ita quum initio effusus, deinceps, aucto sensim moerore, concisius, minus minusque quid dicant suppetente, lugentem lugentes ad aedes regias deducunt, tam dira quaedam remanet in animis spectatorum infelicis superbiae species, ut nunc demum ipso poenae adspectu, quid sit illud, temere sese iactare, plane intelligant.

Sed satis dictum de inventione. Reliquum est, ut paucis etiam de dictione explicetur. Quae etsi in univ¹⁶ersum non alia est, quam in reliquis Aeschyli tragoediis, tamen et hoc ipsum, et quae sunt alia, digna sunt, quae diligentius considerentur. Etenim quum Graecos esse, quibus haec fabula scriberetur, Persas autem, qui in ea introducerentur, reputaret poeta, ita illam et ingeniorum et morum diversitatem temperavit, ut neque offenderet spectatores peregrinitas, neque non agi res a peregrinis videretur. In quo genere hodie peccant nonnulli, qui, quo magis naturam et veritatem exprimere videantur, peregrinitatem captant studiosissime. At aliud est, vertere fabulam ex peregrina lingua, aliud in domestica fabula argumentum peregrinum tractare. Quae enim versa sunt ex lingua peregrina, aut sic scripta, tamquam si essent versa, eorum virtutes non possunt aliter percipi, quam si suum ingenium spectator

exuat, induat autem alienum. Quod ut ii, qui doctiores sunt, facilius effectum reddant, at plerosque novitas rei et insolentia ita advertit ac moratur, ut in hanc intenti, illud quod primum est aut non videant, aut perperam iudicent. Id vero Graeco poetae tanto magis metuendum erat, quod ad populi sensum et approbationem exigerentur fabulae. Itaque Aeschylus tanta usus est cautione, ut etiam illorum quaedam, quae prorsus Graeca sunt, retinuerit. Eiusmodi sunt inferiae, quas Atossa Dario affert. Sed hoc quidem facile poterat latere: difficilius delitescebant Graeca Iovis, Apollinis, Mercurii, inferorumque regis nomina. At enim Persicis nominibus si usus esset, nova illa et insolita nomina attentionem spectatorum ab eo, cuius causa isti dii commemorantur, avocasset, et cogitationibus implicasset alienissimis: veluti si Atossa, ostentum sibi visum describens, pro Phoebō Mithram nominaret. Ex quo loco intelligitur, ne statuam quidem Apollinis, quae ante aedes regias conspici solebat, remotam fuisse. Nam Graeco quidem hominī tanto magis licitum erat suos deos peregrino populo commodare, quod ut vel ex Herodoto intelligitur, nomina illa ita muneribus quibusdam et potestatibus numinum significandis inserviebant, ut non mirum Graecis videretur, eosdem deos apud alias quoque gentes coli. Sed ut haec sapienter servavit poeta, ita non minus subactum iudicium prodidit in iis, in quibus adumbravit aliquam peregrinitatis speciem. Horum partim eiusmodi sunt, ut admoneant tantum de peregrinitate, quod genus in primis placuisse Graecis videmus: unde pictores quoque et statuarii multa figurate indicasse satis habuerunt. Tale est, quod Mariandynorum querimonias commemorat, vel barbaricos dicit clamores et eiulatus chori. Alio modo peregrinum colorem inducunt vocabula vel vere peregrina, vel vetustate obsoleta, cuiusmodi sunt *βαλῆν* et *ἰανες*. Cum his coniuncta est res in primis notabilis, interiectionum insolentia. Hae enim voculae quoniam non notionum sunt, sed sensuum indices, nullius sunt linguae propriae, sed communes linguarum

omniam. Itaque nulla est linguae pars, in qua et libertatem tantam, quantam in interiectionibus, poeta habeat, et quae aptior sit ad peregrinitatem sine offensione indicandam. Nam simul peregrinae esse videntur, si non sunt usitatae; simul reliquis non repugnant, quia nihil obstat, quin in quaque lingua locum inveniant. Idque sagacissimum poetam non latuit: unde ut crebras, ita novas et inusitatas in Persis interiectiones deprehendimus. Sed haec quidem, quae attuli, etiam in Supplicibus, pari in causa, usurpata videmus. Praeter haec autem duo sunt, quae in Persis singularia, praeclaroque inventa iudicio accedunt. Horum unum illa continet, quibus re vera peregrina facta est oratio. Neque enim neglexit poeta, orationem, quantam quidem per Graecae linguae indolem fieri posset, orientis populorum sermoni accommodare. In his non dubitaverim ipsa Persarum nomina ponere, quae si hic illic dispersa invenirentur, nihil magnopere, quod peregrinum videri posset, efficerent: sed sunt ea quibusdam in locis tam copiose coacervata, ut id de industria factum appareat. Hoc modo autem Graecis verbis Persicorum nominum multitudine obrutis et quasi expulsis, fieri non potuit, quin aptissima quadam minimeque violenta ratione omnia barbaricam speciem induerent. Sed praeterea Graecam quoque orationem, ubi id commode fieri poterat, ad exemplum orientis linguarum conformatam videmus: cuius generis duae potissimum formae notabiles sunt, una, qua nomen addito eiusdem nominis genitivo fortiores quamdam significationem accipit, cuiusmodi sunt *δεσπότα δεσπότου*, et *πιστὰ πιστῶν*; altera, quae est in usu adiectivi pro substantivo, in primis illa insolens quiddam et ex peregrina poesi depromptum prae se ferens, ut quum *τὴν ἀμίαντον, τὴν ἀνδευουργόν, τὴν οἰστοδύγμονα* dici, non additis nominibus substantivis, mare, et apem et pharetram designans.

Alterum illud, quod singulare in Persis videtur esse, ita comparatum est, ut sentiri facilius, quam describi possit. Est illud in agitata illa et fluctuante oratione positum, quae in carminibus choricis et repetitione eius-

dem vocabuli, aliam illa aliis in locis vim habente, maxime autem crebra numerorum per interiectiones interpellatione efficitur. Ad quae qui diligenter attenderit, facile sentiet, quam iusuetum quiddam multoque magis quam pro Graecorum ingenio aestuans et quasi fluctuosum ad aures accidat. Nec dubitandum videtur, quin, si de modis, qui cantui facti erant, iudicari posset, in his quoque invenirentur, quae eodem essent fine instituta. Nunc vero tantum in numeris consistere cogimur, qui, modo et corrupta emendentur, et versus recte disponantur, quum ubique aptissimi sunt et efficacissimi, tum nescio an in nullo carmine diviniorem vim habeant, quam in illo, quo Darii umbra ab inferis evocatur. Sed haec eiusmodi sunt, ut nisi quis ipse satis culto sensu polleat, explicari, scripto praesertim, non possint.

Sed veniendum est ad id, quod hanc nobis scribendi opportunitatem fecit. Volebamus enim in diem consuetam creationem atque inaugurationem indicere doctorum philosophiae, ad eamque sollemnitate celebrandam quum communitatem Academicam, tum huius urbis proceres gravissimos, et quique rerum nostrarum fautores essent, invitare. Verum exitiale bellum, quod hoc anno vastavit Saxoniam, nos quoque quum aliis non mediocribus affecit damnis, tum usu privavit auditorii, quod a 19 multis annis huic sollemnitati destinatum, post praelium ad urbem nostram commissum, vulneratorum atque aegrotantium receptaculum factum est. Praeterea, etsi Illustris Ordo Iurisconsultorum benevole sui nobis auditorii commoditatem offerebat, tamen convenientius existimavimus, omissis, quae usitatae sunt, caerimoniis, in ipso ordinis nostri conclavi Candidatos inaugurare, abhorrentibus a publicorum sollemnium laetitia animis nostris propter obitum collegae praestantissimi, Mauricii de Prasse. In quo viro, quem ipsum, quae nunc grassatur, mala febrium contagio nobis eripuit, tanto acerbiorum fecimus iacturam, quo ille non solum scientiae diligentia,

ingenique sollertia excellentior, sed venerabilior etiam iis virtutibus erat, quibus praecipue hominis dignitas continetur. Iustus ille erga omnes, in inimico pariter atque amico laudabat, quae laudanda essent, reprehendebat, quae reprehendenda; strenuus in servanda fide, nullam detrectabat molestiam; promptissimus in adiuvandis aliis, nullo nec dignationis nec notitiae discrimine, maximos ultro subibat labores; ab omni fastu et vanitate alienus, neque admirabatur potentes, neque cuiusquam adeo humilem putabat conditionem esse, quin ei et eadem officia, et pari cum humanitate, ac nobilissimo cuique, praestaret; liberalis et ab lucri cupiditate intactus, succurrebat, quocumque modo posset, egentibus, acerbè notans avaros, aut si quis, aurum probro emere non erubescens, ex publica calamitate privatae rei incrementum captaret: quippe turpe ducebat, quam quisque communis mali partem ferre deberet, imponere aliis, civesque ipsam suos reddere tributarios. Quid autem dicam, amicis qualem se praeberit? quibus quidquid vel secundum vel adversum accideret, ita ad se ipsum pertinere iudicabat, ut neque in prosperis rebus ipsi magis gaudere amici, quam illum laetatum viderent, potuerint, nec, si qua aegritudo incideret, aut in consolando quisquam officiosior, aut in adiuvando sollertior magisque indefessus reperiretur. Quid denique familiaris consuetudinis decoram hilaritatem, sermonumque urbanam dicacitatem commemorem, quae coniuncta cum summa animi sinceritate omnibus eum reddebat acceptissimum? Tali igitur viro nobis erepto, quum luctui nostro attemperandam sollemnium nostrorum celebrationem censuerimus, Vobis, Magnifice Rector Academiae, gravissimi utriusque rei publicae Proceres, carissimi Commilitones, peractam in conclavi nostro d. XXI. mensis Februarii creationem magistrorum ea, qua par est, observantia significamus.

DE METRORVM QVORVMDAM
MENSURA RHYTHMICA
DISSERTATIO *).

Ex quo metrorum scientia ad iustae doctrinae rationem revocari coepta est, ex omnibus, qui ad hanc rem studia sua contulerunt, nemo ei maius incrementum, mea quidem sententia, attulit, quam Seidlerus, versibus dochmiacis accuratius explicandis. Alii, maiora professi, vel plane destituerunt quam fecerant spem, vel alia, quam quae expectabantur, in medium attulere. Ex quibus si qui nuper, recentioribus magis quam Graecis litteris imbuti, nullamque nisi ingenii ad negata animosi laudem sectantes, quum aequalem pedum mensuram Graecis vindicare conarentur, vel editis magnis de re metrica voluminibus, vel in diariis quibusdam asseclarum suorum rudimenta commendantes, omnem argutandi calumniandique sollertiam adhibuerunt, ut audientiam sibi fecisse crederentur, naturam numerorum in quadam imagine imaginisque imagine positam ostensuri: nos quidem, hanc communem omnium reputantes doctrinarum sortem esse, ut

*) Edita est a. 1815.

etiam devia suum consequantur fastigium, aliis quaerendum relinquamus, quis Musarum sacerdos, pedem Ionicum a maiore in duabus syllabis unave modulans, carmina non prius audita virginibus puerisque cantet, daturus aliquando, ut sperare licet, etiam monosyllabum versum heroicum. Alia via, ut par erat, rem aggressus est A. Boeckhius, vir et doctissimus et studiosissimus veri: qui quum ipse quoque nova opus esse metrorum doctrina sibi persuasisset, non solum naturam numerorum suo quodam proprio modo explicare studuit, sed etiam, quoniam artis veterum musicae ea in re aliquem usum fore intelligebat, ad hanc quoque, tamquam ad fontem largos haustus promittentem, praecipua quadam cura cursum disputationis suae deflexit. Quae musicae veteris pervestigatio non dubitamus quin admodum fractuosa rei metricae fuisset, si vir praestantissimus admirabilem illam industriam suam eo, quo maxime debebat, contulisset. Nam quum duae sint partes musicae, harmonica et rhythmica, quarum harmonica tenui quodam et hodie vix explicabili vinculo cum metrica doctrina cohaeret, rhythmica autem cognata ei est coniunctaque maxime: harmonicam diligenter ille pertractavit, rhythmicam autem, de qua vel sola, vel praecipue eum dicturum expectabamus, obiter tantum attigit, afferens magis, quam explicans, quae in hoc genere a veteribus tradita sunt. Est illa sane longe obscurissima pars veteris musicae, quae non aliter, ut videtur, explanari poterit, quam si Aristoxeni elementa rhythmica reperiantur, vel Pselli saltem introductio in artem rhythmicam, cuius specimina quaedam Morellius dedit, in lucem prodeat *). At tanto cautius incedere oportet, si quis numeros Graecorum ex ipsa illius gentis doctrina iudicare instituit.

Prorsus enim diversae erant rhythmica et metrica. Metrica, quae ad solam versuum compositionem specta-

*) De illo Pselli scripto v. praefat. ad Elem. doctr. metr. p. VII.

bat, quoniam in sermone duae tantum mensurae usurpantur, in solis duplicis mensurae varietatibus consistebat; rhythmica autem, quae ad cantum pertinebat, quam mensurarum maiorem habebat varietatem, tum pedibus utebatur et aliis et aliter consociatis. Inde metricae artis propriae perhibentur productiones correptionesque syllabarum, et longitudines ac brevitates; rhythmicae autem, tarditates ac celeritates. Nam Porphyrius p. 239. si cui productiones syllabarum et correptiones ad rhythmum referre videatur, nihil nisi negligentius loqui scriptorem illum, ordine minus observato, et res ipsa, et aliorum scriptorum loci, ut Manuelis Bryennii p. 502. et Suidae in v. ῥυθμός, docere poterunt. Quot autem mensuris rhythmici usi sint, non est traditum ab antiquis. Nam Aristidis Quintiliani verba p. 33. σύνθετος δέ ἐστι χρόνος, ὁ διαιριεῖσθαι δυνάμενος· τούτων δὲ ὁ μὲν διπλασιῶν ἐστὶ τοῦ πρώτου· ὁ δὲ, τριπλασιῶν· ὁ δὲ, τετραπλασιῶν· μέχρι γὰρ τετραδος προῆλθεν ὁ ῥυθμικὸς χρόνος, vereor ne pariter atque ea, quae Martianus Capella p. 194. dicit, ad illa pertineant, quae idem Aristides p. 45. et scholiastes Hephaestionis p. 78. alique de syllabis vocalium pondere, consonantiumque multitudine magis minusve auctis, nimis profecto subtiliter, disputant. Certe non est ista observatio de ea re intelligenda, de qua disserit Aristoxenus in fr. rhythm. p. 288. qui ipse alia omnia potius, quam pedem simplicem non nisi ex quattuor moris constare dicit. Loquitur ille de partibus pedis, arsi et thesi, quarum dicit in pede simplici non nisi quattuor, duas theses, totidemque artes coniungi: quod etiam Psellus p. 301. confirmat. Verba Aristoxeni, quibus emendatis uti praestat, haec sunt: τοῦ δὲ λαμβάνειν τὸν πόδα πλείω τῶν δύο σημεῖα, τὰ μέγθη τῶν ποδῶν αἰτιατέον· οἱ γὰρ ἐλάττους τῶν ποδῶν, εὐπερίληπτον τῇ αἰσθήσει τὸ μέγεθος ἔχοντες, εὐσύνοπτοί εἰσι καὶ διὰ τῶν δύο σημείων· οἱ δὲ μεγάλοι τούναντίον πεπόνθασι· δυσπερίληπτον γὰρ τῇ αἰσθήσει τὸ μέγεθος ἔχοντες, πλείονων δέονται σημείων, ὅπως εἰς πλείω μέρη διαίρεθὲν τὸ τοῦ ὅλου ποδὸς μέγεθος

εὐσυννοπιότερον γένηται· διὰ τί δὲ οὐ γίγνεται πλείω σημεῖα τῶν τεττάρων, οἷς ὁ πούς χρήται κατὰ τὴν αὐτοῦ δύναμιν, ὕστερον δειχθήσεται. Nam quemadmodum βάσις rhythmici, ut mittam, quae Budaeus in Comm. Gr. l. attulit, nunc de thesi, quam ipsi dicunt, usurpant, ut Aristoxenus fr. rhythm. p. 292. 294. et Psellus p. 301. nunc de loco et sede integri pedis, ut scholiastes Hephaestionis p. 44. et interpretes Aristophanis ad Nub. 652. nunc etiam universe de incessu numeri dicunt, ut Aristides p. 38. v. 22. cui addere possem locum ex inedito de metris libello: ita etiam *σημεῖον* modò moram sive tempus vocant, cuius significationis exempla attulit Morellius ad Aristoxeni fr. p. 280. s. modo motum dicunt unum, qui, ut unus sonus, vel una syllaba, partem pedis implet, ut Aristoxenus in fr. p. 278. 282. et Aristides p. 32. modo universe talem pedis partem intelligunt, sive ea motu, seu sono, seu syllaba contineatur, ut idem Aristoxenus p. 288. 290. 292. et Psellus p. 301. interdum vero etiam illam pedis partem, quae vel arsis vel thesis est, etiam si ex pluribus vel sonis vel syllabis vel 6 motibus constet, nomine isto significant, ut Aristides p. 39. paeonem diagyium ex duobus *σημείοις* compositum dicens, qui pes alias vel quinque vel tria dicendus esset *σημεῖα* habere. Sed haec obiter. Quae certae videntur rhythmicorum mensurae, sunt, praeter simplicem et duplicem, quadruplex et octuplex. Hae ambae in orthio, trochaeoque semanto inveniuntur; quadruplex etiam, ut videtur, in spondeo maiore seu duplici. Etsi enim, qui hunc ex quattuor bimoris partibus constare volunt, non inepte comparatione uti possunt proceleusmatici, quem ex quattuor brevibus temporibus compositum similiter duplicem vocat Aristides, tamen, quam ille spondeum istum p. 36. non sine causa, ut putamus, *ἐκ τετρασήμεον θέσεως καὶ τετρασήμεον ἄρσεως* fieri dicat, verior videtur Boeckhii sententia, duas eum quaternorum temporum partes habere. Omnino autem ipsa rei natura postulat, ut pluribus, quam simpli et dupli mensuris usam esse musicam Graecorum credamus, quod nimis iners et rudis fo-

ret cantus, qui non nisi duplicis mensurae varietatem admitteret. Sed hoc quidem facile omnibus probabitur. Illud vero mirum plerisque et incredibile accidet, si dixerimus, etsi poetae Graeci propter linguae suae naturam non pluribus utantur, quam duabus mensuris, tamen ex ipsis eorum metris aliquando colligi posse, quibus in cantu rhythmicis mensuris vel non usi, vel etiam usi esse videantur. In qua re si non fallimur, intelligetur forsitan, esse adhuc, quo artis periti nondum penetrarint.

Consideranti comparantique hos duo versus,

*ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη,
Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόζαι πεδίλῳ,*

quorum utrumque trochaicum esse volunt, facile appareat necesse est, posse quidem utrumque eodem modo recitari, i. e. per dipodias trochaicas, potiore ictu in prima syllaba notatas, sed tamen, ne Pindaricum ita legi velis, duo obstat, unum, quod volubilitas trochaici numeri, quamvis per trochaeos irracionales ad paullo maiorem gravitatem adducti, minime conveniat severitati Doricae harmoniae, cuius iste e trochaeo spondeoque factus numerus proprius est; alterum, quod epitriti usus in hunc numerum ita receptus est, ut ille non ex duobus trochaeis, sed ex trochaeo et spondeo constare videatur. Nam quid est, cur in tanta horum numerorum apud Pindarum copia vix pauci reperiantur versus, qui trochaicum habeant, quum praesertim idem poeta in iis carminibus, in quibus vere trochaicis numeris usus est, trochaicum in fine dipodiae saepissime admittat, ut in Nem. VIII. *) quod, ut ipse testatur, Lydiam harmoniam habuit: quod contra in Dorici carminibus, ut in Pyth. IV. in quo iste epitritus quingenties tricies ter invenitur, non nisi bis in medio versu ditrochaicum positum videmus, idque ipsum iis in

*) At in hoc quoque carmine Dorici epitritos esse, trochaesque vel scriptura emendata, vel versibus rectius dispositis removeri, nunc persuasum habeo.

locis, ubi syllaba brevis recte pro longa poni possit. Quae tanta diligentia, quam etiam apud tragicos in hoc genere deprehendimus, monet, ut locos, qui repugnant, de vitio suspectos habeamus. Sunt autem apud Pindarum, de quo solo nunc dicam, hi. Ol. III. 27. (46) ubi neque *Ἰστρία νιν*, neque *Ἰστρίαν νιν*, neque *Ἰστριανήν*, ut quidam libri habent, sed *Ἰστριηνάν* scribendum videtur: pronomine enim tanto minus opus est, quod istud nomen nullo modo ad *γαῖαν*, pertinere potest, sed cum sequente *ἐλθόντα* construendum est. VII. 2. (3) ubi *ἀμπέλου ἔνδον*, quamvis contra plerosque libros et Athenaei auctoritatem, inverso verborum ordini praeferam. X. 4. (XI. 4.) ubi etsi anceps iudicium est, quum duas tantum strophas hoc carmen habeat, versusque et hic et ultimus stropharum trochaicus esse possit, tamen, quum reliqua metrorum compositio trochaeis non magnopere faveat, videndum est, ne *σὺν πόνῳ* vel errori, vel correctori, *ἀνήρ* in antistrophico prima correpta esse putanti, debeat, poeta autem *σὺν μόχθῳ* dederit*). XII. 21. (27) iam Boeckhiius sustulit, recte monens, *ὀμιλέων* trisyllabum esse. Pyth. I. 13. (26) *ἀτύζονται* non debebat cum *ἀτύζεται* commutari, quum praesertim Plutarchus, gravis nec silentio praetereundus auctor, non uno loco pluralem tueatur**). Nem. V. 14. (25) ubi in particula *μη* non immerito offendit Boeckhiius, reponere, *ἐν δίκῃ τ' οὐ μή κενιδυνευμένον****). IX. 32. (75) et 47. (111) iam Boeckhiius in vitii suspicionem adduxit, in priore nihil ob stare monens, quin *εἰσὶν* pro *ἐντὶ* scribatur****); in altero restituere, *οὐκ ἔστιν τὸ πόρ-*

*) Servata vulgata lectione in repetita editione Heynii rectius dispositis membris hoc vitium removi.

**) Quamquam hoc in exemplo, quia non epitritus, sed Creticus sequitur, ferri posset *ἀτύζεται*.

***). Defendi hic quoque potest vulgata; modo membris recte divisus.

****) Non est tamen haec, ut opinor, vera lectio, sed scribendum *ἐν τίν τοι*: vide Nem. VII. 132. nisi praestat etiam *ἔν τοι τίν*, ut Pyth. I. 134. *σὺν τοι τίν*.

ω. Isthm. V. 34. (52) ubi neque *κάρυξε*, neque *κύρησε* nunc probem, sed malim, *ἀλλ' Αἰακίδαυ καλέων ἐς πλέον κάρυσσε*, *Aeacidam ad expeditionem se vocare indicabat*. Quae praeterea ditrochaei exempla in his numeris inveniuntur, idoneam excusationem habent. Sunt enim aut in fine versus, ubi ultimae syllabae mensuram nihil curari constat, aut in fine numeri, sequente mediis in versibus alio numero, qui locus eandem habet ancipitissyllabae veniam. Et prioris quidem generis exempla afferre nihil attinet; alterius autem quae reperiuntur, commemorasse non erit supervacaneum. Et ante dactylicos numeros trochaeus invenitur Ol. VI. 18. (31) VIII. 54. (71) X. (XI) 6. 12. XII. 19. (25) Pyth. III. 18. (31) IV. 23. (40) IX. 21. 125. (38. 214) Nem. V. 47. (86) nisi quis ibi, quod Heynio in mentem venit, *μάραντας* reponi malit. X. 4. 22. (6. 40) Isthm. I. 17. (24.) Ante choriambum Ol. XIII. 19. (26.) Ante Creticum Ol. X. (XI) 16. 17. 21. XII. 15. (21) Pyth. IV. 5. (9) Nem. I. 1. V. 1. 15. (28) Isthm. III. 15. 17. 34. 35. (24. 28. IV. 25. 28) et olim 51. (IV. 55) ubi nunc meliorem lectionem cum epitricto restituit Boeckhiius. At, inquit aliquis, quid Creticus ad rem, qui quum nihil sit nisi catalexis, non alius, sed idem numerus est, ut, si ante hunc syllabae ancipiti locus est, ea res indicio sit, esse potius in epitricto isto trochaicum numerum, quam non esse. Enimvero ita videri non nego: attamen non esse ita, tantisper mihi concedi volo, tum attulero, quod opinionem meam confirmet. Nunc, si vera dicimus, Ol. XII. 6. (7) metrorum dispositio ea, quae est in vulgatis libris, excusationem praesbebit ditrochaeo, quam ille in nupera descriptione non habet. Sed praeter haec exempla etiam illa non sunt existimanda ditrochaeum habere, in quibus nomen proprium illum pedem infert, ut Isthm. II. 14. (21) *) III. 90. (IV.

*) Hunc quidem locum in Elementis doctrinae metricae p. 651. monui liberari posse licentia ista, membris aliter dispositis et v. 66. *ἐπεί τοι γ'* scribendo. Sed rectius tamen opinor, concedemus hanc veniam nomini proprio.

128) *) (nam Agesidamos, Agesilaos, Agesimachos, qui communi lingua Hegesidami, Hegesilai, Hegesimachi erant, sciens omitto) ita ut in his, quae paullo ante ab alio sequente numero veniam habere diximus, haec Ol. VIII. 54. (71) XII. 19. (25) Pyth. IX. 125. (214) Isthm. III. 15. (24) in quibus nomen proprium est, duobus modis defendi possint. Nam ut Aeschylus *Ἰππομέδοντος* et *Παρθενοναῖος*, Sophocles autem *Ἀλφειοβόια* secunda longa, idemque prima producta *Τελεύταντος* dixit, etsi hoc quidem Porsonus eleganti coniectura tollere studuit, ita Pindarus quoque aliquid in nominibus propriis sibi indulsit, et plus fortasse, quam quis opinetur. Insigne exemplum praebent Ol. II. initio *Ἡρακλέης*, et Nem. VI. 54. (89) *Ἄους ἀκμῆ*; quibus in verbis, ut nos quidem putamus, paeon primus secundam tertiamque syllabam contractas habet in unam longam: quod quum contra legem paeonum factum sit, apparet, syllabam istam duobis sonis cani debuisse **). Id enim factum esse interdum, et haec Aristoxeni verba monstrant in fragm. rh. p. 288. *ὁ δὲ μικτὸς (χρόνος), ᾧ συμβέβηκεν ὑπὸ φθόγγου μὲν ἑνός, ὑπὸ ξυλλαβῶν δὲ πλειόνων καταληφθῆναι, ἢ ἀνάπαλιν ὑπὸ ξυλλαβῆς μὲν μιᾶς, ὑπὸ φθόγγων δὲ πλειόνων*, et Aristophanes comprobatur, abusum huius rei notans illo *εἰσεισεισειλίστε* in Ranis v. 1349. 1390. Paeones quidem, quibus vel Germanicas Musas noster ille canere docuit Klopstockius, Boeckhii nunc Graecorum volubili linguae eripere conatus est, quod quae ab ipso inventa est metrorum doctrina eos non ferret. Nos, aliter ea de re sentientes, illud tantum nunc monebimus, in carmine Ol. II. primum paeonem, aliquoties ab interpolatoribus sublatam, praeter il-

*) Hic locus non indiget hac excusatione. Sed non recte distinxi membra in Elem. doctr. metr. p. 651.

**) Ita tamen hoc insolens videtur in paeonico numero et pene abhorrens ab eius natura, ut dubitem an praestet has Critici soluti contractiones putare.

lud *Ἡρακλέης* in omnibus strophis et posse restitui, et videri restituendum esse. Redeo ad ditrochaicum. Is uno in carmine, Isthmicum quartum, vulgo quintum, dico, prorsus videtur rationes nostras conturbare:

*μᾶτερ Ἀλίου, πολώνυμο Θεία,
σέο γ' ἕκατι καὶ μεγασθενῆ νόμισαν,*

cuiusmodi pleraque stropharum initia sunt *): simulque addi his debet III. 19. (IV. 1.)

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος.

Quibus locis quum scripturae correctio adhiberi non pos-10 sit, certo evertent sententiam nostram, nisi inveniatur, quo ipsi quoque defendi queant. Ac de Isthm. III. 19. (IV. 1) sic existimo: quoniam quaternae dipodiae coniunctae sunt, binas, ut in multis versibus, unum membrum constituere: quam rationem huic versuum generi etiam in V. carmine Isthmiorum, licet alio modo, vindicari, non opus est ut peritos moneam. Ex quo consequitur, nihil offensionis habere ancipitem in fine secundae dipodiae, ut finito ibi numero; sed in prima dipodia post *ἔστι* particulam aliquam excidisse. Aliter statuendum videtur de primis duobus versibus quarti carminis: in quorum primo quum secundus, in secundo quartus pes saepius, quam velis, excusatione opus habeat, in priore autem secundi versus dipodia nulla prorsus trochaeo venia sit: nihil reliquum est, quam ut hos duo versus aut vere trochaicos numeros habere, ideoque plane ab illo genere, de quo loquimur, diversos esse censeamus, quod tamen non videtur bene convenire cum reliquis numeris, in quibus omnibus Dorica gravitas conspicua est; aut primam primi, secundam secundi versus dipodiam neque trochaicam, neque ex trochaeo et spondeo, sed ex basi

*) Descriptionem metrorum postea eam dedi, qua tollitur vitium. Vide Elem. doctr. metr. p. 650.

et trochaeo esse statuamus*), quod genus si cui duplicem basin vocare placet, ostendat velim, cur secundus pes alias sequatur, quam quae sunt baseos leges. Ita vero non modo in utraque dipodia varians mensura idoneam rationem habebit, sed recte etiam in secundo versu prior dipodia trochaeum pro spondeo recipiet; latente, quia alius numerus sequitur, falsa mensura. In epodorum autem versu septimo, in quibus omnibus (sunt autem tres tantum) ditrochaeus dactylos praecedit, ferri fortasse trochaicus numerus, quum sit brevissimus, poterit; sin minus, apparet, certe excusari syllabam ancipitem posse.

Sed veniendum iam est ad ea, quorum causa haec disserui: ex quibus, ut hoc obiter addam, satis intelligetur, cur finem fragmenti Pindarici, quod a Thierschio in Actis Monacensibus I. fasc. III. p. 315. s. et a Boeckhio in adnotationibus ad Isthm. VII. editum est, 11 choriambum, non ditrochaeum constituerim. Alia fragmenta, in quibus ditrochaeus est, ubi epitritum esse conveniebat, vel aperte corrupta sunt, vel certum iudicium excludunt. Igitur dipodia trochaica non potest aliter pronunciari, quam ut prior pes maiorem, posterior minorem ictum accipiat, ut in hoc versu,

ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπεράτη.

In qua re nihil mutat ultimae productio, quia ea syllaba tamen pro brevi est. Quin Boeckhio auctore etiam mensuram in secundo pede prima syllaba brevior, quam in primo, habet. Hic enim lib. I. cap. extremo, ut aequalem pedum mensuram, qua hodie musici utuntur, etiam in Graecam musicam inferret, quum id quosdam per pupeta, quibus sescuplum ad dimidium comparatur, frustra tentare intelligeret, rem excogitavit, cui rite exsequendae ipse Apollo impar sit, mensuram dipodiae trochaeicae, trochaeum irrationalem habentis, ex his con-

*) Nihil opus esse hac metri descriptione, ex ea quam postea dedi dispositione versuum intelligitur.

stare rationibus: 2. 1. $1\frac{1}{2}$. $1\frac{2}{3}$. Esto: quis enim hodie incredibilia reformidet? At quid fiet praeceptis veterum rhythmicorum? Nam quum $1\frac{1}{2}$ et $1\frac{2}{3}$ hanc rationem habeant, quam 4 et 3, triplicis et quadruplicis mensurae consociatio usitatissima foret, quam tamen veteres vel plane reiectam, vel raro certe usurpatam perhibent. Deinde, si dicunt veteres, posteriorem spondei irrationalis syllabam brevi longiorem esse, quis tamen eorum dixit, priorem syllabam breviorē esse longa? Denique quis dixit, irrationalem syllabam cum irrationali consociari, quae ratio aperte exclusā est et ab Aristoxeno in fr. rh. p. 298. et a Bacchio p. 23. Quae quum ita sint, manebit, ut opinor, etiam secundi pedis initio eadem, quae primi, mensura in ditrochaeo, etiam si posterior pes irrationalis sit. Sed quid dicemus de illo genere, quale hoc est,

Δωρίῳ φωνᾶν ἐναρμόσαι πεδίῳ,

quod isto modo si legimus, mensura utriusque pedis pari, priore autem pede maiorem percussionem habente, omnis perit numerorum gravitas et magnificentia. Quod genus neminem, qui aliquo venustatis sensu polleat, aliter, quam prioris pedis initio minorem, alterius maiorem habente percussionem recitaturum putamus, ipso sensu illuc inclinante, ut pedem, qui posterior est, spondeum, quam trochaeum irrationalem esse malit. Id vero planissime confirmatur iis, quae supra attulimus. Nam si spondeus tam constanter usurpatur, ut non ipse, sed trochaeus, si is aliquando inveniatur, excusatione indigeat, quid aliud, quam non ex duobus trochaeis, sed ex trochaeo et spondeo hoc genus compositum esse dicemus? At hoc quoque dubitationem habet non exiguam. Nam si iste non ditrochaeus, sed epitritus est, quid causae est, cur rhythmici, quum hic numerus apud lyricos usitatissimus, apud tragicos minime rarus sit, tamen, ubi de divisione numerorum loquuntur, tria faciant genera, par, duplex, sescuplex; quartum genus autem, epitritum, ut quod exigui usus sit, a quibusdam tantum adici referant, veluti Aristides p. 35.

H 2

bis, Porphyrius in Comment. ad Ptolem. p. 220. Psellus p. 300. Quin Aristoxenus plane hoc genus exclusit, ita scribens in fine fragmenti: τὸ δὲ ἐπτάσημον μέγεθος οὐκ ἔχει διαίρεσιν ποδικήν· τριῶν γὰρ λαμβανομένων λόγων ἐν τοῖς ἐπτά, οὐδεὶς ἐστὶν ἔρρυθμος· ὧν ὁ εἰς μὲν ἐστὶν ὁ τοῦ ἐπιτρίτου· δεύτερος δὲ, ὁ τῶν πέντε πρὸς τὰ δύο· τρίτος δὲ, ὁ τοῦ ἑξαπλασίου· ὥστε πέμπτοι ἂν εἴησαν οἱ ἐν ὀκτασήμῳ μεγέθει: numeraverat autem quattuor ante genera, trium, quattuor, quinque, sex temporum. Ex quo apertum est, quem diximus epitritum apud Pindarum inveniri, ab rhythmicis aut ad trochaeos relatum, aut certe ne pro epitrito quidem habitum esse. Atqui ne ad trochaeos referatur, obstant, quae paullo ante commemoravimus: quodsi ne epitritus quidem est, quid tandem erit aliud? Laudabo; qui ad hoc ita responderit, ut locus dubitationi non relinquatur. Ego satis habebō, distinctius constituenda quaestione etiam augere dubitandi materiam. Sensum si consulas, quem solum in hoc genere, et quamquam non contemnendum, attamen ne omni quidem ex parte certum ducem habemus, facile adducaris, ut gravitatem Dorii numeri ne spondeo quidem trochaeum sequente, i. e. his mensuris 2. 1. 2. 2. contentam esse, sed longius etiam duci debere 13secundi pedis initium existimes. Vnde, qui hodiernam musicam veteri immiscent, talem forsitan rationem comminiscuntur, 2. 1. 3. 3. adhibito vel illo Aristidis tempore triplici, de quo supra diximus, vel, si id eripiat, testimonio Aristoxeni p. 302. cuius verba emendata adscribam: τέταρτοι δ' εἰσὶν οἱ ἑξασημῶ μεγέθει· ἔστι δὲ τὸ μέγεθος τοῦτο δύο γενῶν κοινόν, τοῦ τε ἰαμβικοῦ, καὶ τοῦ δακτυλικοῦ· ἐν γὰρ τοῖς ἑξ τριῶν λαμβανομένων λόγων, τοῦ τε ἴσου, καὶ τοῦ διπλασίου, καὶ τοῦ τετραπλασίου, ὁ μὲν τελευταῖος ῥηθῆς οὐκ ἔρρυθμος ἐστὶ· τῶν δὲ λοιπῶν ὁ μὲν τοῦ ἴσου λόγος εἰς τὸ δακτυλικὸν γένος ἐμπροσθεῖται· ὁ δὲ τοῦ διπλασίου εἰς τὸ ἰαμβικόν. Eademque dicit Aristides p. 35. seq. τῶν ῥυθμῶν τοίνυν οἱ μὲν εἰσι σύνθετοι, οἱ δὲ ἀσύνθετοι· ἀσύνθετοι μὲν, οἱ ἐνὶ γένει ποδικῷ χρώμενοι, ὡς οἱ τετράση-

μοι· σύνθετοι δὲ, οἱ ἐκ δύο γενῶν, ἢ καὶ πλειόνων, ὡς οἱ δωδεκάσημοι· μικτοὶ δὲ, οἱ ποτὲ μὲν εἰς χρόνους, ποτὲ δὲ εἰς ῥυθμοὺς ἀναλλόμενοι, ὡς οἱ ἐξάσημοι. At haec ad aliam rem transfert Boeckhius p. 27. cui neque contradicam, neque assentiar, nisi alia praegressa disputatione, cui nunc non est locus. Omnino autem etiam si defendi ista ratio posset, minime apta ea foret his numeris, manente trochaei similitudine, cuius iteratio non minus omnem gravitatem excludit, quam ineptus ille dactylorum exitus, qui in Ol. VI. nimis patienter ad hunc usque diem toleratus est. Aptius fortasse prioris pedis duplum videbitur. 2. 1. 4. 2. Modo quis aliunde huuc longiorem trochaeum proferat. Poterit quidem, ductus ope, ex memorabili loco Aristoxeni, Harm. II. p. 34. *πάλιν ἐν τοῖς περὶ τοὺς ῥυθμοὺς πολλὰ τοιαῦθ' ὀρώμεν γιγνόμενα· καὶ γὰρ μένοντος τοῦ λόγου, καθ' ὃν διώριστα τὰ γένη, τὰ μεγέθη κινεῖται τῶν ποδῶν, διὰ τὴν τῆς ἀγωγῆς δύναμιν· καὶ τῶν μεγεθῶν μενόντων ἀνόμοιοι γίνονται οἱ πόδες, καὶ αὐτὸ τὸ μέγεθος πόδα τε δύναται καὶ συζυγίαν.* Quae non recte explicat Meibomius. Nam hoc dicit Aristoxenus, manente ratione eadem, v. c. dupli, mutari pedum pondus per ductum, ut trochaeus, si hoc utare, vel trium possit vel sex temporum esse; rursumque magnitudine manente, veluti seniorum temporum, dissimiles fieri pedes, ut eadem magnitudo vel uni, vel duobus trochaeis sufficiat. Verum enim vero nec tam crebro, quam in his epitritis opus foret, ductum muta-
 14
 tum esse credibile est, praesertim si compares, quae Quintilianus IX. 4, 50. dicit, silentiumque ea de re Aristidis p. 99. seq. et obstare quodammodo etiam Plutarchi verba videntur, qui in libro de musica, quamvis c. 21. p. 1138. B. laudet antiquorum in numeris varietatem, tamen c. 6. p. 1133. B. ita scribat: τὸ δ' ὅλον ἢ μὲν κατὰ Τέρπανδρον κιθαρωδία καὶ μέχρι τῆς Φρόνιδος ἡλικίας παντελῶς ἀπλῆ τις οὔσα διετέλει· οὐ γὰρ ἐξῆν τὸ παλαιὸν οὕτω ποιεῖσθαι τὰς κιθαρωδίας, ὡς νῦν, οὐδὲ μεταφέρειν τὰς ἀρμονίας καὶ τοὺς ῥυθμοὺς. Praeterea bene tenendum est, quos Graeci pedes rhythmicos vocant,

etsi natura sua dissimillimi sunt hodiernae illi aequali pedum mensurae, cui tactui nomen fecere, tamen usu non multum ab ea diversos esse: unde consequitur, non necessarium fuisse, ut cantus non alias, quam has ipsas partes, quibus pedis cuiusque natura continetur, exprimeret. Id quum obscurius colligi possit ex iis, quae eodem illo, quem commemoravimus, loco addit Aristoxenus: *δηλον δ' ὅτι καὶ τῶν διαιρέσεώς τε καὶ σχημάτων διαφοραὶ περὶ μένον τι μέγεθος γίνονται· καθόλου δὲ εἰπεῖν, ἡ μὲν ῥυθμοποιΐα πολλὰς καὶ παντοδαπὰς κινήσεις κινεῖται· οἱ δὲ πόδες, οἷς σημαινόμεθα τοὺς ῥυθμούς, ἀπλᾶς τε καὶ τὰς αὐτὰς αἰεὶ· multo clarius intelligitur ex his, quae idem in fr. rh. p. 290. scribit, ubi quum dixisset, pedem suapte natura non ultra quattuor partes, duas theses, totidemque arses, recipere, pergit ita: *δεῖ δὲ μὴ διαμαρτεῖν ἐν τοῖς νῦν εἰρημένοις, ὑπολαμβάνοντας μὴ μερίζεσθαι πόδα εἰς πλείω τῶν τεττάρων ἀριθμῶν· μερίζονται γὰρ ἔνιοι τῶν ποδῶν εἰς διπλάσιον τοῦ εἰρημένου πλήθους ἀριθμῶν καὶ εἰς πολλαπλάσιον· ἀλλ' οὐ καθ' αὐτὸν ὁ πούς εἰς τὸ πλεόν τοῦ εἰρημένου πλήθους μερίζεται, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας διαιρεῖται τὰς τοιαύτας διαιρέσεις· τοῦτέον δὲ χωρὶς τὰ τε τὴν τοῦ ποδὸς δύναμιν φυλάσσοντα σημεῖα, καὶ τὰς ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γιγνομένας διαιρέσεις· καὶ προσθετέον δὲ τοῖς εἰρημένοις, ὅτι τὰ μὲν ἐκάστου ποδὸς σημεῖα διαμένει ἴσα ὄντα καὶ τῷ ἀριθμῷ καὶ τῷ μεγέθει· αἱ δ' ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γιγνόμεναι διαιρέσεις πολλὴν λαμβάνουσι ποικιλίαν.* Quae quomodo Boeckhio p. 104. ad ductum rhythmicum spectare videantur, nullo modo assequor. Rectius ea compares cum his verbis Longini, in fragm. 3. (v. scholiasten Hephaestionis pag. 76.) *ἔτι τοίνυν διαφέρει ῥυθμοῦ τὸ μέτρον, ἢ τὸ μὲν μέτρον πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρὸν τε καὶ βραχύν, καὶ τὸν μετὰ τούτων, τὸν κοινὸν καλούμενον, ὃς καὶ αὐτὸς πάντως μακρὸς ἐστὶ καὶ βραχύς· ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἔλκει τοὺς χρόνους· πολλάκις γοῦν καὶ τὸν βραχύν χρόνον ποιεῖ μακρὸν.* Apertiusque etiam Dionysius hoc declarat in libro de compositione verborum p.*

134. ἡ μὲν γὰρ περὶ λέξεις οὐδενὸς οὔτε ὀνόματος οὔτε φήματος βιάζεται τοὺς χρόνους, οὐδὲ μετατίθησιν, ἀλλ', οἷας παρείληψε τῇ φύσει τὰς συλλαβὰς, τὰς τε μακρὰς καὶ τὰς βραχείας, τοιαύτας φυλάττει· ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς μειοῦσαι καὶ αὐξοῦσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τὰναντία μεταχωρεῖν· οὐ γὰρ ταῖς συλλαβαῖς ἀπευθύνουσι τοὺς χρόνους, ἀλλὰ τοῖς χρόνοις τὰς συλλαβὰς. Ex quibus aestimari potest, non ita planum esse, quae musicorum numerorum cum metris poetarum consociatio fuerit atque communitas. Quamquam male abuteretur ista Dionysii observatione, qui ea vel in metris si quid vitiosum est, excusatum iret, vel musicos numeros non putaret aliqua tamen ratione cum metricis convenisse. Praeterea vero a Plutarcho in libro de musica c. 28. p. 1140. F. 1141. A. quaedam commemoratur εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασις, quae quam vim habuerit, melius fortasse intelligitur, quum exempla, quae ibi allata sunt, maximeque paeon epibatus, explicatus fuerit, de quo pede quae ab Aristide tradita sunt, et secum ipsa, et cum iis, quae supra ex Aristoxeno de quattuor pedum σημείοις attulimus, videntur pugnare. Sed quiqui fuerint numeri musici, qui Doriis istis epitritis aptabantur, hoc tamen ex iis, quae disputavimus, effici videtur, posteriorem pedem non trochaeum irrationalem, fortasse ne spondeum quidem quattuor temporum, sed longiorem quempiam pedem fuisse. Quae ratio si vera est, sponte intelligitur, tolli dubitationem, quam supra tetigimus, quomodo etiam ante Creticum ditrochaeus pro epitrito locum habeat. Nam Creticus iam minime erit catalexis praecedentis numeri, sed plane alius numerus, ut ex his mensuris constans, 2. 1. 2. ex quo conficitur, si ante dactylos aut choriambos ditrochaeus epitriti vicem sustinere potest, non minus id fieri ante Creticum posse. Confirmatque eam rem iusta versuum recitatio. At, inquit aliquis, epitritum istum ex trochaeo rationali et irrationali, maioris tantum gravitatis causa, compositum esse, ex eo colligi potest, quod etiam anacrusin, si quando ea usurpatur, constanter lon-

gam habet Pindarus, bis tantum brevem sibi indulgens, semel Ol. VII. 4. (5) et Isthm. I. 4. (5) qui loci nescias an corrigendi sint. Nam Ol. VIII. emendatio levis mendi, quod v. 87. (115) relictum est, meliorem versuum distinctionem monstrabit. Fateor, eiusmodi esse hoc argumentum, ut in se ipso nihil habeat, quod reprehendi possit. Verum quod ad anacrusin attinet, eam etsi longam esse necessitas nulla cogit, tamen sequente tam gravi, quam nos quidem putamus, numero, facile intelligitur, longam anacrusin brevi aliquanto aptiorem esse: quod autem maximum est, non evertuntur isto argumento, quae de gravitate Dorii numeri diximus: quae quum tanta sit, ut trochaicum numerum, quidquid comminiscare, plane aspernari videatur, nihil proderit ad trochaeorum defensionem mensura anacruseos. Sed satis. Alia, quae fortasse de hoc versuum genere dici possent, aliis relinquam.

Aliud enim, idque apertius proferre exemplum volo mensurae per numeros musicos mutatae. Numerum ex uno spondeo factum nemo magnopere laudabit, sed certis tamen locis recte adhiberi fatebitur. Minus etiam trochaeus probabitur unus: etsi hunc quoque pedem, maxime basi praegressa, ante choriambum vel Creticum saepe, neque id inepte positum videmus. Nam qui basin et hunc trochaicum pro duplici basi numeret, non persuadere mihi, supra significavi: vereor potius ne hic illic basis in iis numeris conspiciatur, quibus Pindarus etiamnum lege solutis fertur. Omninoque est ea nuper imperiosius in arbitriam legem coacta, adeo ut lyrici Aeolenses et comici, quibus addere necessario etiam tragicos debebimus, imperfecti rhythmi audiant. Nimirum quid facilius, quam in poetas culpam conicias, ubi, doctum credulis vitii nomen, παρακαταλογῆ ad manum sit? Sed ille, 17 quem dixi, trochaeus plerumque ante breves quosdam et abruptiores numeros invenitur, nihilque habet, quare non eadem, qua reliquae syllabae, mensura esse iudicetur. At alius haud raro invenitur trochaeus, gravibus ille vel longis numeris mixtus, quem sive trochaicum esse, sive spondeum putes; (plerumque enim ex duabus longis con-

stat) concinnitati eum numerorum, servata communi mensura, mire officere fatendum est. Sic apud Pindarum:

τᾶς ἀκούει μὲν βᾶσις ἀγλαίας | ἀρχά,
πείθον | ται δ' αἰοῖδοι σάμασιν.

Apud Aeschylum in Eumenidibus:

μᾶτερ, ἃ μ' ἔτικτες, ὦ | μᾶτερ
Νύξ, ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν | ποιῶν.

In Agamemnone:

Ζεὺς, ὅς | τίς ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὖ-
τῷ φίλον κεκλημένῳ.

Lege istum trochaicum eadem, qua reliquos pedes mensura, ut hanc habeat longitudinem; 2. 1. et senties, numeros esse ineptos, inconcinnos, elumbes. Cur ita non est etiam in versu Hipponacteo:

ἀκούσαθ' Ἰππώνακτος· οὐ γὰρ ἄλλ' | ἦκω.

Nempe in hoc versu trochaicus ille pro iambo substitutus, huius vice fungitur, servans proinde mensuram eius: in illis autem exemplis seiunctus a caeteris numeris integri membri locum tenet, ut, si trium ille temporum sit, ineptissima evadat tam brevis membri ad tam longa, quam caetera sunt, comparatio. Quare quid aliud, quam, quo numeri isti apta proportione aequarentur, quantum multitudini syllabarum deerat, tantum ponderi adiectum fuisse censeamus? Ac profecto, qui modo ineptissimi et turpiter fracti numeri videbantur, aptissimi erunt et eximia gravitate decori, si hunc non vulgarem illum trochaicum, qui trium, sed semantum, qui duodecim temporum spatio¹⁸ producitur, esse statuas. Hoc eiusmodi mihi esse videatur, ut neminem fore credam, qui semel monitus, si reputarit, quales illa carmina numeros requirant, non vera nos attulisse sibi persuadeat. Aliud exemplum huius trochaei inauditos tollet numeros in Ol. IX. Sed facta semel pedis huius mentione, paucis explicemus Aristidis locum, qui nescio an a plerisque non satis intellectus fuerit.

Dicit is p. 38. nominis originem declaraturus: *σημαντός δέ, ὅτι βραδύς ὢν τοῖς χρόνοις, ἐπιτεχνηταῖς χρῆται σημασίαις, παρακολουθήσεως ἕνεκα διπλασιάζων τὰς θέσεις.* Martianus Capella obscure vertit: *semanticus sane, quia, quum sit tardior tempore, significationem ipsam productae et remanentis cessationis effingit.* Σημασία, de quo vocabulo non satis accurate scholiastes Hephaestionis p. 20. *σημασία οἱ χρόνοι παρὰ τοῖς μετρικοῖς καλοῦνται,* potius notationem temporis significat. Ita Aristoxenus fr. rh. p. 302. qui locus ita corrigendus: *τῶν δὲ ποδῶν ἐλάχιστοι μὲν εἰσιν οἱ ἐν τῷ τρισήμῳ μεγέθει· τὸ γὰρ δίσημον μέγεθος παντελῶς ἂν ἔχοι πυκνήν τὴν σημασίαν· γίνονται δὲ ἰαμβικοί οὔτοι, οἱ ἐν τρισήμῳ μεγέθει.* Comparandus cum his scholiastes Hephaestionis, qui p. 81. de eodem pede pyrrhichio ita scribit: *οὔτος δὲ κατὰ πόδα μὲν οὐ βαίνεται, διὰ τὸ κατάπυκνον γίνεσθαι τὴν βᾶσιν, καὶ συγγεῖσθαι τὴν αἰσθησιν.* Iam quae sint ἐπιτεχνηταὶ σημασίαι, declarabunt haec Quintiliani verba IX. 4, 51. *inania quoque tempora rhythmici facilius accipient: quamquam haec et in metris accidunt: maior tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis, atque aestimant, quod breves illud spatium habeat: inde τετράσημοι, πεντάσημοι, et deinceps longiores fiunt percussiones: nam σημεῖον tempus est unum.* In tanta enim trochaei semanti tarditate non recte servata mensura fuisset, nisi pedum digitorumve ictu tempora notassent. Iam vero intelligi poterit, cur illa addat, *διπλασιάζων τὰς θέσεις,* quae alias et quod *διπλασιάζων,* non *τετραπλασιάζων,* et quod *τὰς θέσεις,* non *τὰς τε θέσεις καὶ τὰς ἄρσεις* dixerit, mira videantur necesse est. Et quamquam *τετραπλασιάζων,* quum id librarii etiam *διπλασιάζων* scribant, facile restitui possit, tamen *διπλασιάζων,* ut quod caussam contineat, quare *τὰς ἄρσεις* omiserit, genuinum esse puto. Hoc enim vult, pedem istum propter magnam eius tarditatem ita proferri, ut, quo mensura eius recte comprehendi observarique possit,

thesis duplici ictu pedis notetur, eaque ratione quasi in duas quaternorum temporum partes dividatur: ex quo consequitur, arsin, quae, ut ex quattuor tantum temporibus constans, artificiosa, i. e. fictarum partium, notatione non opus habebat, ne commemorandam quidem fuisse. Itaque ut vulgaris trochaeus tres habebat moras, sic semantus ille partes complectebatur tres, quattuor quamque temporum, quarum partium priores quum in uno sono comprehensae facile iusta mensura excidere possent, omnes tres partes ictu aliquo pedis vel manus notabantur, quorum ictuum duo priores *ἐπιτεχνηταὶ* dicuntur *σημασίου*, quod non syllabas duas, sed unius syllabae duas partes discernebant. Sed finem facio. Existimari vero ex his poterit, neque metricam doctrinam ab omni parte iam explanatam esse, rhythmicam autem adhuc in tenebris totam iacere.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI DISSERTATIO PRIMA *).

P R A E F A T I O.

Septimus hic annus est, ex quo rogatus, ut conferrem aliquid ad secundum fasciculum Musei studiorum antiquitatis, Buttmanno dissertationem misi de choro Eumenidum Aeschyli: qua commodum missa quum accepissem Boeckhii librum de tragicis Graecis, in quo is novam de ea tragoedia coniecturam proposuerat, aliam de eodem argumento dissertationem adieci. Aliquanto post, dilata editione fasciculi illius, petii, ut mihi redderentur dissertationes istae, quo eas hic illic fortasse auctas correctasve, quum iis usus foret, remitterem. Ita repositas servabam, servaremque etiamnum, nisi mihi nunc, quae ex muneris mei officio duae erant commentationes edendae, ad eas scribendas otium defuisset. Cui officio quum edendis illis, quas tum scripseram, dissertationibus satisfieri posse intelligerem, non putabam id aegre laturos celeberrimos editores Musei, ut quos et amicos mihi esse scirem, nec dubituros, si instaurare Museum suum vellent, non detrectaturum me esse, quod iis gratum fore acciperem.

Chorum Eumenidum, aliaque nonnulla, quae cum hac quaestione coniuncta sunt, attigit nuper etiam Blom-

*) Editae sunt a. 1816.

fieldius in praefatione ad Aeschyli Persas: quae omnia si vellem persequi, facile tertiae alicui dissertationi materiam invenirem. Verum quoniam nonnulla horum ex iis, quae a nobis disputata sunt, facile a quovis iudicari poterunt, illud tantum patetis commemorabo, quod praetermitti res ipsa vetat. Putat enim vir doctissimus, Aeschyli aevo numerum personarum chori arbitrarium fuisse; in Eumenidibus quidem ex tribus eum personis constitisse, eodemque numero fuisse chorum Cabirorum, Phorcidum, Heliadum; Heliades tamen fortasse septem, sed non plures fuisse. Non quaeram, Aeschyli aevum, quod vocat, quo spatium finiri putet: quod aevum partem complectitur etiam illius temporis, quo Sophocles tragoedias docuit: sed ut ipsa artis initia, primosque conatus Aeschyli intelligamus, quis credat, chorum ex tam paucis personis compositum fuisse, non modo tacentibus ea de re scriptoribus antiquis omnibus, sed diserte testantibus contrarium? Quumque constet, chori cantica prius, quam actorum sermones et diverbia in usu fuisse, quis sibi persuadeat, trium cantorum voces pro iusto concentu chori habitas esse, praesertim quum cyclii chori ex quinquaginta viris essent? Nimirum colligit istud Blomfieldius ex his ipsis, quos dixi, choris Furiarum, Cabirorum, Phorcidum, Heliadum: has enim personas consensu antiquitatis non nisi paucas numero esse; nec plures, quam esse crederentur, produci in scenam potuisse. At ex his solus Furiarum chorus, qui aliquid probare possit, relinquitur. De caeteris enim res plane incerta est. Quin in Cabiris qui fuit chorus, ex Argonautis potius compositum fuisse credibile est. De Phorcidum choro nihil constat: qui si fuit ex Phorci filiabus, certe in iis etiam Gorgones numerabantur, ut sex, non tres, fuerint, neque illae fortasse sine comitibus. Heliades quidem haud dubie chorum constituerunt: quis vero contendat, non fuisse iis alias septem vel octo nymphas ministrorum loco adiunctas, ut septem matronis pedisequae consociatae sunt in Supplicibus Euripidis? Sed videamus Furias. Credebatur sane, has numero tres esse; verum est, nusquam Aeschylum diserte plures commemorare:

concedam etiam, illa v. 140. *ἔγειρ', ἔγειρα καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ,* et v. 588. *πολλὰ μὲν ἔσμεν, λείπομεν δὲ συντόμως,* de tribus accipi posse, etsi nec puto ita esse accipienda, et vim ac virtutem horum locorum ea interpretatione imminui video; quumque negem ex eo, quod v. 48. seqq. cum Gorgonibus et Harpyiis comparantur, de numero quidquam colligi posse, quae Blomfieldii sententia est, aliud pro hoc argumento substitutam, quod erunt qui non leve putabunt, v. 255. ab una Furiarum reliquas verbo duali compellari: denique nihil tribuam auctoritati scholiastae, qui ad v. 588. diserte quindecim Furias fuisse scribit: quid iam his argumentis omnibus efficitur? Nihil vero, ut opinor. Laudabo enim, qui probabiliter respondebit ad haec duo, primo, unde tandem, si tres fuerunt, fabula ista de quinquaginta Furiis oriri potuerit, quae si ad veritatem revocatur, quid aliud quam hoc indicat, plures, quam oportebat, fuisse? deinde, quomodo, quod ex Apsine in secunda nostrarum dissertationum attulimus, apertum potuerit minimeque dubium crimen tragoediae illi exprobrari, nisi id in eo fuit positum, quod, quae tres habebantur Furiae, plures esse poeta voluerat. At, inquit fortasse, prorsus incredibile est, tam impudenter contemni religiones potuisse, ut quis numerum deorum pro arbitrio multiplicaret. Minime vero. Aliud est enim, pro uno deo plures introduci; aliud, qui sunt numero plures, eorum augeri numerum. Illius enim natura perit multiplicando, horum non solum conservatur, unde Furias et Gratias alii duas, alii tres esse existimarunt; sed magis etiam exsplendescit. Omninoque in Furiis aliisque huiusmodi numinibus incertum aliquem numerum mentibus hominum obversatum esse, vel illud, quod apud Homerum et Hesiodum, deinde apud plures alios est, *μητρὸς et πατρὸς Ἐριννύες,* arguere videtur. Quare Aeschylum credibile est, quum Furias introduceret, tribus, quae proprie Furiae habebantur, comitatum adiunxisse aliarum, quae varia illarum munia obeuntes, sociae illis et administratae essent. Eamque rem nescio an indicare voluerit v. 419. *ἡμεῖς γὰρ ἔσμεν νυκτὸς αἰαντῆς τέκνα, Ἄραι δ' ἐν*

οἰκοῖς γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα. Ἄραἱ enim numero sunt infinitae. Sed quid dubitemus, quum certius habeamus iudicium in extremis Choephoris, ubi Orestes, cernere sibi visus non unam aliquam, sed plures Furias, augeri numerum earum videt, eaque re territus exclamat v. 1057. ἀναεῖ Ἀπολλον, αἶδε πληθύνουσι δῆ. Quae verba quum apertum sit de pluribus quam de tribus dici, quid cuncta-6 bimur, etiam illud in Eumenidibus v. 588. πολλὰ μὲν ἐσμεν, ut consentaneum est, de maiore aliquo numero dictum accipere: quo facto iam ne illud quidem v. 140. ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ, exile erit *). Illud autem, quod v. 255. una Furiarum reliquas numero duali compellare videtur, tanto minus ponderis habet, quod non nisi edd. quaedam *λεύσσειτον πάντα* praebent, quam lectionem suspiceris correctoribus deberi, qui codicum et Aldinae scripturam, *λεύσσει τὸν πάντα*, quae sane difficilior est, vitiosam esse putabant. Quae verba, nisi aliquid vitii contraxerunt, quodammodo comparari possunt cum simili locutione, quae est in his Polemonis in oratione pro Cynegiro p. 5. sub finem: ἐπαινέει μὲν σὺ τὸν ἐστῶ-
τα, τὸν ἀκλινηῖ, τὸν νεκρὸν, τὸν μηδὲν στήλης διαφέ-

*) Memorabile est etiam Euripidis testimonium, qui etsi in Oreste v. 1648. scripsit,

ἐνθὲνδε δ' ἔλθων τὴν Ἀθηναίων πόλιν,
δίκην ὑπόσχεσ αἵματος μητροκτόνου
Εὐμηνίσι τρισσαῖς,

tamen in Iphig. Taur. 961. seqq. aperte multas commemoravit:

ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἦγον, ἐς δίκην τ'
ἔστην, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον,
τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἤπερ ἦν Ἐριννύων,
εἰπὼν ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι
Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν· ἴσας δὲ μοι
ψήφους διερίθμησε Παλλὰς ὤληνη,
νικῶν δ' ἀπήρα φόνια πειρατήρια.
ὄσαι μὲν οὖν ἔζοντο πεισθεῖσαι δίκη,
ψήφον παρ' αὐτὴν ἱερὸν εὐρίσαντ' ἔχειν·
ὄσαι δ' Ἐριννύων οὐκ ἐπεισθησαν νόμῳ,
δρόμοις ἀνιδρύτοισιν ἠλάστρον μ' αἰέ.

ροῦτα· ἐγὼ δὲ τὸν πεζόμενον, τὸν ναύμαχον, τὸν πανταχοῦ, τὸν κατὰ μικρὸν μέγαν, τὸν ἀντὶ πολλῶν ἔνα. His omnibus diligenter perpensis fatendum erit, poetas non cantorum numerum personis fabulae, sed has usitato chori numero accommodasse, ut, si minor esset personarum numerus, augeri debuerit, ut in Eumenidibus et Supplicibus Euripidis, et, ut credere par est, in Aeschyli Heliadibus; sin maior esset, minui, ut in Aeschyli Supplicibus, in quibus scite observavit Boeckhius sedulo caveri, ne mommementetur numerus Danaidum.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI.

DISSERTATIO PRIMA.

E Duae celebrantur de Aeschyli Eumenidibus fabulosae narrationes, una, quum ea fabula in scenam producta esset, pueros nonnullos prae terrore extinctos esse, et mulieres gravidas abortum fecisse; altera, chorum, eo usque *γ*e quinquaginta personis constantem, ob hanc ipsam rem ad quindecim, et lege quidem, redactum esse. Prior illa de pueris et mulieribus narratio nescio quem grammaticum auctorem habet, qui eam vitae Aeschyli ab alio grammatico scriptae inseruit: neque enim in omnibus codicibus legitur iste locus. Verba autem haec sunt: *τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλήξει τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.* Hanc quidem narrationem quum Boettigerus, vir celeberrimus, in libro de personis Furiarum p. 3. recte, ut mihi videtur, e comica quadam vel epigrammatica exaggeratione ortam iudicaret, non debebat tamen ad eam rem Gorgiam adhibere, qui apud Plutarchum in Quaest. conviv. VII. 10. p. 715. E. fabulam, quae Septem ad Thebas vocatur, a Marte dictatam Aeschylo esse dixisset.

Nam illum longe aliud quid dixisse in promptu erit recordanti Aristophanis in *Ranis* v. 1021. ex quo loco corrigendum esse Plutarchum iam Stanleius viderat ad vitam Aeschyli p. 700. b. Sed redeamus ad grammaticum, qui istud additamentum ad vitam Aeschyli adscripsit. Quamvis enim inepta sit ista narratio, habet ea tamen duplicem, neque eam levem utilitatem. Primum enim, quoniam caussam, quare ita territi fuerint spectatores, non in numero Furiarum ponit grammaticus, hac ipsa re dubitare nos cogit de veritate alterius narrationis, de qua statim explicabimus: deinde aliam affert terroris caussam, eamque talem, quae ad ipsam fabulae Aeschyleae interpretationem insigne momentum habeat, poetam Furiarum *σποράδην* introduxisse dicens. Quod quid sit, infra explanabitur. Progrediamur ergo ad Pollucem, quo solo auctore chorus tragicus usque ad Eumenides quinquaginta personas habuisse creditur. Scribit autem Pollux ita, lib. IV. 110. τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πενήντονα ἦσαν, ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Διοχίλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορὸν. Solum haec dixi Pollucem tradere: graviter enim falluntur, qui, quod Petitus ad leges Atticas p. 66. (138. ed. Wessel.) Kühnius ad Pollucem, et Stanleius ad vitam Aeschyli p. 702. b. 7 faciunt, de eadem re intelligunt verba Aristotelis in libro de arte poetica c. IV. 16. καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἡλάττωσεν. Aristoteles non de personis choricis, sed de carminibus loquitur: quin ne potuit quidem personas in mente habere, quia, si lege cautum est propter Eumenides illas, ne chorus ultra XV personas haberet, id non est auctore Aeschylo factum, sed nolente Aeschylo. Multo minus Philostrati locus de vita Apollonii VI. 11. p. 244. a Stanleio et Oleario huc trahi debebat, in quo additum *ἀποτάδην* satis docere poterat, Philostratum quoque de longis chori carminibus loqui. Crediderunt autem Polluci non modo Petitus, Stanleius, Kühnius, Perizonius, Berglerus, aliique, quos Boettigerus commemoravit, sed etiam Ilgenius in dissertatione de choro tragico p. 55. Opuscu-

HERM. OP. II.

I

lorum, Iacobsius, et, quod mireris, ipse Boettigerus in libro de personis Furiarum p. 2. quamquam hic eo, ut videtur, inclinans, ut nisi quinquaginta, certe omnino plures quam XV personas chori usque ad Eumenides fuisse putet. Polluci quidem, parum accurato scriptori, omnino credi non debuit, praesertim in re, quae vel per se parum credibilis esset. Quid vero? an tum quoque ei fidem habebimus, quum alios, et quidem antiquos doctosque grammaticos, immo Aeschylum ipsum, contraria prodere cognoverimus? Quod vel coniectura assequi licebat, Agamemnonem, Choephoros, et Eumenides, simul in scenam productas esse, id diserte confirmat grammaticus, qui scripsit argumentum Agamemnonis, Olympiadis etiam numerum annumque, et nomen archontis adiciens. Quod si usque ad Eumenides quinquaginta erant chori personae, totidem etiam in Agamemnone fuisse par est: nondum enim lata erat lex ista, si umquam lata est, qua quindecim esse iuberentur. Contra si iam in Agamemnone chorus e quindecim personis constabat, non modo eundem in Eumenidum choro numerum fuisse probabile est, sed necesse est etiam, falsa retulisse Pollucem. Atqui scholiastes Aristophanis ad Equites v. 586. quum ostendisset, comicum chorum personas habuisse XXIV, haec addit: *ὁ δὲ τραγικός ἐξ, ὡς Δισχύλος Ἀγαμέμνονι.* At quid est hoc? Cur scholiastes in re, quae omnium tragoediarum communis erat, ad hanc fabulam maluit, quam ad omnes provocare? Stanleius ad indicem personarum, quae sunt in Agamemnone, cavendum dicit, ne quis personas XV ex lege fuisse putet, quandoquidem haec lex postea demum lata sit. At ita augetur etiam rei difficultas. Nam si ita existimavit Stanleius, ante istam legem arbitrarium fuisse personarum numerum, ineptissimus fuerit iste scholiastes necesse est, qui exemplum ex iis fabulis petierit, in quibus non erat definitus cantorum numerus, non ex his, in quibus idem ille numerus, quem commemorat, ut lege constitutus, semper sibi constabat. Dignum est scholion istud, quod diligentius consideretur. Scribit grammaticus ita; *οἱ γὰρ τῆς ἀρχαίας κωμωδίας*

ποιηται και οι τραγικοι χορους ιστασαν, οι τα χορικά υπεγκρίνοντο και ήδον μέλη· συνειστήκει δὲ ὁ μὲν κωμικός ἐξ ἀνδρῶν ἢ δὴ και γυναικῶν, ὁμοῦ δὲ και ἐκ παιδῶν κθ', ὡς και οὗτος ἀπηριθμησεν ἐν Ὀρνισιν, ἀρξάνας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας· ὁ δὲ τραγικός ιβ', ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Apertam est, doctissimum grammaticum ea, quae de chori personis dicit, ipsorum auctoritate poetarum confirmare. Ac de comico quidem choro Aristophanem advocat testem, qui in Avibus v. 298. seqq. chori personas numeret XXIV, de tragico autem Aeschylum in Agamemnone: cur? non sane aliam ob causam, quam quia in hac fabula chori personae singulae loquentes introducuntur, ex eaque re XV esse appareat. Ita est autem. Nam, quod nondum a quoquam est animadversum, Aeschylus, inventor, ut videtur, huius rei, receptae postea a caeteris tragicis, in Agamemnone omnes chori personas ordine seorsum verba facere voluit: idque sic instituit, ut, si id alibi obscurius facere videatur, hic ea res latere nullo modo possit. Quare grammaticus iste Agamemnonem prae aliis fabulis nominavit. Est autem ille locus a v. 1353. ubi scribae semichoria constituerunt, quibus nihil hic fingi potuit ineptius. Nam si istud colloquium inter duo semichoria distribuitur, adeo istae personae inconstantes et inopes consilii sunt, ut non modo, quid agant, nesciant, sed semper a contrariis ad contraria transvolent, morum certique ingenii prorsus 10 expertes. Divisis vero istis versibus inter quindecim chori personas, non modo suum cuique ingenium manet, sed etiam motus oritur incredibilis, qui hic eo magis erat necessarius, ut ne finis fabulae post horrenda illa Cassandrae vaticinia elanguesceret. Initium istius loci sic describendum est:

στρ. ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.

ἤμοι πέπληγμαί καιρίαν πληγήν ἔσω.

ΧΟΡΟΥ ὁ α.

οἶγα· τίς πληγήν αὐτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

ἀντιστ. ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.

ἤμοι μάλ' αὐτίς, δευτέραν πέπληγμένος.

I 2

ΧΟΡΟΥ ὁ β΄.

τοῦργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.

ἔφωδ. ΧΟΡΟΥ ὁ γ΄.

ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἄν πως ἀσφαλή βουλευόμενα.

Inde de iis, quae reliquae sunt XII chori personae, singulae binos trimetros recitant, quorum ultimos habet coryphaeus, quo duce rursum congregatur chorus, et versus regias aedes se coniiicit:

ταύτην ἐπαινεῖν πάντοθεν πληθύομαι,
τρανώς Ἀτρείδην εἰδέναι κυροῦνθ' ὅπως.

In quibus verbis ipsum vocabulum πάντοθεν nostram personarum descriptionem confirmat. Quod si in Agamemnone, ipso Aeschylo auctore, chorus personas habuit XV, quis dubitabit, quin totidem etiam in Eumenidibus Furiae introductae fuerint? Atque hoc quoque idonea auctoritate, infra ipsius poetae, nunc scholistae firmabimus. Nam ubi Furiae dicunt, (v. 588.)

πολλαὶ μὲν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως,

11 scholiastes, haud dubie ex perantiquo grammatico, observat: τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς, ἀλλὰ πρὸς τὸν χορὸν· εἰ γὰρ ἦσαν. Hoc autem ille significat, quum Furiae multas se esse dicant, non respici traditionem veterum, qua tres esse perhibebantur, sed chorum Furiarum, qualem poeta introduxerit, e XV Furiis constantem. Veterum enim alii duas, alii tres esse Furias tradiderant: vide scholiasten Sophoclis ad Oed. Col. 39. quarum narrationum ea, quae tres eas esse volebat, pervulgata erat. Vtar in hanc rem trium idem dicentium grammaticorum testimonio, non quod eo opus esse putem, sed quod inde aliquid lucri ad quemdam Eumenidum Aeschyli locum accedit, Harpocratonis, Photii, et Suidae. Hi igitur in v. *Εὐμενίδες* sic scribunt: *Αἰσχύλος ἐν Εὐμενίσῳ, εἰπὼν τὰ περὶ τὴν κρίσιν τὴν Ὀρέστου, φησὶν ὡς ἡ Ἀθηνᾶ πρᾶϋνασα τὰς Ἐριννύας, ὥστε μὴ χαλεπῶς ἔχειν πρὸς τὸν Ὀρέστην, Εὐμενίδας ὠνόμασεν· εἰσι δὲ τρεῖς, Ἀληκτώ,*

Μέγαιρα, καὶ Τισιφώνη. Quod hi in Aeschyli Eumenidibus dictum esse referunt, nusquam in ea fabula, ut ea nunc quidem habetur, scriptum est: quin ne nomen quidem in ea Eumenidum usquam reperitur. Atqui horum fides grammaticorum eo minus in dubitationem venire potest, quod Aeschylus non modo hanc appellationem Furiarum, ut ex ipso illo Orestis iudicio natam, propriamque Atheniensibus, vix praeterire potuit, (vide Sophoclem in Oed. Col. 42. et ibi scholiasten, cuius adnotationem repetiit Suidas in v. *Εὐμενίδας*) sed etiam ipsum fabulae nomen mentionem eius rei factam esse arguit. Quia etiam in argumento fabulae, quod non solum in Robortelli editione, sed etiam in reliquis mutilum est, adnotatur: τὰς δὲ Ἐρινύνας πρᾶϊνας, προσηγόρευσεν Εὐμενίδας: ubi scribendum πρᾶϊνασα, auctoribus illis ipsis, quos attuli, grammaticis. Nihil ergo aliud relictum est, quam ut eum locum, in quo Furias Eumenidum nomen accepisse poeta dixerat, librariorum negligentia, vel codicum tristi fortuna interiisse statuamus: cuius generis exempla plura etiam, quam vulgo creditum est, in Aeschyli fabulis exstant. Quum autem et res ipsa, et grammaticorum quos commemoravimus testimonium circa finem fabulae id factum esse ostendat, in promptu est locus, qui non modo maxime ad eam narrationem idoneus videatur, sed etiam ob ipsam verborum inconcinnitatem lacunae suspectus sit, v. 1028. Ibi quum Minerva se missuram dixisset, qui Furias ad destinatam sedem deducerent, ita pergit:

ὄμμα γὰρ πάσης χθονὸς
Θησῆδος ἐξίκοιτ' ἄν, εὐκλεῆς λόχος
παίδων, γυναικῶν, καὶ στόλος πρεσβυτίδων.
φοινικοβάπτοις ἐνδυτοῖς ἐσθήμασιν
τιμᾶτε, καὶ τὸ φέγγος ὀρμάσθω πυρός.

Hic non solum desideratur virorum et iuvenum mentio, quorum in hac pompa tam insigne officium erat, ut id non videatur praeteriri potuisse, (vide quae Boetigerus p. 6. de personis Furiarum attulit: quibus adde Maussacum ad Harpocr. in v. *σεμναὶ θεαί*, p. 314. et Valesium ad

Manssaci notas p. 133.) sed etiam verbum *τιμάτε* sic nude positum aliquid excidisse monstrat. Hic enim versus,

φρονικοβάπτοις ἐνδυτοῖς ἐσθήμασιν,

si quis alius, vitii suspicione vacuus est. Nam *ἐνδυτός* non simpliciter, quod induitur, significat, sed quod ornatus causa: vide Eurip. Iph. Aul. 1079. Troad. 259. Apud eundem in Ione v. 231. est *ἐνδυτός στέμμασι*, *sertis ornatus*. Sic etiam Sophocles in Trach. 674. *ἐνδυτήρα πέπλον* dixit, quae verba male interpretatur Musgravius.

Revertamur ad Pollucem. Et quum nulla tam inepta reperitur fabula, quae non aliquid veri contineat, videndum est, an ex his, quae apud hunc et in vita Aeschyli leguntur, aliquid effici possit, quod nisi verum, certe veri simile sit. Ambo scriptores in eo conveniunt, magnum terrorem choro Furiarum in theatro excitatum esse: idque sic est probabile, ut iure pro vero haberi possit: dissentiant autem de causa huius terroris: quam quum Pollux in numero ponat quinquaginta Furiarum, quod falsum esse docuimus, reliquum est, ut alterius scriptoris sententia consideretur, qui eo territos dicit spectatores, quod Furiarum *σποράδην* introductae fuerint. De ea re excursus est Boettigeri in libro de personis Furiarum p. 98. seq. qui *σποράδην* interpretatur *catervatim*, et ita templum ingressas putat v. 244. Neutrum equidem ab omni parte probaverim. *Σποράδην* Zonaras interpretatur *ἐσπαρμένως*, Photius et Suidas *διεσπαρμένως ὡς κακείσε*, Hesychius *ἐσπαρμένως ἢ ἐν διαφόροις*. Moschopolus Sched. p. 190. *σποράδην ἴστανται τινες, ἤγουν διεσπαρμένως*. Ita Plutarch. Symp. II. 1. p. 629. D. E. *σποράδην δὲ ἀναγέγραπται, καὶ οὐ διακεκριμένως, ἀλλ' ὡς ἕκαστον εἰς μνήμην ἦλθεν*. Ex his nihil aliud colligi potest, quam chorum Furiarum non, ut solitum erat, ordinibus instructum ingredi, sed singulas nullo certo ordine advenire. Id autem fieri non poterat quin maximum terrorem spectatoribus incuteret, non modo ob rei insolentiam, (aliud est enim, quod Pollux dicit IV. 109. *εἶδ' ὅτε δὲ καὶ καθ'*

ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον) sed etiam quod, si singulae Furiae, alia post aliam, irruerent, numerus earum, ut qui continuo augetur, multo maior videri debebat, quam si ordinibus dispositae simul omnes conspectae fuissent. Sed quis credat in ea re tantam potuisse vim ad terrorem inesse, si Furiae, quum iam ante coram spectatoribus omnes apparuissent, in secundo demum actu ita fuissent introductae? Immo sic demum percelli et horrore impleri spectatores potuerunt, si primus Furiarum ingressus ita tumultuosus fuit. Quare, etsi nolim contendere, non iterum sic eas prodiisse, illud tamen apertum esse arbitror, neque, quantum primus adspectus valeret, fugere Aeschylum potuisse, nec narrationem istam de nimio spectatorum terrore potuisse oriri, nisi si prima eos Furiarum ingressio ita commovit. Sed licet etiam ultra suspensionem progredi. Nam neque chori carmen, quod est a v. 143. usque ad 178. neque quod est a v. 254. ad 275. parodus chori est, quae demum v. 322. incipit: id quod et oratio ostendit, et cla-
 14
 rius etiam metra docent, quorum haec est compositio, ut non esse ab universo choro cantata appareat: sed hoc alius est disputationis. Consistam in oratione, quae in utroque carmine, maxime autem in priore, egregie confirmat ea, quae scholiastes ad v. 140. adnotavit: *ἀναστήσει αὐτὰς οὐκ ἀθρόως, μιμούμενος ἐμφαντικῶς τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἐγίγεται τις πρώτη, ὥστε μὴ ἀθρόως τὸν χορὸν φθέγγασθαι*. Aliud quidem huic quodammodo repugnans scholion ad v. 144. adscriptum est, alius fortasse interpretis: *κομματικῶς ἕκαστον κατ' ἰδίαν προσηκτέον· αἱ γὰρ διακοπαὶ πρόσφοροι τοῖς πάθεσιν*. Sed hoc interprete, etsi non contemnendo, quum meliora nos ipse poeta doceat, facile carebimus. Totum enim istud carmen a. v. 140. ad v. 178. tam omni sententiarum nexu destitutum est, tamque multas continet eiusdem rei aliter atque aliter expressae repetitiones, ut non videatur dubitari posse, quin, quod alibi quoque, eodem indicio ducti, factum animadvertimus, non universus chorus, aut pro eo coryphaeus, sed singulae personae loquantur. Has enim deinceps accedentes neque mirum est in pari indignatione

omnes in eandem sententiam loqui, et necessarium, nexu talem orationem carere. Iacebant sopitae in interiore templi parte Furiæ: audiuntur primo voces somniantium: inde una excitata lente progreditur, ita loquens:

*ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ.
εὐθείη; ἀνίστω, κάπολακτίσασ' ὕπνον,
ιδώμεθ', εἴ τι τοῦδε φροίμιου ματᾶ.*

Prodit iam secunda concitator:

ιοὺ ἰοὺ πόπαξ, ἐπάθομεν, φίλαι.

Deinde tertia:

ἦ πολλὰ δὴ παθῶσα καὶ μάτην ἐγώ.

Tum quarta *):

*ἐπάθομεν πάθος δυσαχθές, πόποι,
ἄφροτον κακόν.*

15 Eodemque modo deinceps prorumpunt omnes, singulae aliquid dicentes: quindecim enim commata sunt. Apertum vero est, quantum talis ingressus terrorem excitare debuerit, Furiis alia post aliam ex adyto egredientibus, eaque re speciem praebentibus gregis finem non habituri. Intelligi iam puto, quid sit *σποράδην*. Simili modo, id quod suspicatus erat Boettigerus, etiam templam Minervae ingrediuntur v. 244. ubi dum una de Furiis, quae prima introierat, iambis de adventu suo exponit, deinceps adveniunt aliae: quorum aliquibus iam praesentibus ea, quae hucusque iambis loquuta fuerat, ab his numeris ad

*) Immo haec secundae verba sunt, orationem a tertia interpellatam ad finem perducentis. Quarta dicit, quod sequitur:

ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν· οἴχεται δ' ὁ θῆρ.

Quam excipit quinta:

ὕπνω κρατηθεῖς' ἄγρον ὤλισσα.

Ad eundemque modum distribuendi sunt versus antistrophae.

concitatores defertur, illas ad persequendum Oresten instigans:

ὄσμή βροτείων αἱμάτων με προσγελᾷ.
 ὄρα, ὄρα μάλ' αὖ·
 λεῦσσε τὸν πάντα, μὴ
 λάθῃ φύγδα βὰς
 ματροφόνος ἀτίτας.

Praeclara enim adnotatio scholiastae legitur ad v. 254. τὰ αὐτὸ πρόσωπόν ἐστι. Huic Furiae dum eae, quae iam praesentes erant, respondent, reliquae congregantur, ipsae quoque aliquid dicentes. Quumque septem sint commata, veri simile est, post primam illam quater de binis, bis de ternis unam aliquid dicere.

Tantum igitur verum est, magnum in theatro terrorem excitatum esse, Furiis sic longa serie in scenam prodeuntibus. Quae res si eo valuit, ut lege coercenda iudicaretur poetae audacia, quid hanc legem, si qua lex ea de re lata est, putabimus continere potuisse? Aut ad omnes tragoedias pertinnerit necesse est, aut ad solas Eumenides Aeschyli. Si ad omnes tragoedias, non potuit nisi de imminuendo personarum numero praecipere. Idque factum testatur Pollux. At quum chorus Eumenidum non e quinquaginta personis, ut hic tradit, sed e quindecim constiterit, lex ista non potuisset choro XV personas tribuere, sed de his XV aliquas detrahere debuisset. Atqui non modo nemo de hac re quidquam narravit, sed, qui de tragici chori personis mentionem 16 iniiciunt, ita de iis loquuntur, ac si chorus semper XV personas comprehenderit, veluti, ut alios taceam, Photius in v. τρίτος ἀριστεροῦ. Quid quod scriptor vitae Sophoclis et Suidas chorum, antea e XII personis constantem, ab Sophocle ad XV auctum scribunt? Sumamus igitur alterum, legem istam ad solas Eumenides spectasse. Sic vero unum de his duobus continuerit necesse est, aut ne posthac *σποράδην* introducerentur Furiae, aut ne tanto numero. Vetitum fuisse eas *σποράδην* introduci non tradidit Pollux, nec sane, quare id prohiberetur, ulla

causa erat. Nam qui in prima fabulae commissione excitatus erat terror, is, si fabula iterum in scenam produceretur, multo minor futurus erat, scientibus, quid visuri essent, spectatoribus. Solum igitur reliquum est hoc, ut numerum XV Furiarum ista lege improbatum esse censeamus. Id vero fieri potuit ob hanc rationem, quod impium videretur, Furias in scenam produci plures, quam tres, quem numerum communis religio coleret. Et admissum esse ab Aeschylo in Eumenidibus, quod pro aperto crimine habitum sit, aliunde constat. Tam plana est autem et simplex haec explicatio, ut nihil iam difficultatis relinqui videatur. Nam etsi Pollux, ut apparebit totam eius de choro tragico relationem considerantibus, sciens L personas nominavit, tamen non videtur dubitandum esse, quin ille narrationem istam aut iam ab aliis corruptam acceperit, aut ipse corruperit, fortasse codice etiam depravato usus. Neque enim, qui primus huius rei auctor fuit, aliud videtur retulisse, quam quum chorus usque ad Eumenidum commissionem XV personas habuisset, improbatis tot Furiis cautum esse, ne posthac iusto maior Furiarum numerus in scenam adduceretur. Vera ille, an falsa narraverit, testium inopia nescimus.

DE CHORO EVMENIDVM AESCHYLI DISSERTATIO SECVNDA.

Scripta erat superior dissertatio, quum mihi Boeckhius librum misit de tragicis Graecis a se conscriptum. In quo libro quum aliam iniisse viam doctissimum virum vidissem, aequum erat, aut mutare me sententiam, si mihi persuaderet, aut, si non persuaderet, ei rei argumenta dicere. Et quamquam non diffiteor, tam docte acuteque hunc locum ab eo tractatum esse, ut non sit mirandum, si inveniatur, qui ei assentiantur: esse tamen arbitror, quae accuratius perpensa coniecturam, quam de Eumenidum commissione proposuit, non posse admitti ostendant. Est autem, ut paucis rem complectar, haec eius sententia: Eumenides bis esse ab Aeschylo editas, quarum editionum posteriorem hanc esse, quam nunc habemus; in priore enim chorum fuisse L Furiarum; in secunda esse Furiarum XV; in priore Furias cum ardentibus taedis prodixisse, quod non esse in secunda; priorem non stesisse; altera poetam victorem fuisse; ob adversam prioris fortunam in Siciliam abiisse Aeschylum; alteram editam esse, quum esset in Sicilia; temporum comparisonem suadere, ut credamus ab Sophocle iuvene victum in prima Eumenidum commissione; quod alienum esse ab iteratione fabulae, in qua tertius actor, ab Sophocle demum inventus, compareat.

Haec iam singula considerabimus. Atque illud quidem nullo pacto videtur concedendum esse, chorum unquam e L personis constituisse. Nam non modo parum idoneus auctor est Pollux, qui solus hoc tradidit, sed ne per se quidem ea res credibilis est, praesertim in tanto caeterorum scriptorum silentio. Illud enim valde miror, quod Boeckhius quoque p. 43. Aristotelis verba, τὰ τοῦ χοροῦ ἡλάττωσε, de personis chori intelligere non dubitavit. Praeterea L personarum chorus proprius erat dithyramborum: v. Simonidis epigramma apud Bentleium in resp. ad Boyl. p. 20. et in Brunckii Analectis vol. I. p. 137. LVIII. scholiasten Aeschinis T. III. ed. Reisk. p. 721. Tzetzen in prolegomenis ad Lycophronem. Hi chori erant κῆλλιοι, de quibus multa congregavit Perizonius ad Aelian. V. H. X. 6. Tragici autem chori erant τραγωγοί, ut ex Etym. M. p. 764, 4. intelligitur: quod quid significet, ostendet Pollux IV. 108. 109. Quadratos choros Laconistarum commemorat Athenaeus V. p. 181. C. sed obscurum est, qui dicantur Laconistae. Falsa certe sunt, quae de iis attulit Meursius in Misc. Lacon. III. 2. p. 204. Sed redeo ad rem. Quid? Athenienses, qui tantopere dramatica poesi delectabantur, aequo tulisse animo credemus, si tam splendidus chorus pene ad quartam sui partem redactus esset? Et quid hoc est, quod, quum nemo praeter Pollucem tantae cantorum multitudinis meminerit, plerique omnes ut minime dubium referunt, habuisse tragicum chorum personas XV? Nam quod scholiastes Dionysii Thracis in Villoisonii Anecdotis T. II. p. 178. atque ex eodem fonte scriptor vitae Aeschyli in ed. Robert. p. 12. personas chori numerant XIV, id quidem, repugnantibus caeteris scriptoribus, non puto aliud quam errorem esse librariorum: qualia si attendenda essent, e Tzetzae prolegomenis ad Lycophronem, qui locus memorabilis est, quod ex eo chorum in satyricis fabulis totidem, quot in tragoediis, personas habuisse discimus, XI, sive ex codicum scriptura XVI chori personae constitui deberent. Boeckhius quidem in Supplicibus Euripidis XIV inveniri animadvertit p. 75. seqq. septem

enim matronas totidem famulas habuisse. At hoc singulare est, uniusque proprium tragoediae, non ut commemorari tamquam usitatum potuerit. Non certiora sunt, quae eum moverunt, ut alibi apud Euripidem choros XII personarum inveniri crederet. Nam ut concedat aliquis, posse quosdam locos a duodecim personis ordine recitados videri, at inde non efficitur, non plures fuisse personas, quam XII, quum quaedam etiam tacere potuerint. Quid vero, si hoc totum non est probabile, chorum ab Sophocle a XV personis ad XII redactum esse, uti Boeckhius cum Bothio, quem ne hic quidem audire debebat, suspicatur? Nam, ut paullo ante dicebamus, multo facilius Athenienses, illo quidem aevo, augeri splendorem chori, quam minui passi essent. Hoc enim recte poterat facere, qui populo placere vellet; illud, qui nollet amittere victoriam, non debebat audere. Quare quod scriptor vitae Sophoclis et Suidas tradunt, XV choricis personas instituisse Sophoclem, quum antea XII introducerentur, tantum abest, ut permutatis librariorum errore numeris dici putandum sit, ut potius, si contrarium dicerent hi scriptores, permutatione numerorum emendandi essent. Quamquam non puto eos omni ex parte verum tradere. Nam, si recte sentio, aliquanto ante Sophoclem chorus a XII personis ad XV auctus est: quam mutationem quidam Sophocli tribuerunt, quod hunc plurima novasse in re tragica accepissent. Similiter tertium actorem fuerunt qui ab Aeschilo institutum dicerent, ut ostendunt Themistius orat. XXVI. p. 316. et scriptor vitae Aeschyli in ed. Robort. p. 11. et in cod. Guelf. quum alii, commemorati a Boeckhio p. 45. ab Sophocle id factum referant, quibus addendus est ex eadem Aeschyli vita Dicaearchus Messenius. Sed sive Sophocles, sive alius ante eum a XII personis ad XV auxit chorum, haec quoque res refellit istam Pollucis de L Furiis fabulam. Quis enim sibi persuadeat, chorum modo a XII personis ad XV, adeoque ad L augeri, modo rursus ad XV minui potuisse? Immo talia a minoribus initiis mox ad firmum ac stabilem statum venisse, neque amplius mutationi, praesertim detrahenti ali-

quid de usitato splendore, locum concessum esse, certissimum est.

6 Venio ad faces, quibus Boeckhii p. 44. Furias in priore Eumenidum commissione instructas fuisse putat. Id duplici fretus argumento dicit: uno, quod, quum tantum terrorem excitasse Furiarum chorus dicatur, eum tam insigni ad terrendum adminicule non caruisse verisimile sit. At hoc quidem nemo diffitebitur, nisi aliae rationes accedant, speciosius, quam verius dictum esse. Idque sentiens ipse, opinor, Boeckhii, ad scholiasten Aristophanis provocat, qui ad Pluti v. 423. sic scribit: *ἐπισκώπτει τὴν διὰ τῶν Ἐριννύων Δισχύλου ὑπόθεσιν. παρεισάγονται δὲ μετὰ λαμπάδων δεινοπαθοῦσαι, ὡς Εὐριπίδης· γοργῶπες νεοτέρων ἰέρειαι δειναὶ θεαί.* Eodem scholio Boettigerus de personis Furiarum p. 51. ita usus est, ut non de Aeschyli Furis sermonem esse existimaret. Recte sane, si emendetur scholion. Accuratius enim consideranti facile appareat necesse est, scholion hoc, ut plurima ad Aristophanem scholia, vehementer corruptum esse confusione diversorum scholiorum. Verba Aristophanis facile monstrabant emendationem, neglectam etiam a magno Hemsterhusio. Sic igitur comicus:

*XP. οὐ δ' εἴ τις; ὡχρὰ μὲν γὰρ εἶναι μοι δοκεῖς,
ΒΑ. ἴσως Ἐριννύς ἐστὶν ἐκ τραγωδίας·
βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγωδικόν.
XP. ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾶδας.*

Ad hos versus, in quibus obiter moneo etiam aliter distinguere personas posse, scholia antiquitus haec fere adscripta fuerint necesse est: *Ἵχρὰ· δεινοπαθοῦσα. ἐπισκώπτει δὲ τὴν τῶν Ἐριννύων Δισχύλου ὑπόθεσιν. — Μανικόν τι καὶ τραγωδικόν· ὡς Εὐριπίδης· (Orest. 261.) γοργῶπες ἐνέρων ἰέρειαι δειναὶ θεαί. — Δᾶδας· παρεισάγονται γὰρ μετὰ λαμπάδων.* Nemo iam puto non sentiet, sic demum recte scholiasten aperire facetissimum poetae dictum, si ὡχρὰ ad querelas Furiarum apud Aeschylum referat, non si faces commemoret, quas etiamsi habuissent Furiae apud Aeschylum, hic debebat omittere. Mul-

tum etiam confirmat emendationem nostram vocabulum *ὑπόθεσις*, quo uti potuit scholiastes, si *δεινοπαθείσας*, non, si *μετὰ λαμπάδων* introductas dicere volebat. Facies igitur, quae in isto scholio et mox in duobus aliis ad eundem locum, atque inde apud Suidam in v. *τραγῳδία*, tamquam Furiis apud tragicos tributae commemorantur, non ad Aeschyli Eumenides, sed ad aliorum fabulas tragicorum spectant. Veri simile est autem, quum Aeschylus Olymp. LXXX. 2. Furias deduci cum facibus ad sedes suas fecisset, visas esse faces multum conferre ad splendorem et terrorem chori, ideoque postea eas Furiis addi solitas esse *). Hinc non mirum, quod in opere caelato Musei Vaticani, quo Choephororum Eumenidumque argumentum expressum est, de quo opere docte disseruit Heerenius in bibliotheca veteris litteraturae et artis parte tertia, Furiae cum facibus conspiciuntur, etsi apud Aeschylum iis carebant.

Hactenus nondum videmus allatum esse, quod Eumenides bis actas esse arguat. Quid ergo de eo dicemus, quod eas Boeckhius, quum primum agerentur, non stetit esse censet? Valde profecto lubrica sunt argumenta, quae a terrore petuntur, quem Pollux et scriptor vitae Aeschyli excitatum esse choro Furiarum dicant. Nam si manifestam exaggerationem detraxeris, nihil relinquitur, nisi valde perterritos esse spectatores: quod cur tandem eo valuisse putabimus, ut fabula improbaretur, quum haec ipsa res laudem potius atque admirationem parere Aeschyllo debuerit? Reliqua, quae firmandae opinioni suae affert Boeckhius, collapsa tabulata, et impietatis accusationem, ea minoris etiam sunt ponderis. De accusatione illa infra dicetur. De collapsis autem tabulatis, de quibus scribit p. 38. quam incerta res sit, neminem fore putamus, qui non intelligat. Omnis enim ratiocinatio Boeckhii haec est: si in Siciliam abiit Aeschylus ob ad-

*) Reprehendit hoc Schwenkius in praefatione ad Aeschyli Eumenides p. 8.

versam Eumenidam fortunam, ut scriptor vitae eius testatur, credibile est, in Eumenidum commissione tabulata cecidisse, quod ob eam rem iter istud susceptum esse Suidas dicit. Atqui, ut ne repetam, quod supra dixi, de duplici Eumenidum commissione rem nondum demonstratam esse, Suidae testimonium nihil probabit, si aut vitae scriptor aliud dicit, quam dicere visus est Boeckhio, aut Aeschylum pluries in Siciliam profectum esse statuemus. Ac de vitae scriptore res plana est. Hic enim pro Boeckhio nihil probat, pro nostra sententia argumentum praebet gravissimum, quandoquidem, ut in prima dissertatione ostendimus, Furiae *σποράδην* introductae, quas commemorat, ad istam fabulam, quam hodie quoque habemus, pertinent. Quae fabula quum in his sit tragoediis, quibus Aeschylus Olymp. LXXX. 2. victor fuit, neque collapsa tabulata ad Eumenidum commissionem trahi poterunt, neque poeta in Siciliam abiisse, quod Eumenides non stetissent, iudicabitur. Itaque superest, ut de eo quaeramus, an Aeschylus saepius in Sicilia fuerit. Quae res quo facilius perspicui possit, tempora Aeschyli cum ipsis scriptorum dissensionibus describam.

Olymp. LXIII. 4. Natus Aeschylus secundum marmor Parium ad Olymp. LXXII. 3. et LXXXI. 1. ac Suidam in v. *Αισχύλος*.

Olymp. LXIV. 4. Hic Aeschylus secundum alios natus est, ut infra ostendetur.

Olymp. LXX. 1. Aeschylus anno aetatis XXV fabulam docet, Suida teste in v. *Αισχύλος*, et quidem certans cum Pratina, ut ex eodem Suida in v. *Πρατίνας* intelligitur. Collapsa sunt tabulata, ob quem casum conditum esse theatrum dicit Suidas, quod quidem opus perfectum est demum ab Lycurgo oratore, ut Hyperides apud Apsinem, seu quisquis istum de arte rhetorica librum

scripsit, p. 708. et Plutarchus in vitis X. oratorum p. 841. C. D. testantur. Aeschylus, Suida teste, in Siciliam abit.

4. Nascitur Sophocles secundum marm. Ox. ad Olymp. LXXVII. 4.

Olymp. LXXI. 2. Hic natum esse Sophoclem scriptor vitae eius tradit.

Olymp. LXXII. 3. Pugnat Aeschylus Marathone, annos natus XXXV. ut refert marmor Parium.

Olymp. LXXIII. 1. Victor Olympiae Gelo Gelous: v. Pausan. VI. 9, 2. Victus carmine elegiaco a Simonide Aeschylus, ut quidam narrant, in Siciliam se confert *). Elegos eum scripsisse etiam Suidas testatur, sed in cod. Leid. voces *δὲ ἐλεγία καὶ* desunt.

4. Euripidem natum tradunt marm. Ox. Sophoclem nasci Suidas refert, ante Socratem annis XVII. Gelo Syracusas obtinet, ut ex Diodoro Siculo XI. 38. intelligitur, et Hieronem praeficit Gelae: v. Herodot. VII. 156. Aeschylus primum victor, secundum marm. Ox.

Olymp. LXXV. 1. Pugnat Aeschylus ad Salaminem. Nascitur Euripides.

*) C. E. Ch. Schneiderus in praefatione ad Indicem lectionum hiemalium in Univ. Litt. Vratislaviensi a. 1823. hoc sine auctoritate dictum ait. Cur ita statuerit, perpensis quidem, quae infra dicta sunt, nescio.

2. Pugnat Aeschylus ad Plataeas. Arsit Aetna, secundum marm. Ox. ep. 53. v. 68. quod Thucydides annis quinquaginta ante Olymp. LXXXVIII. 3. accidisse refert. Recente adhuc incendii illius memoria scriptum esse Prometheum vinctum, arguere videtur vaticinium ea de re Promethei *).
3. Mortuo Geloni succedit Hiero.
4. Docentur Phrynichi Phoenissae, auctore Bentleio in resp. ad Boyl. p. 141. sq. 145. (s. in Opusc. p. 247. 296.) ante Persas Aeschyli: v. argum. Persarum. Quae contra Bentleium disputat Siebelis de Aesch. Pers. 15. nulla ex parte rationem illam labefactare possunt.

10 Olymp. LXXVI.1. Hiero, expulsis Catanacis, alios illuc colonos deducere instituit, urbique no-

*) Idem Schneiderus in eadem praefatione tum ex indole illius fabulae demonstrari posse putat, aliquanto post actam esse, cuius sententiae argumenta alio tempore prolaturum spero, tum ex eo id liquido consequi censet, quod, quum tertius actor ab Sophocle sit inventus, qui primum docuerit fabulam Ol. LXXVII. 3. non potuerit ante eum annum fabula produci, quae tres simul in scenam actores afferret. Atqui in Prometheo prodiere statim in principio Prometheus, Vulcanum, et Robur. Nam etiam Prometheus, quamvis tacentem ea in scena, tamen agere. Rectene an secus id dixerit vir doctissimus, tum poterit iudicari, quum constabit, utrum histrio immotam illam per aliquot horas stationem sustinere potuerit, an simulacrum fuerit, quod manibus pedibusque religatum et cuneo per medium pectus adacto rupi affigebatur. Haec coniectura, quae etiam a Welckero in libro de trilogia Aeschyli p. 30. prolata est, habet quidem, quare in dubitationem vocetur, ut in censura illius libri in Diariis litt. Lips. a. 1825. 1. p. 7. indicavi, sed habet etiam, quo valde probabilis esse videatur.

men facit Aetnae. v. Diodor. Sic. XI. 49. Strabo VI. p. 411. sq.

4. Docentur Persae: v. argumentum scholiastae.

Olymp. LXXVII. 4. Nascitur Socrates. Aeschlus ab Sophocle annos nato XXVIII. vincitur, secundum marm. Ox. et Plutarchum in Cimone. Inde in Siciliam abit. Inter hunc annum et eum, quo Persae editi sunt, Aeschylum Septem ad Thebas docuisse necesse est, quae fabula et post Persas acta est, v. schol. Aristoph. ad Ran. 1053. 1058. et vivo Aristide, ut Plutarcho teste constat.

Olymp. LXXVIII. 2. Moriuntur Hiero et Aristides, de quo v. Cornel. Nep. c. 3.

Olymp. LXXX. 2. Docetur Oresteia: v. argum. Agamemnonis. Aeschylus secundum vitae scriptorem in Siciliam abit.

Olymp. LXXXI. 1. Moritur Aeschylus, secundum marm. Ox. Gelae in Sicilia, ut Plutarchus in Cimone, vitae scriptor, et Valerius Maximus tradunt. Tempus mortis, Callia archonte memorato, indicat etiam Schol. Aristoph. Ach. 10.

Habemus hic miras scriptorum quam aliis in rebus, tum de tempore Siculi istius itineris dissensiones, aliis Olymp. LXXI. 1. aliis LXXIII. 1. aliis post Olymp. LXXVII. 4. aliis denique Olymp. LXXX. 2. Aeschylum in Siciliam abiisse dicentibus. Quas dissensiones antequam componere aggrediar, illud viae muniendae causa ostendam, quod quum ab aliis, tum a Boeckhio quoque neglectum video, quas habemus a grammaticis scriptas poetarum vitas, eas a diversis hominibus diversis temporibus e variis scriptoribus concinnatas esse. Quare in huius-

K 2

II modi scriptis non tam ordo et nexus et consensus, quam singula per se fragmenta, quorum farragines sunt istae vitae, considerari debent. Aeschyli quidem vitam sic esse e plurium scriptorum fragmentis compositam, neminem latebit, qui praestantissimam editionem Robortelli cum vulgaribus libris contulerit. Clarius hoc aliquando apparebit, editis lectionibus, quas e codd. MSS. adnotavi. Exemplo nunc sit hic ipse locus, qui est de Siculo itinere: quem ita afferam, ut missis levioribus scripturae diversitatibus, ea, quae in libris quibusdam ommissa sunt, uncis includam. Ἀπῆρε δὲ πρὸς Ἰέρωνα τῆς Σικελίας τύραννον, κατὰ τινὰς μὲν, ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεῖς [καὶ ἠσσηθεῖς νέῳ ὄντι Σοφοκλεῖ· κατὰ δὲ ἐνίοις, ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἠσσηθεῖς] Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ ἐλεγείον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον· [τινὲς δὲ φασιν, ἐν τῇ ἀποδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν, τοσοῦτον ἐκπλήξαι τὸν δῆμον, ὡς τὰ μὲν νῆπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι] ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, Ἰέρωνος τότε τὴν Αἴττην κτίζοντος, ἐπεδείξατο τὰς Αἴτταιας, [πάνυ λαμπρῶς] οἰωνιζόμενος ἐντεῦθεν βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικίζουσι τὴν πόλιν, καὶ σφόδρα τῷ τε Ἰέρωνι καὶ τοῖς Γελώοις τιμηθεῖς, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος, [ὧν ἑτῶν πέντε πρὸς τοῖς ἐξήμοντα] τελευτᾷ τοῦτον τὸν τρόπον. Iam etsi prima in his omissio negligentiae librariorum imputanda videtur, tamen quod ad reliquas attinet, quum in duobus codicibus non inveniuntur, quae scripta sunt in tertio, reperiantur autem, quae in illo non sunt scripta; quumque editiones Aldina et Robortelli, quae ambae ex codicibus expressae sunt, nihil horum omittant: quid aliud quam e variis narrationibus, a diversis hominibus hinc illinc congestis, hanc vitam conflata esse censebimus? Vsus sum exemplo ob ipsas codicum dissensiones perspicuo. Sed multa inveniuntur in huiusmodi vitis alia, quae propter alias rationes eandem rem etiam apertius confirmant. Quod si caute huiusmodi indiciis utare, reputesque, quae in unum coniuncta

repugnent et falsa sint, disiuncta posse verissima esse, non raro egregia reperies veri vestigia. Vellem id fecisset Boeckhius, qui, ut mihi videtur, non modo fidem scriptorum locorumve, quibus usus est, non ubique satis ponderavit, sed quaedam etiam aliquanto cupidius, quam par erat, ad suam accommodavit sententiam: quae si remota cupiditate considerasset, minus et dissensionis inter scriptorum testimonia, et difficultatis in temporum computatione futurum erat.

Haec nunc ordine pertractabimus. Ac Boeckhio videtur Aeschylus non ante in Siciliam se contulisse, quam quum Olymp. LXXVII. 4. ab Sophocle victus esset; inde reliquam vitae tempus apud Siculos exegisse, ideoque Oresteam absens docuisse, fortasse per filium Euphoriorem. Haec omnia, ut fatear quod sentio, vereor ne non modo probari nequeant, sed ne credibilia quidem, si accurate considerentur, iudicari possint. Ordinar a profectio ista Sicula. Atque illud quidem nemo, opinor, dubitabit, quin recte Boeckhius censeat, Aeschylum post Olymp. LXXVII. 4. quum ab iuvene Sophocle victus esset, in Siciliam abiisse. Nam non modo plures in ea re testes conveniunt, sed afferunt etiam ea, quae aperte in hoc, neque aliud tempus quadrent. Plutarchus in Cimone p. 117. (884. ed. H. Steph.) *πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἐτι νέου καθέντος, Ἀφρυσίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος· ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατῆγων προσελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποίησατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδὰς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὀρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρίναι, δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἑκαστον. ὁ μὲν οὖν ἀγὼν καὶ διὰ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἰτ' οἴχεσθαι δι' ὄργην εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαιται.* Quum non statim

Athenis abiit, eo videtur indignationem dissimulare voluisse. Ac fortasse ad eandem repulsam pertinet, quod Athenaeus refert lib. VIII. p. 348. *Ε. φιλόσοφος δὲ ἦν τῶν πάντων ὁ Αἰσχύλος, ὃς καὶ ἠττηθεὶς ἀδίκως ποτέ, ὡς Θεόφραστος ἢ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς εἰρηκεν, ἔφη χρόνῳ τὰς τραγωδίας ἀνατιθέναι, εἰδὼς ὅτι κομμεῖται τὴν προσήκουσαν τιμὴν.* Ex Athenaeo haec tetigit etiam Eustathius p. 1298, 57. Eadem, quae a Plutarcho, ab aliis quoque tradita esse, e vita Aeschyli cognoscimus, in qua diserte ad Hieronem, condenda urbe Aetna occupatum, profectus dicitur, eaque opportunitate novae urbis civibus fabula indidem nomen habente gratulatus esse. Censentit etiam Pausanias I. 2, 3. ita scribens: *συνῆσαν δὲ ἄρα καὶ τότε τοῖς βασιλεῦσι ποιηταί· καὶ πρότερον ἐτι καὶ Πολυκράτει Σάμου τυραννοῦντι Ἀνακρέων παρῆν, καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἴέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν.* Vnde apparet, factum hoc esse inter Olymp. LXXV. 2. et LXXVIII. 2. per quod tempus rex Syracusarum fuit Hiero. Neque obstant, quae de Aetna urbe Olymp. LXXVI. 1. condita traduntur: nam ut non satis accurate dictum sit a vitae scriptore, occupatum eo tempore in constituenda ea civitate fuisse Hieronem, tamen etiam nuper constitutae gratulatum esse Aeschylum, nihil est quod credere prohibeat. Nec denique repugnat, quod Persas iterum docuit in Sicilia: scholiastes Aristophanis ad Ran. 1060. *δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάζοντος Ἰέρωνος, ὃς φησὶν Ἐρατοσθένους ἐν γ' περὶ κωμωδιῶν.* Additamentum ad vitam Aeschyli in cod. Guelf. *φασὶν ὑπὸ Ἰέρωνος ἀξιώθεντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ, καὶ λίαν εὐδοκίμησαι·* quae iam in ed. Rob. p. 13. sed valde corrupta prostabant. Atqui Persas docuerat primum Athenis Olymp. LXXVI. 4. Haec igitur omnia dabitare nos non sinunt, quin Aeschylus Olymp. LXXVII. 4. quum ab Sophocle victus esset, in Siciliam abierit ad Hieronem, regem Syracusarum, ibique aliquamdiu vixerit: Sed quid fiet caeteris narrationibus,

quae ab his, quarum modo mentionem fecimus, mire differunt? Vtrumne has, quod Boeckhius fecit, falsas esse pronuntiabimus, an, si fieri possit, studebimus cum his, quae modo ut vera probavimus, conciliare? Sunt autem plura etiam, quae dubitationem obiciant, quam visum est Boeckhio. Primo ea consideremus, quae de Siculo itinere 14 diversa narrantur. Suidas in v. *Λισχύλος*: *φυγὼν δὲ εἰς Σικελίαν διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἱκρία, ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ, χελώνης ἐπιρρίψεισθαι αὐτῷ ὑπὸ ἀετοῦ φέροντος κατὰ τῆς κεφαλῆς ἀπώλετο ἐτῶν νῆ γενόμενος.* Boeckhius p. 28. ita de hac re scribit, ut subindicare videatur, potuisse hoc in priore ista Eumenidum commissione, de qua sibi persuasit, accidere. Quod quum secundam ea, quae supra disputavimus, non potuerit fieri, videndum est, quo tempore lapsa esse tabulata existimari debeant. Qui mentionem istorum fecerunt tabulatorum, Libanius in argum. I. Olynth. Demosthenis, scholiastes Aristophanis ad Theam. 402. Hesychius, Photius, Suidas in v. *ἱκρία*, Suidas etiam in v. *Αἰγειρος*, Zenaras p. 65. et 1101. Eustathius p. 1472, 5. nihil aliud, quam ante conditum theatrum spectasse ex iis populum tradunt. Sed Suidas tamen in v. *Πρατίνας* clarius de ea re scribit: *ἀντηγωνίζετο δὲ Λισχύλω τε καὶ Χοιρίλω ἐπὶ τῆς ἐβδομημοσθῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ πρῶτος ἔγραψε σατύρους. ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἱκρία, ἐφ' ὧν ἐστήκεισαν οἱ θεαταί, πεσεῖν, καὶ ἐκ τούτου θέατρον φηροδομήθη Ἀθηναίοις.* Hoc eiusmodi est, ut vix dubitari possit, quin de eodem casu loquatur Suidas, de quo in Aeschyli commemoratione dixerat. Vbi quum lapsa narret tabulata Aeschylō tragoediam exhibente, quod nunc in Pratinæ fabula factum dicit, quid verisimilius est, quam accidisse eam rem Olymp. LXX. I. quo anno, eodem Suida teste, Pratinas et Aeschylus inter se decertarunt? Quod si quis forte in eo haereat, quod, si alteri horum poetarum tam adversus casus accidit, ea res non videatur de utroque narrari potuisse: planum est, conciliari secum posse Suidam et facillime et valde probabiliter. Quid enim, si prior Aeschylus, quam Pratinas, fabulas suas exhibuit?

si in Aeschyleae fabulae commissione concidit pars tabulatorum? nemo enim, opinor, tota corruisse tabulata sibi persuadebit. Quid porro, si labefactis semel tabulatis, quum deinde Pratinae fabula ageretur, alia collapsa est tabulatorum pars? *) Ita nec Suidas sibi repugnabit, et 15 caussa apparebit idonea, quare Aeschylus invidiam quorundam incurrerit, quod tanto studio ad eum confluisse populus visus esset, ut non modo tabulata ruerent, sed ea re etiam Pratinae fabula impediretur. Quam invidiam eo maiorem fuisse credibile est, si eo tempore primum edidit Aeschylus fabulam. Quod quidem verisimillimum est, non solum, quia tum annos non amplius XXV. natus erat, sed etiam quod scriptores, quum quando quis fabulam docuerit indicant, illud tempus respicere solent, quo primum poetae fabulas in theatrum produxerunt. Neque aliter iudicasse video Bentleium, qui in resp. ad Boyl. p. 197. primum dicit Aeschylum fabulam docuisse Olymp. LXX. Quid quod vix dubitari sinit Suidas, cuius haec in cod. Leidensi verba sunt: *ἦν δὲ καὶ ἐτῶν, ὅτε ἡγωνίζετο καὶ ἐνίκησε νίκας κή.* Editi libri habent: *ἡγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ ὁ* (sic legendum pro *θ'*) *Ὀλυμπιάδι, ἐτῶν ὦν καὶ.* Iam quid veri similis est, quam Aeschylum, quo evitaret haec odia, simulque sui desiderium excitaret, in Siciliam abiisse? Sed video, quid aliquis obiecturus sit: quum certum sit, Aeschylum post Olympiad. LXXVII. 4. in Siciliam se contulisse, necessarium esse, ut, si vera sint, quae modo coniecimus, non semel istuc profectus sit; atqui hoc nec traditum esse a quoquam, et Suidam, scriptorem vitae Aeschyli, ipsumque Plutarchum ita de Siculo isto itinere loqui, ac si, postquam in Siciliam venerat Aeschylus, ibi manserit usque ad mortem; accedere denique his Athenaeum, qui quum p. 402. C. sic scribat, *ὅτι δὲ Αἰσχύλος, διατρίψας ἐν Σικελίᾳ, πολλαῖς κέρχρηται φωναῖς Σικελικαῖς, οὐδὲν θαυμαστόν,*

*) Severiter et haec notanda iudicavit Schwenkiius in praefatione ad Aeschyli Eumenides p. 9. seq. et quaedam alia.

aliter scripturum fuisse, si saepius in Sicilia fuisset poeta. Non ego sane haec argumenta prorsus contempserim: sed fateor tamen, minoris ea ponderis esse, quam prima specie videntur. Nam Athenaei quidem verba certe hoc non excludunt, non semel in Sicilia fuisse Aeschylum: quod autem ad caeteros, quos commemoravi, scriptores attinet, nemo non videt, quam facile, quum in Sicilia mortuum esse poetam scirent, causam autem itineris non unam, quippe aliis de alio itinere disserentibus, afferri vidissent, haec ita potuerint confundere, ut semel profectum in Sicilia ibique mortuum putarent. Attuli haec eo tantum fine, ut ostenderem, nihil esse, quare prorsus reiiceretur Suidae de isto itinere testimonium. Sunt vero etiam alia, quae, etiam Suidam errare credas, sententiam meam valde commendare videantur. Quorum alia infra, unum nunc afferam. Syracusas ad Hieronem regem venisse Aeschylum, testimoniis scriptorum non ambiguis comprobatum vidimus. Ita vero mirari licet, quid sit, quod a vitae scriptore non apud Syracusanos, sed apud Geloos in honore fuisse, nec Syracusis, ubi eum hospitia contraxisse credas, sed circa Gelam, quum ex oppido exisset, ut Valerius Maximus, non ille tamen Gelam nominans, IX. 12. refert, mortuus sepultusque dicatur. Multas sane comminisci possumus causas, quibus haec ita acciderint. Sed quum alii, ut vitae scriptor testatur, eum in Siciliam abiisse dicant, quod victus esset ab Simonide, quae res evenit Olymp. LXXIII. 1. quidni credamus Gelam tum eum sive primum, sive iterum ivisse, probatumque habitanti ibi Hieroni, quem biennio post Gelo ei urbi praefecit, quum illo tempore, quo Hiero rex factus erat Syracusarum, rursus inviseret Siciliam, Syracusas profectum, mortuo Hierone antiquos hospites, Geloos, praetulisse? Haec si facta statuimus, non erit opus, ut quemquam illorum scriptorum, qui alius aliam ob causam Aeschylum in Siciliam ivisse tradunt, erroris arguamus. Sed etiamsi haec, quae tria nobis videntur itinera fuisse, unum tantummodo sint, at rediisse tamen Aeschylum Athenas, et postea, sive iterum, sive quartum, in Siciliam profe-

ctum esse, non improbabilibus tunc argumentis ostensurum spero. Nam ut ab hoc ordiar, quis facile sibi persuadeat, Aeschylum, virum apud populares suos virtute et fortitudine clarum, ob tragoediae perfectionem celebratum, propter carminum suorum praestantiam honoratum, non paucis insignem victoriis, denique non omittentem haec studia, sed quam maxime in iis perseverantem, quis, inquam, sibi persuadeat, hunc patria, pro qua ter strenue dimicaverat; scena, quam ipse perfecerat; favore et plau-
 17su civium, quibus non poterat non desideratissimus redire, tredecim annos, tot enim sunt ab Olymp. LXXVIII. 1. ad finem vitae eius, carere sustinuisse? Deinde quis credat, eum absentem in Sicilia, Athenis fabulas per alios docuisse? quod profecto, si quidquam, ab omni verisimilitudine abhorret. Quid enim? poetas, quibus, quod de victoria decertarent, non perinde erat, rectene an secus fabulae suae ab histrionibus agerentur, hos credamus alios fabulas suas docendas commisisse, de quorum fide ut nihil dubitaverint, at dubitare tamen de eo debebant, an illi, quomodo ipsi poetae quidque agi voluissent, non ubique satis assequuturi essent? Aristophanem quidem scimus iuvenem, quum nondum ei liceret fabulam producere, alieno nomine usum esse: sed vix credi poterit, etiam partes docentis eum alii tradidisse. Praeterea alia res est in tragoedia, in qua multo difficilius, quam in comoedia, quomodo singula tractari ab histrione debeant, intelligitur, multoque magis, si quid peccatum est, fabula periclitatur. Aeschylus vero ante alios poetas sedulo curabat, ut ad suam ipsius mentem omnia exhiberentur: quod clare ostendit Athenaeus I. p. 21. E. his verbis: *Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτὸν φησι σχηματίζειν τοὺς χορούς, ὀρχηστοδιδασκάλους οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων καὶ ὅλων πᾶσαν τὴν τῆς τραγωδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περυστᾶν.* Quae paullo post etiam Aristophanis testimonio confirmat. Nunc Aeschylus post Olymp. LXXVII. 4. nisi alias tragoedias, certe Oresteam docuit, quae fabulae tanta arte sunt factae, ut, si quae aliae, praesen-

tia poetae opus habuisse videantur. Sed fac per alium exhibitam esse Oresteam: quaerimus per quemnam. Per aliquem, inquit Boeckhius, ex Aeschyli familia, fortasse per Euphorionem. In hac vero re omnium maxime ab eo dissentio. Nam neque familiam aut sectam Aeschyli unquam fuisse credo, neque rationem video ullam, ob quam Euphorioni aut cuicumque alii commissio Oresteae tribui possit: immo eam ab ipso Aeschylo, tum praesente Athenis, introductam esse probabile reddam. De familia ista Aeschyli miror sibi persuasisse Boeckhium tam infrimis argumentis. Quintiliano quidem, X. 1, 66. correctas Aeschyli fabulas in certamen deferre posterioribus poetis permissum ab Atheniensibus dicenti, non modo nullus adstipulatur alius scriptor, sed quidam aperte repugnant, de qua re dixit iam ad Quintilianum Gesnerus. Quia Lycurgi oratoris rogatione decretum fuit, fabulas Aeschyli, Sophoclis, et Euripidis, publica auctoritate descriptas, inspicere, dum agerentur, a scriba civitatis, ne quid histriones suo arbitrio mutarent, ut Plutarchus refert in vitis X. oratorum p. 841. F. his verbis: τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν ποιῶν γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματεῖα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις: οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτοὺς ὑποκρίνεσθαι *). Recte hic αὐτοὺς pro αὐτὰς Reiskius, sed male interpretans. Sunt enim histriones intelligendi. Reliqua, quae Boeckhius affert, ad τοὺς περὶ Αἰσχύλου, qui a duobus scriptoribus dicuntur, et ad ea, quae Suidas de Euphorione refert, redeunt. Videamus locos ipsos horum scriptorum. Scholiastes Aristophanis ad Ran. 72. de So-

*) Ex eadem lege se contrarium demonstrasse ait Boeckhius in dissertatione, quam Germanice scripsit de differentia Atticorum Lenaeorum, Anthestiorum, et Dionysiorum ruralium p. 53. provocans ad librum de principibus tragicis p. 12. seqq. coll. 328. seqq. et Petersen. de vita et fabulis Aeschyli p. 79. seq. lectorique neutrius partis studioso et de hac re et de Aeschyli familia, quam se sibi satis firmasse videri, iudicium relinquens. Is igitur iudicet.

phocle ita scribit: οὐ μόνον δὲ Χοιρίλω καὶ τοῖς περὶ Αἰσχύλον καὶ Εὐριπίδην, ἀλλὰ καὶ Ἰοφῶντι συνηγωνίσασατο τῷ νιῶ. Vbi qui, quod Boeckhiius facit, verba τοὺς περὶ Αἰσχύλον non de ipso Aeschylō, sed de quadam eius secta intelligi debere contendit, quid, obsecro, aliud, quam caussa iam desperata ad extrema se redactum confitetur? Et, quod magis etiam mirum est, ibidem, ubi haec affert Boeckhiius, p. 31. eo se abripi defendendae suae sententiae cupiditate passus est, ut vitae Sophoclis scriptorem, eadem his verbis tradentem, συνηγωνίσασατο δὲ Αἰσχύλω, καὶ Εὐριπίδῃ, καὶ Χοιρίλω, καὶ Ἀριστίᾳ, καὶ ἄλλοις, καὶ Ἰοφῶντι τῷ νιῶ, male solum Aeschylum nominare diceret. Sed videamus, qui solus reliquus est, commemoratum p. 33. Diogenem Laertium. Is II. 43. quum dixisset Athenienses, interfecto Socrate, mox Melitum capitali supplicio afficiendum, Socratem autem statua honorandum decrevisse, ita pergit: οὐ μόνον δὲ ἐπὶ Σωκράτους Ἀθηναῖοι πεπόνθασα τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλείστων ὄσων· καὶ γὰρ Ὅμηρον, καθὰ φησιν Ἡρακλείδης, παρακόπτειν ἔλεγον, καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκὼν χαλκῆ.

19 Quid vero? taline loco, quem corruptum esse interpretes fassi sunt omnes, sententiam suam firmari putabat Boeckhiius? Vt scripserit Diogenes πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον, quemadmodum Menagius cum regio codice edidit, quum vulgo legeretur πρῶτον τὸν περὶ Αἰσχύλον, quid sibi volunt haec verba? Vtrumne praecipuum dicit inter sectatores Aeschyli? at tum scribere debebat aut τὸν πρῶτον, aut πρῶτον ὄντα: an primum, quod deinde aliis ex eadem familia idem honor habitus sit? at quis unquam hoc Aeschyli sectatoribus contigisse audivit, quum id ipsum, existitisse talem sectam, huius demum loci fide credere nos velit Boeckhiius? Quare antequam quis hoc loco ullam in partem uteretur, de emendatione cogitandum erat? Ac Mer. Casaubonus scribendum putabat: καὶ Τυρταῖον παρακόπτειν ἔλεγον, καὶ Ἀστυδάμαντα, πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον, ὃν ἐτίμησαν εἰκὼν χαλκῆ. Alia tentabat Menagius, quae praeterire satius duco, quia

non magis remouent difficultatem, qua hic locus premittitur. Ego quidem plane persuasum mihi habeo, Diogenem scripsisse: καὶ Ἀστυδάμαντα πρότερον τῶν περὶ Αἰσχύλου ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ. Constat autem saepissime commutari ab librariis πρῶτον et πρότερον. Astydamanti enim vivo posita est statua, de qua re Photius et Suidas in v. σαυτὴν ἐπαινεῖς, et proverbiorum collectores exposuerunt. Aeschulo autem post Astydamantem demum decretam esse statuam ex eo intelligitur, quod id factum est rogatione Lycurgi oratoris, quem Plutarchus in vitis X. oratorum p. 841. F. legem tulisse scribit, ὡς χαλκῆς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου. Atqui Astydamas primum edidit tragoediam Olymp. XCV. 2. teste Diodoro Siculo XIV. 43. quo tempore puer adhuc erat Lycurgus, qui secundum Taylori sententiam in praefatione ad eius orationem p. 105. ed. Reisk. circa Olymp. XCIII. natus est. Conuenit cum his etiam Pausaniae de Aeschuli statua testimonium, qui I. 21, 3. sic scribit: τὴν δὲ εἰκόνα τοῦ Αἰσχύλου πολλῶ τε ὕστερον τῆς τελευτῆς δοκῶ ποιηθῆναι καὶ τῆς γραφῆς, ἢ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι. Itaque hoc dicit Diogenes, perversissime iudicare solitos esse Athenienses, qui quemadmodum de Socrate eiusque accusatoribus brevi temporis spatio diversissima statuerint, ita Homerum Tyrtaeumque insanire putauerint, Astydamantem vero, arrogantia magis quam arte notum, prius honorauerint statua, quam parentem tragoediae Aeschylum. Remouimus τοὺς περὶ Αἰσχύλου, qui, praeter ipsum Aeschylum, non fuerunt umquam ulli. Reliquus est Euphorion, filius Aeschuli, de quo quum Suidas scribat, ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μῆπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετρακίς ἐνίκησεν, Boeckhius non modo p. 32. id factum putat Olymp. LXXXVII. quo tempore Sophoclem atque Euripidem ab Euphorione victum narrat Aristophanes Byzantius in argumento Medae Euripidis, sed p. 55. etiam Aeschulo in Sicilia degente fabulas eius ab Euphorione aliove Aeschuli cognato in certamen delatas suspicatur, ita ut istud οἷς μῆπω ἦν ἐπιδειξάμε-

20ς de his fabulis intelligendum sit, quas Aeschylus nondum Athenis edidisset. Neutrum ne levissimam quidem speciem veri habet. Primum enim quis credat, si paternis tragoediis Euphorion Olymp. LXXXVII. vicit, non Aeschylum, sed Euphorionem victorem renunciatum esse? Quin, si omnibus hoc credibile videretur, certe ipse Boeckhius non poterat ita sentire. Nam si Olymp. LXXXVII. Euphorionem pro Aeschylō renanciatam putat, quomodo illud explicabit, quod, quum Olymp. LXXX. Oresteā ab eodem Euphorione vel alio ex Aeschylī familia, ut ipse opinatur, introducta esset, non is, qui eam introduxit, sed Aeschylus victor perhibitus est? Non ambiguis enim verbis in argumento Agamemnonis scriptum est, *πρῶτος Αἰσχύλος*. Et omnino si non scriptor fabularum, sed qui eas mortuo vel absente poeta committebat, pro victore habitus esset, qui tandem de Aeschylō dicere potuisset is, qui vitam eius scripsit, *οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευταίην νίκας ἀπηνέγκαστο?* aut Philostratus in vita Apollonii VI. 11. p. 245. *ὁθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν αὐτὸν τῆς τραγῳδίας ἤγουντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς*. Denique Suidae verba, *οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος*, nisi quis ea violenter alio detorquere velit, non possunt nisi de 21 iis fabulis intelligi, quas Aeschylus, dum viveret, sive omnino nondum ediderat, sive nondum commiserat Athenis, quum eas in Sicilia docuisset. Et id eo certius est, quo melius convenit cum illorum testimoniis scriptorum, qui fabulas Aeschylī etiam post mortem eius in scenam productas esse tradunt: ex quibus in primis huc pertinet vitae scriptor, cuius haec verba sunt: *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφισασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν λαμβάνειν*.

Ex his, quae hactenus disputata sunt, quid conficiatur, apertum est. Nam si Aeschylum neque tredecim annos mansisse in Sicilia, nec fabulas suas absentem per alios

docuisse credibile est, quid aliud quam Athenas redierit necesse est, ibique fuerit Olymp. LXXX. 2. quum ageretur Oresteia, postea autem rursus in Siciliam se contulerit, ubi Olymp. LXXXI. 1. mortuus est? Coniecturae per se probabili fidem facit is, qui vitam Aeschyli scripsit: qui quum Aeschylum dicat, postquam in Siciliam venisset, ἐπιζήσαντα τρίτον ἔτος diem obiisse, planissime rationes nostras comprobat. Nam si post actam Oresteiam in Siciliam abiit Aeschylus, tres ab eo tempore anni sunt usque ad mortem eius. At repudiat hunc scriptorem Boeckhius, tamquam auctorem parum idoneum. *Aeschyli vitae scriptorem*, inquit p. 50. *tam parum accuratum, qui anno aetatis LXV. obiisse, anno vero LXII. in Siciliam ad Hieronem venisse Aeschylum tradit, nemo postulabit ut aut distinctius refutemus, aut eius in subducendo calculo rationem habeamus praecipuam.* Quenam vero sunt illa, quae ut parum accurate tradita culpat? Primo p. 49. Aeschylum secundum vitae scriptorem ne attigisse quidem dicit Olympiadis LXXX. annum secundum. At nusquam hoc ille dixit. Nimirum ita eum existimasse ex eo colligit Boeckhius, quod Aeschylum ad Hieronem, qui mortuus est Olymp. LXXVIII. 2. profectum esse, et tertio post anno, quum annum haberet LXV, ideoque ad summum Olymp. LXXIX. 1. obiisse narret. Quid vero, si, quod factam esse infra ap-22 parebit, vitae scriptor, diversos auctores sequutus, ex alio aliud adnotavit? Nam etiamsi codices non ostenderent, nihil hanc vitam nisi farraginem fragmentorum esse, quis grammaticam, qui tam pauca de Aeschylō; eaque tam confuse scripta reliquerit, non, quidquid hic illic legisset, adnotare satis habuisse, sed quaerere de his rebus diligentius, et ad Olympiadum annos singula expendere aut voluisse aut potuisse credat? Tantum ergo abest, ut Musgraviam reprehendere debuerit Boeckhius, quod secundum vitae scriptorem tempore pugnae Salaminiae Aeschylum quadraginta annos habuisse censuerit, ut magis, nisi illa de his actis Eumenidibus opinione praepeditus falsset, non potuisset non probare rationes Musgravii, unius tantum

anni discrimine a vero aberrantis. A quo ne in eo quidem discedere debebat, quod ille, quum scriptor vitae Sophoclis et scholiastes Aristophanis ad Ran. 75. de Sophocle scribant, *Αισχύλου μὲν νεώτερος ἔτη δεκαεπτὰ, Εὐριπίδου δὲ καλαιότερος εἰκοσιτέσσαρα*, numeros commutandos iudicavit, quod Lessingius quoque in vita Sophoclis fecit, ut Sophocles XXIV. annis post Aeschylum, XVII. ante Euripidem natus diceretur. Quae emendatio Boeckhio, qui Aeschyli natales a Musgravio Olymp. LXV. anno 1. Sophoclis Olymp. LXXI. anno 2. assignari animadverteret, non potuit non suspecta videri, quod ita Sophocles Aeschylo posterior fuisset annis XXV. Euripide autem prior annis XV. Quare ipse aliam tentat coniecturam: *Αισχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτὰ, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκατέσσαρα*. At in tali causa nisi exactissime numeri conveniant, quod ne in hac quidem coniectura fit, nihil certum esse putandum est. Quod si Musgravius sequere, qui quidem vereor ne haec non magis quam Lessingius ex omni parte perspexerit, calculos omnes verissimos esse intelliges. Haec ordine nunc persequar.

Ac sponte intelligitur, non mirum esse, si plerumque certius constat, quando mortui sint clari homines, quam quando nati. Pari enim omnes conditione nascimur, sed non ignota manet mors, quorum clara fuit vita.

23 Quare quum de aetate illustrium virorum quaeritur, rectius plerumque a mortis tempore, quam a natalibus, anni numerantur. Hoc si in Aeschylo teneas, habebis rationem facillimam, qua discrepantia scriptorum testimonia in concordiam adducas. Mortis tempus ab solo marmore Pario indicatum est, Olymp. LXXXI. 1. In hac re nihil videtur erroris esse. Nam et paullo ante, Olymp. LXXX. 2. Oresteam Aeschylus ediderat, nec post Olymp. LXXXI. quisquam eum vivum commemoravit, nec denique est, nisi alienos calculos adhibeas, qui alio tempore eum obiisse dicat. Marmor Parium eum tradit mortuum esse annos natum LXIX. Hoc si verum est, natus fuerit ne-

cesse est Olymp. LXIII. 4. Apud Suidam est, mortuum esse anno vitae LVIII. qui manifestus est librariorum error, quia, ut idem Suidas et illo et alio loco refert, iam Olymp. LXX. 1. cum Pratina certavit, annos natus XXV. qui numerus prorsus convenit cum calculo marmoris: unde verisimile est, Suidam non *νή*, sed *ξή* scripsisse. Vitae scriptor Aeschylum tradit LXV. aetatis anno mortuum esse: a qua narratione non multum recedit, quod paullo post in eadem vita legitur, *ἔβιωσε δὲ ἐξήκοντα καὶ τρία ἔτη*, ubi tamen pro *ἔτη ξγ'*, quod duo codices habent, in tertio scriptum est *ξέ*, fortasse dissensionis componendae causa. Nunc secundum eos, qui LXV. annos implevisse Aeschylum dixerunt, si a mortis tempore numeres, natus fuit Olymp. LXIV. 4. Hanc vero narrationem sequutus est is, e quo scholiastes Aristophanis ad Ran. 75. et scriptor vitae Sophoclis, numeris e Musgravii et Lessingii sententia permutatis, Sophoclem retulerunt Aeschylo XXIV. annis posteriorem, XVII. priorem Euripide fuisse. Id enim qui tradidit, Sophoclem existimavit natum esse Olymp. LXX. 4. quo anno ille secundum marmor Parium, quod eum Olymp. LXXVII. 4. annos habuisse XXVIII. refert, natus habeatur necesse est. Atqui ab Olymp. LXIV. 4. quo anno isti Aeschylum natum putarunt, ad natales Sophoclis Olymp. LXX. 4. anni sunt XXIV. inde autem ad Olymp. LXXV. 1. quo anno natus est Euripides, numerantur anni XVII. Hinc manifestum est, Sophocleae quoque vitae scriptorem e diversis auctoribus, ex alio retulisse natum Sophoclem Olymp. 24 LXXI. 2. ex alio illa commemorasse, quae modo explicuimus de intervallo inter natales Aeschyli, Sophoclis, et Euripidis.

Apertum iam esse arbitror, scriptorem vitae Aeschyli iniuria a Boeckhio reprehensum esse, tamquam qui poetae mortem ad Olymp. LXXIX. 1. retulerit. Qui si, ut ostendisse mihi videor, non discessit ab his, qui Aeschylum Olymp. LXXXI. 1. obiisse narrarunt, illud quoque verum sit necesse est, quod supra eodem auctore po-

suumus, post Olymp. LXXX. 2. quo tempore acta est Orestea, poetam rursus in Siciliam profectum esse, quia tertio post illam profectionem anno, quum annos haberet LXV. ab eo scriptore mortuus in Sicilia esse traditur. Hinc intelligitur, in his quoque, quae in vita Aeschylus de Siculo isto itinere scripta sunt, diversa tempora, diversasque narrationes, et magis etiam, quam putabatur, confusas esse. Nam praeter illos, qui Olympiadem LXX et collapsa tabulata memoraverant, alii in Siciliam profectum esse Aeschylum dixerant ob victoriam Simonidis, quae pertinet ad Olymp. LXXIII. 1. alii ob victoriam Sophoclis, a quo superatus est Olymp. LXXVII. 4. alii denique ob invidiam et litem, cui Eumenides ansam dederant, quae res incidit in Olymp. LXXX. 2. Ad hanc postremam narrationem, eamque solam, quadrat illud, quod tertio post anno mortuus esse dicitur. Sed in Aeschylus vita haec, quum e variis scriptoribus adnotata essent, in unum tenorem coniuncta sunt: quae si singula, quo pertinent, referas, vera erunt omnia; sin sic, ut ibi connexa sunt, probare voles, nihil in iis reperies veri *).

Sed venio nunc ad ultimam Boeckhii obiectionem, Olymp. LXXX. 2. inquit, Eumenides in his fabulis fuerunt, quibus tum Aeschylus victoriam consequutus est: itaque non potuerunt illo tempore Eumenides causam ei relinquendae patriae praebere. Esto: concedam enim tantisper: quid inde consequitur? Nempe hoc, aliam ob 25 causam in Siciliam eum abiisse. Nam de facto quidem constat. Victorem illo anno ea tetralogia didascaliae de-

*) Schneiderus in illa quam supra dixi praefatione concedit, saepius in Sicilia fuisse Sophoclem: sed quae de causis, cur patriam reliquerit, diversa narrantur, pro inanibus commentis habet. Non refragor, qui satis habeam demonstrasse, non esse illum semel tantum in Siciliam profectum, sed saepius, eorumque itinerum tempora ex iis causis, ob quas illic ivisse eum quidam crediderunt, posse conici.

clarant; praesentem fabulas suas docuisse, gravissimo teste Athenaeo evicimus; Siciliam post Eumenidum commissionem petiisse, luculenter ostendit vitae scriptor, tertio post anno mortuum narrans; idem mortis annus in marmore Pario consignatus est; denique in Sicilia mortuum sepultumque esse, certissimum est: ut, quum iam exploratum habeamus, anno eum aetatis LXV Athenas reliquisse, supervacaneum sit, cur id fecerit, quaerere. Sed nihilominus quaeram, an propter Eumenides abierit. Non enim concedendum puto, fabulam, qua vicerat, non potuisse in caussa esse, ut patriam relinqueret. Neque enim mirum foret, si, quae erat levitas Atheniensium, quem modo victorem coronassent, eundem propter easdem fabulas in ius vocavissent. Quae a vitae scriptore et Polluce de choro Eumenidum tradita sunt, utrumque fabulosa, hanc tamen vim habent, ut arguant, fuisse, quod in Eumenidum choro improbaretur. Inde quidam, ut Perizonius ad Aelianum V. H. V. 19. quum viderent, Aeschylum aliquando reum impietatis factum dici, eam accusationem ob Eumenides institutam putarunt. Sic etiam sensit Musgravius, Aeliano testem adiungens Apsinem, cuius locum non videtur inspexisse Boeckhius. Aliter confidentius, opinor, p. 39. illam impietatis accusationem ad Eumenides retulisset, quum recte observaverit, accusationes saepe plura complexas esse capita. Sed ne Musgravius quidem omnia videtur perpensis, qui versus Eumenidum v. 70 - 73. 185 - 197. ad impietatis criminationem adhibitos putaverit. Aperte enim refragatur Apsines, ita scribens p. 686. media: *οἱ ἐπὶ Ποιτιδαίαις κρινόμενοι Ἀθηναῖοι, καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίδαι, καὶ ὁ ἐπὶ τῶν λιμωπτόντων Σκυθῶν, καὶ ἐπὶ πάντων, ὅπου μέγα τι καὶ ὁμολογημένον τὸ ἀδίκημα.* Quorum verborum quae ultima sunt, satis demonstrant causam istam non in versibus illis, qui non magis impii sunt, quam multi aliorum versus tragicorum, sed in magno aliquo apertoque crimine versatam esse. In promptu est, non id aliud fuisse, quam quod pro tribus, quas civitas coleret, Furiis multo 26 plures introduxisset. Mirum est tamen, alios scriptores, qui

judicii illius mentionem fecere, non modo de Eumenidibus nihil dicere, sed crimen etiam indicare aliud. Simpliciter impietatis reum factum dicit Aelianus V. H. V. 19. *Αισχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπὶ τινὶ δράματι. ἐποίμων οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις; Ἀμεινίας ὁ νεώτερος ἀδελφός, διακαλυψάμενος τὸ ἱμάτιον, ἔδειξε τὸν πῆχυν ἔρημον τῆς χειρός. ἔτυχε δὲ ἀριστεύων ἐν Σαλαμῖνι ὁ Ἀμεινίας, ἀποβαλληκῶς τὴν χεῖρα, καὶ πρῶτος Ἀθηναίων τῶν ἀριστείων ἔτυχεν. ἐπεὶ δὲ εἶδον οἱ δικασταὶ τοῦ ἀνδρὸς τὸ πάθος, ὑπεμνήσθησαν τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ ἀφῆκαν τὸν Αἰσχύλον.* Distinctius caeteri crimen illud indicant. Aristoteles in Eth. Nicom. III. 2. οἶον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτούς, ἢ οὐκ εἶδέναι, ὅτι ἀπόρρητα ἦν, ὡς περὶ *Αἰσχύλος τὰ μυστικά.* Clemens Alex. Strom. II. p. 387. ὡς *Αἰσχύλος, τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπών, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθεῖς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας ἑαυτὸν μὴ μνησμένον.* Audiamus nunc Eustratium ad Aristotelis locum fol. 40. a. *δοκεῖ γὰρ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἐν τε ταῖς Τοξότισι καὶ Ἰερείαις, καὶ ἐν Σισύφῳ πετροκυλιστῇ, καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ, καὶ ἐν Οἰδίποδι· ἐν γὰρ τούτοις πᾶσι περὶ Δήμητρος λέγων, τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἄπτεσθαι ἔοικε. λέγει δὲ καὶ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὀμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν. καὶ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν αὐτὸν παραιτησαμένων, ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι πρῶτον, ἐδόκει ὑπαχθῆναι εἰς δικαστήριον καὶ ἀποφυγεῖν, αὐτῶν τῶν δικαστῶν ἀφέντων μάλιστα διὰ τὰ πραχθέντα αὐτῷ ἐν τῇ ἐπὶ Μαραθῶν μάχῃ· ὁ μὲν γὰρ ἀδελφός αὐτοῦ Κυνέγειρος ἀπεκόπη τὰς χεῖρας, αὐτὸς δὲ πολλὰ τραθεῖς ἀνηνέχθη φοράδην· μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ τὸ ἐπιγράμμα τὸ ἐπιγεγραμμένον αὐτοῦ τῷ τάφῳ· Αἰσχύλον Εὐφορίωνος, et reliqua. Apparet consentire hos scriptores in eo, accusatum esse Aeschylum propter evulgata arcana mysteriorum. Nam apud*

Eustratium male legi videtur, ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν περιφέρειν τινὰ δοκεῖν: quare προφέρειν possui. A quo crimine quum prorsus diversum sit illud, quod in Eumenidibus culpabatur, dubitari poterit, an Aeschylus omnino propter Eumenides non sit in ius vocatus. Fatendum est enim, certo indicio de hac re non constare, quum, qui id testari videtur, Apsines, eum suspicio sit non causam in iudicio aliquando disceptatam, sed exercitationis causa in scholis rhetorum proponi solitam commemorasse. Quamquam ea res nihil impedit, quin vere in ius vocari potuerit Aeschylus: idque sane ab eo aliquam habet veri similitudinem, quod et vitae scriptor eum propter terrorem choro isto excitatum in Siciliam profectum scribit, et Pollux, licet falsa admiscens, propter eandem causam lege de choro cautum esse refert. Accedit ad haec Epigramma Diodori XII. in Brunckii Analectis T. II. p. 188. quod quum arguat, invidia Atheniensium factum esse, ut Aeschylus non in patria sepultus sit, quid aliud, quam Eumenides intelligendas censebimus, quando eo ipso anno, quo hae sunt editae, postremum illud in Siciliam iter susceptum est? Nisi Diodorus aliam sequutus est narrationem: quod cur sumamus, nulla causa est. Epigramma hoc est:

*Αἰσχύλον ἦδε λέγει ταφῆ λίθος ἐνθάδε κεῖσθαι
τὸν μέγαν, οἰκείης τῆλ' ἀπὸ Κεκροπίης,
λευκὰ Γέλα Σικελοῖο παρ' ὕδατα. τίς φθόνος
ἀστῶν*

Θησεΐδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει;

Quod si qua est suspicio, propter Eumenides diem Aeschylus dictum esse, aut bis accusatus esse credendus erit, aut illud, de quo constat, iudicium etiam ad Eumenides spectavit. Bis accusatum esse, ab nullo auctore traditum est: quo probabilius videtur alterum, in quo non modo nihil est quod repugnet, sed omnia consentiant pulcerrime. Nam quum fieri non potuerit, quin insolens ille numerus Furiarum, statim ut visus est, omnes adverteret: quid mirum, si obtrectatores Aeschyli, quum

etiam victorem eum pronuciari viderent, apertam impietatem vociferantes, tumultum in theatro concitarunt; moniti autem, ut lege agerent, mox impietatis reum egerunt? Ita recte dixerit Aelianus, *ἐκρίνετο ἀσβεΐας ἐπὶ 28 τινὶ δράματι*. Quid porro, si, quo atrocius illud crimen esse videtur, duo capita fecerunt accusationis, primum de introductis novis diis, secundum, usitatum illud de evulgatis mysteriis? Atque hoc quidem caput non ex una tetralogia depromptum fuisse, vel illud indicio est, quod quinque fabulae ad eam rem probandam adhibitae sunt: ut accusatores isti, quum semel impietatis postulassent Aeschylum, ex omnibus eius tragoediis argumenta conquisivisse videantur. Quod si Eumenidum nullam mentionem fecerunt scriptores, qui iudicium illud commemorarunt, non est obscurum, praetermitti id propterea potuisse, quia tantummodo de patefactis mysteriis loquuntur. Sed satis de his. Illud adiuciam, quoniam in iudicio illo Cynegirus pro fratre intercessisse dicitur, suspectum mihi videri Aminiam illum, quem vitae scriptor et Suidas minorem fratrem Aeschyli fuisse narrant. De Cynegiro res certa est, de quo multa Valckenarius ad Herodot. VI. 114. p. 491. seq. Huius virtus ut in pugna Marathonia inclauerat, ita Aminias quidam, Pallenensis, teste Herodoto VIII. 84. 93. in pugna Salaminia praemium fortitudinis adeptus est. Confusis ob similitudinem, quae diversa erant, Aminias a quibusdam frater habitus est Aeschyli, ut ab Diodoro Siculo XI. 27. et Aeliano V. H. V. 19. Inde factum, nisi fallor, ut vitae scriptor et Suidas, utrosque vera dixisse rati, Aminiam putarent alterum Aeschyli fratrem, eumque minorem natu fuisse.

DE MYTHOLOGIA GRAECORVM ANTIQVISSIMA DISSERTATIO*).

Ex omnibus, quotquot hodie supersunt, Graecarum literarum monumentis nullum, mea sententia, memorabilius est, quam Theogonia Hesiodi. Quod carmen etsi nec magnitudine, nec splendore argumenti, rerumque aut

*) Edita est a. 1817. Quae hac dissertatione et ea, quae sequitur, scripta sunt, fuerunt qui vel ut lusum riderent, vel, si serio dicta essent, vituperarent. Iidem tamen postea ipsi aliquid nominum significationibus tribuerunt. Ex quo colligi potest, etiamsi in singulis non desit dubitandi materia, tamen summam eorum quae dixi aliquid veri continere. Ea est enim veri vis et virtus, ut ei etiam qui primo adversati sint, postremo vel dissimulantes cedant. Non infitior tamen, accidisse mihi in quibusdam partibus, quod solet iis, qui ab usitata via novae quaerendae semitae causa discedunt, ut varietate flexuosi callis invitante iusto longius progrediantur. Praeterea vero meminisse lectorem oportet, non paucas illarum fabularum, ut in iis quae ad Creuzerum scripsi indicatum est, non uno modo vel posse vel debere explicari. Caeterum quae me ut haec scriberem adduxit nominum cum rebus conspiratio, iam Pausaniam, nihil tale quum scribere inciperet suspicantem, in progressu operis ita advertit, ut alia, quam quae primo adpectu viderentur, istis fabularum involucris recondita esse intelligeret. Qua de re sic scribit VIII. 8, 2. *τούτοις Ἑλλήνων ἔγω*

dictionis varietate atque ornatu ad Homeri aliorumque clarorum poetarum scripta comparari potest, tamen aliam eamque ita propriam commendationem habet, ut ea caussa etiam anteferendum illis poematis esse videatur. Dico autem non reconditum quiddam et abstrusum, sed id, quod quum cuivis primum in mentem venire debeat, propterea neglectum est, quia parum fructuosum fore putabatur. Nam quis non ante omnia, unde acceperit Hesiodus narrationes illas de originibus deorum, et qua ratione, quove consilio de iis exposuerit, quaerendum censeat? At enim quod ad fontes attinet, ex quibus hausit ille, quum plerique hanc quaestionem non propriam Hesiodi carminis, sed communem universae Graecorum mythologiae esse opinarentur, seiunxerunt eam ab interpretatione Theogoniae. Quo factum est, ut alterum illud investigare, quomodo eas res narrasset Hesiodus, supervacuum putarint. Ad ipsam vero mythologiae Graecorum explanationem quum duplex via pateat, eam plerique omnes ingressi sunt, ut, quoniam ex orientis regionibus omnis ista doctrina derivata est, quidquid de Indorum, Phoenicum, Aegyptiorum, aliarumque gentium sapientia compertum habemus, ad Graecas fabulas applicarent. Vnde quanta perturbatio orta sit mythologiae, quantaque dissimillarum rerum permixtio atque confusio, satis inter omnes constat. Multo rectior, ut mihi videtur, altera via est, quae versatur in eo, ut exclusis, quae ab aliis gentibus probata fuerunt, illa, quoad fieri potest, persequamur, quae a Graecis ipsis sunt tradita. Quorum quum nihil habeamus, quod Homero Hesiodoque antiquius sit, ab his omnis ista ordianda videtur disputatio, praecipue

τοῖς λόγοις ἀρχόμενος μὲν τῆς συγγραφῆς, εὐθελὲς ἔνεμον πλείον, ἐς δὲ τὰ Ἀρκάδων προεληλυθῶς, πρόνοιαν περὶ αὐτῶν τοιάνδε ἐλάβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκέτ' ἐκ τοῦ εὐθέως λέγειν τοὺς λόγους, καὶ τὰ εἰρημένα οὖν ἐς τὸν Κρόνον σοφίαν εἶναι τινα εἰκαζον Ἑλλήνων.

autem ab Hesiodo, quod is non dispersim, neque obiter, ut Homerus fecit, sed ordine et de industria doctrinam illam exposuit. Quo autem modo ex Hesiodi Homerique carminibus enucleanda esset ista ratio mythologiae, plerosque omnes latuisse video: siquidem etiam Heynius, qui rectius quam alii de his rebus sentiebat, in commentatione de Hesiodi Theogonia ex illis duobus, quae in hoc genere ut maxime memorabilia, ita ad enodandam rem unice opportuna sunt, alterum modo obiter attingit, alterum, idque primum, plane praeterit. Et hoc quidem in eo est positum, quod nomina deorum omnium origine Graeca sunt, et a munere cuiusque dei atque officio petita. Nam ut nonnulla horum nominum, aut, si cui ita videbitur, omnia in oriente nata sint, at illud tamen apertum est, a Graecis ea Graeca facta, significatusque iis eos attributos esse, qui cum lingua Graeca convenirent. Vnde intelligitur, ex nominibus naturam et munia cognoscenda esse deorum. Nec deorum tantum, sed etiam heroum, omninoque rerum omnium, nominibus, quae propria vocantur, appellatarum. Quis enim non miretur, pleraque heroum, et qui deinceps ex iis procreati sunt, nomina ita cum factis eorum et rebus gestis convenire, ut non ante, quam quisque res illas gessisset, sed post imposita fuisse probabile sit? Illustre exemplum praebent ipsae res Troicae, in quibus qui inclaruere plerique (nam quare non omnes, non est obscurum) iis vocati sunt nominibus, quae poetas ex factis eorum commentos appareat. Hinc valde suspecta fides illarum historiarum, ut partim penitus fictae, partim aliquid veri fictis nominibus tegere videantur. Verum etsi difficillimum est, vera fabulosa temporis a fictis diiudicare, tamen, qui sobrie satis et caute in hac re procedet, aliqua certe, quibus insisteri possit, vestigia deprehendet.

Alterum, quod in explicanda Hesiodi Homerique mythologia maximum momentum habet, illud est, quod hi poetae ita fabulas istas referunt, ut eos sensum earum plane ignorasse appareat. Quod animadvertit quidem

Heynius, sed ut non tantum, quantum debebat, huic rei tribuerit. Nam quum bene intellexisset, utrumque poetam multa ex vetustioribus carminibus hausisse, admonendi erant, docendique, qui explanare fabulas instituerent, non esse quid Homerus aut Hesiodus sensisset investigandum, sed quid illi dicere voluissent, qui his auctores fuerunt. Sic redibitur quidem ad allegoricam interpretationem harum rerum, sed alio modo, quam qui merito ab recentioribus interpretibus explosus est. Exemplum afferam, quo nullum illustrius inveniri potest. Non immerito risit Lucianus notissimos illos in *Odyssæa* versus:

*τὸν δὲ μὲτ' εἰσενόησα βίην Ἡρακλεΐην,
εἰδῶλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.*

Refert Homerus accepta, mirabilia illa quidem atque incredibilia, sed credita tamen: unde pro simplicitate sua non est sollicitus, quomodo idem simul et apud inferos et apud superos degere possit. At qui haec invenit, perabsurdus fuisset, si commentus esset, quod fieri nequiret. Absit vero talis suspicio. Nam ille quem a gloria *Ἡρακλέα* appellavit, virtutem voluit intelligi viri fortis ac strenui: qui ubi moreretur, ipsum, ut mortalem, ad Orcum dixit descendere; virtutem autem, ut eam aeternam esse, senique expertem ostenderet, apud immortales Iuventæ consociavit. Qua fabula nihil profecto neque aptius potuit, neque splendidius inveniri. Huiusmodi vero plurima sunt apud Homerum, quorum nonnulla non sunt in omnium conspectu posita: ut quae in *Iliadis* libro secundo de sceptro Agamemnonis narrantur: quae ita sunt comparata, ut Homerus longe aliter omnia fuerit enarraturus, si intellectam habuisset mentem illius, a quo ista acceperat. Quem si reputamus Pelopi eiusque genti regnum Peloponnesi datum dicere, nec Tantalum mirabimur non esse mentionem factam, neque in his, quae non sunt ex more Homeri eo loco dicta, offendemus.

Haec igitur illorum, qui auctores fuerunt istarum narrationum, eruditio, Homeri autem Hesiodique earumdem rerum ignorantia, quid aliud, quam veluti nube⁴ dispulsa ad immensa temporum spatia prospectum aperit, quibus et emicuit in Graecia lux sapientiae, et clare fulsit, et paullatim rursus extincta est. Videmus rerum divinarum humanarumque scientiam ex Asia per Lyciam migrantem in Europam; videmus fabulosos poetas peregrinam doctrinam, monstruoso tumore orientis sive exutam, sive nondum indutam, quasi de integro Graeca specie procreantes; videmus poetas illos, quorum omnium vera nomina nominibus ab arte, qua clarebant, petitis obliterata sunt, diu in Thracia haerentes, raroque tandem etiam cum aliis Graeciae partibus commercio iunctos: qualis Pamphus, non ipse Atheniensis, Atheniensibus hymnos deorum fecit; videmus denique retrusam paullatim in mysteriorum secreta illam sapientum doctrinam vitiatam religionum perturbatione, corruptam incitia interpretum, obscuratam levitate amoeniora sectantium, adeo ut eam ne illi quidem intelligerent, qui hereditariam a prioribus poesin colentes, quum ingenii excellentia omnes praestinguerent, tanta illos oblivione merse- runt, ut ipsi sint primi auctores omnis eruditionis habiti. Nobilis est hanc in rem sententia Herodoti, qui etsi non recte, tamen, ut illo quidem aevo, admirabili perspicentia, lib. II. c. 53. ita de Homero et Hesiodo scribit: *οὗτοι δὲ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἑλλῆσι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμὰς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἶδρα αὐτῶν σημήναντες· οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον, ἐμοί γε δόκειν, ἐγένοντο τούτων.* Quem mirum est quosdam non vulgaris doctrinae viros hoc dicere opinatos esse, primos, qui versibus eas res exponerent, Homerum et Hesiodum fuisse: quod a mente eius alienissimum esse, perspicuum est. Hanc vero tam immensam praestantissimorum monumentorum iacturam aliqua saltem ex parte compensare poterimus investigandis, quaecumque supersunt eorum vestigiis: quibus diligenter collectis, recteque

sic Etymologus p. 215, 37. Ἡσιόδος δέ, ἀπὸ Βροτοῦ, τοῦ Αἰθέρος καὶ Ἡμέρας: quibus verbis divinae particula aurae mortali corpore inclusa declaratur.

Sequitur, quid Materia, et primum quidem sine coniuge, qui nondum erat ullus, genuerit. Creavit ea autem primo Οὐρανόν, Superum, a verbo ὄρειν, unde etiam ὄρος, dictum, quod caeli fornices, quos Ennius appellavit, ab extremo terrae circuita in altum curvari viderentur. Caelo creato crassior Materiae pars in eam speciem formata, quam Tellurem vocamus. Id antiquissimum illud carmen per extrema designavit, Οὔρεα, Montes, nominans, et Πόντον. Sed hoc postremum nomen non intellexit Hesiodus, quum exornandae rei causa πέλαγος μέγα οἴδηματι θῦον addidit. Πέλαγος enim, a verbo πελάζειν dictum, ut ab Latinis Venilia, mare notat: a qua origine etiam πελασγοί, advenae: de quorum sedibus qui quaerunt, propemodum idem agunt, ac si, quod ubique terrarum mercatores ac peregrinantes inveniuntur, hos certos certarum regionum populos esse sibi persuaderent. Igitur Πόντος, Profundanus, non mare est, quod nondum creatum, sed profunditas. Cognatum nomen cum verbo πιτνεῖν, servatumque in Latina lingua, fundus, sed paullum deflexo significatu. Atque demittere ad fundum maris ποτίζειν dicitur, non θαλασσοῦν, quod aliud est.

Caeli dehinc Terraeque progeniem enumerat Hesiodus, fideliter singulos eo ordine producens, quo sapientissime ab antiquo auctore dispositi fuerant. Vnde multo recentiores esse apparet Orphicos versus in fragm. VIII. in quibus hic ordo Titanum imperitissime est perturbatus. Primus igitur natus Ωκεανός, Celerivena, non ille a verbo νάειν, ut grammatici volunt, sed ab obsoleto ἔειν, ire, dictus, ut ab ὄρειν Οὐρανός. Aliud eius nomen, Ωγήν, ab ovo ductum, quod materiam, ut vitellum, in medio aluerit. Intelligitur autem Oceanus non quem postea ita dixere, sed vis aquarum, quae ingenti impetu

effusa universum orbem terrarum inundavit atque obruit. Quae quum resederat, ut hoc addam, tum demum maria, flumina, fontes apparuerunt. Inde Homerus:

ἐξ οὐπερ πάντες ποταμοί, καὶ πᾶσα θάλασσα,
καὶ πᾶσαι κρήναι, καὶ φρεῖατα μακρὰ νόουσι.

Effusionem illam aquarum comitata est ingens elementorum omnium perturbatio, ut disiecta, soluta, permixta, sursum deorsum, ultro citro ruerent, atque ferrentur, usque dum mutuo se ipsa coercedo turbas illas composuerunt. Hunc universae naturae tumultum fratres Oceani alii Titanes *) denotant, per paria, ut singuli singulis oppositi sunt, deinceps prodeuntes. Ac primo *Κοῖος* et *Κρίος*, Turbulus et Seingus. Et *Κρίον* quidem recte iam veteres interpretati sunt, inde dictum videntes, unde est verbum *κρίνειν*. In alterius nomine mirifice nugantur, quod ex verbo *κλείειν* ductum est, ut *κλοιός* a *κλείειν*. Desidunt autem turbida: unde ex eadem stirpe derivata sunt *κοινός* et *coenum*. Post hos videmus *ὑπερίονα* et *Ἰαπετόν*, Tollinem et Mersium, quorum prioris nomen a verbo *ἰέναι* factum; alterius apertum est. Dehinc *Θεῖα* et *Ρεῖα*, Ambulona et Fluonia, quarum meare commune est, sed propria sunt, alterius, manere inter meandum; alterius, diffluere ac dissipari. Has sequuntur, postea alia officia nactae, *Θέμις* et *Μνημοσύνη*, Statina et Moneta, quarum alterius est, fluxa statuere et firmare; alterius, quiescentia excitare et commovere. Vtriusque nomen apertum, modo alterum quis non a nomine *μνήμη*, sed a verbo *μνάσθαι* deductum meminerit, quod verbum cum affinis *μαίεσθαι*, *μένειν*, *μεμονέναι*, *μενοινᾶν*, a *μάειν* derivatum, communem habet nitendi notionem, quae est in Germanicis *streben* et *stemmen*. Postremae

*) Permira est, quam C. O. Müllerus in Diar. litt. Gotting. a. 1821. fol. 96. p. 958. ab Solgero acceptam profert Titanum fabulae explicationem, quae ipsi magis Hesiodica est visa.

sunt *Φοίβη* et *Τηθύς*, Februa et Alumnia, nominibus non obscuris. Earum altera purgatrix est, removens inutilia et noxia; altera nutrix, utilia et salutaria admovens. Claudit hoc agmen unus, isque etsi postremus in lucem editus, tamen ante caeteros nobilis. Is *Κρόνος*, Perficus, est, nomine vocatus cognato cum verbo *κραινειν*. Hic ultimus natu, quia denique motus illos composuit; et *ἀγκυλομήτης*, quia diuturnum hoc fuit et difficile opus. Vnde postea temporis significatio huic nomini, leviter mutato, accessit: neque enim *Κρόνος* a tempore, sed tempus a *Κρόνω*, quod cuncta perficeret, appellatum.

Excipiunt hos duae alii Caeli Terraeque generationes, Cyclopes et Centimani. Cyclopes male interpretatur Hesiodus. Sunt enim *Κύκλωπες* Volvuli, quos per caelum volutos auribus oculisque percipimus, tonitru, fulmen, fulguratio. Hinc nomina eorum, *Βρόντης*, Tonuus; *Στερόπης*, Praestinxius; *Ἄρης*, Fulgetrus. Centimanorum generatio primos conatus indicat animatas naturas procreandi: quae immanissimae fuerunt, luxuriante adhuc vi generatrice, necdum modum adhibere docta. Quoniam autem triplex omnino est enormitas, ingenii, virium, formae: tribus ea nominibus comprehensa, *Κόττος* dicta est, ab nomine *κότος*, Saevio, et *Βριάρεως*, Viriatus, et *Γύγης*, Membro *). De hac interpretatione fabulae si cogitavisset Bentleius ad Horat. Carm. II. 17, 14. non dubitanter formam postremi nominis *Γύγης*, quae notior librariis ab rege Lydiae, toties alteri substituta est, ut plane ineptam reiecisset.

Omnis Caeli Terraeque progenies *Τιτῆνες*, Tendonnes, appellati, non ab alia re, quam quod ultro citroque

*) Creuzeri obiectionibus motus vidi grandinem potius, et imbres, et nives significari, ut Centimanorum nomina esse debeant Ferius, Sulcius, Gravinus, cuius alterum nomen, *Αιγαίων*, Turbulus sit. Vide Epistolam ad Creuzerum de natura et ratione mythologiae Germanice scriptam p. 84. seq.

tendendo omnem rerum naturam pertentaverint. Mansit cognatum verbum, sed brevi prima syllaba, *τιταινειν*.

Tentamenta haec fuerant condendae rerum naturae, sed irrita, nondum iusto invento temperamento. Vnde exosus natos suos Vranus, ut quisque in lucem editus esset, rursum occuluisse dicitur. Ei rei finem imponere eius erat, qui *Κρόνος*, Perficus, vocatur. Itaque antiquus philosophus, ut conquiescisse caeterarum virium rudes impetus, solamque superstitem mansisse vim perfectricem indicaret, ab hoc parentem privatum esse generandi potestate dixit, verum non ita, ut, qui iam exstiturus esset novus rerum ordo, alium parentem haberet, (qui enim potuisset, quum ex iisdem viribus, ex quibus antea, sed apte temperatis, enasci deberet?) sed ut generandi officium a parente ad ipsam rerum creaturarum naturam transferretur. Hinc resectis patris genitalibus sanguinem Terra, semen Mare excepit. Ac Terra peperit *Εριννύας*, *Γίγαντας*, *νύμφας* *Μελίας*. Quae fabula iis perobscura videatur necesse est, qui Furias, et eos, de quibus postea fabulati sunt poetae Gigantes, intelligunt. Nymphas Melias autem ne veteres quidem, quid essent, perspexere. Antiquus ille cosmogoniae conditor quid senserit, et res ipsa, et nomina declarant. Vt certis et firmis legibus natura adstringeretur, fetus edi necesse erat non imperfectos, sed maturos; neque steriles, sed fecundos; neque aversantes se invicem, sed sociabiles. Haec quibus efficerentur triplices naturae vires, earum primas vocavit *Εριννύας*, Maturinas, a verbo *ἐλιννύειν*, mutata littera liquida; quod nomen postea ad cunctatricem vindictam sceleris translatum, materque Furiarum Nox esse perhibita; secundas *Γίγαντας* appellavit, Genitales, cuius nominis aperta origo est; tertias *Μελίας*, Cicurinas, dixit, ab ea radice, unde est verbum *μελίσσειν*. Semen autem Vrani, ab aquis, quia per humores omnis generatio fit, exceptum, creavit *Αφροδίτην*, Spumicitam, i. e. coitus appetentiam, latentem usque ad tempus pubertatis, unde appulisse dicitur *Κυθήροις*, Latebriis; deinde se prodentem, ex qua

HERM. OP. II.

M

re in *Κύπρω*, Pronia, nata fertur, quod nomen a vocabulo *κυφός* factum. Iam minus, opinor, mirum videbitur, Hesiodum v. 50. homines et Gigantes coniungere: quo loco non videtur dubium esse, quin hominum originem et generatores dicere voluerit. Indidem etiam in Homérico hymno Apollinis v. 336. de Titanibus scriptum est, *τῶν δὲ ἄνδρες τε θεοὶ τε*. Caeterum quem non advertat admirabilis harum de naturae primordiis narrationum consensus cum iis, quae hodie doctorum hominum industria de vicissitudinibus orbis huius comperta habemus, in quo nos senescente iam, medii inter duas ruinas, aeternitatem, serius ocius novis fluctibus perituram inani labore consecramur. Mihi quidem maior illa consensus videtur, quam ut narrationes istas nihil nisi commenta esse philosophorum putem. Immo ab illis eas acceptas credam, qui ipsi testes fuerint magnae alicuius conversionis, aliamque viderint orbis terrarum faciem, quam quoad nostri generis memoria pertingit. In qua re non videtur negligenda esse immanium belluarum commemoratio: quantae magnitudinis animalia fuisse umquam vix credibile foret, nisi erata hic illic ingentia ossa magni nos superficiem sepulcri, alium tegentis et maiorem naturae ordinem, incolere demonstravissent.

Revertor ad Hesiodum: apud quem quae v. 211 — 232. enumeratur, Noctis, et deinde Eridis propago, aperte ex pluribus est, iisque maximam partem recentioribus commentis petita: ut quod Parcae Noctis filiae dicuntur, de quibus aliter infra v. 904. Quare haec praetereo, praesertim quum nihil difficultatis habeant.

Pergit antiquus auctor cosmogoniae in Ponti progenie. Ac *Πόντος*, Profundanus, qui iam, ex quo profunda aquis repleta sunt, non solam profunditatem, sed simul etiam, quod ea continetur mare, significat, cum Terra coniuge primo procreat *Νηρέα*; Nefluum, i. e. fundum: qui et primus nata dicitur, quia quos fratres sororesque habet, nituntur ipso; et senex, quia semper immutabilis est; et verax, quia numquam fatiscit, quo facto

diffuerent aquae; et aequus, quia tranquillum est imum mare. Proximus ab hoc natus *Θαύμας*, Mirinus, quo prospectus significatur et per se admirabilis propter tam late patens maris aequor, et magis propter illa, quae nascuntur in eo. Tum *Φόρκυς*, Furcus, quo promontoria et quivis alii e mari exstantes scopuli indicantur. Inde Hesychius: *πόρκες, χάρακες*. Aliique Grammatici *φόρ-κυνα, λιμένα* interpretantur. Cognata nomina sunt *πόρ-κος, πόρκης, furca*. Sequitur *Κητώ*, Iacua, affinem cum verbo *κείσθαι* originem habens, quae latentia sub undis saxa, occultosque scopulos significat. Denique *Εύ-ροβίη*, Latipolla, quae est fluctuatio maris.

Quoniam Oceanus fons est omnium aquarum, huius filiarum una uxor data Nereo. Ea, propter opes, quae per mare afferuntur, *Δωρίς*, Donona, dicta, quinquaginta parit filias. Harum nomina praetereo, quod interpolata est ista enumeratio apud Hesiodum. Apertum est autem, undas intelligi, quibus a sua cuique potestate imposita nomina.

Thaumanti, sive Mirino, alia consociata Oceani filia, *Ἠλέκτρον*, Coruscia. Proprie nomen hoc expergiscientem notat, ex qua origine sunt etiam *ἠλέκτωρ* et *ἀλέκτωρ*. Sed quoniam coruscat mare, quum primum quasi expergiscit imminente tempestate fluctuatio, coruscandi significatus adhaesit. Huius filiae sunt *Ἴρις*, Sertia, quod ex septem coloribus conserta est. Huc pertinent Theogoniae versus 780 — 782. alieno loco positi, quorum hic sensus est, raro arcum caelestem conspici, quum tempestas est. Porro *Ἀρπυΐαι*, Rapae, quarum nomina *Ἀελλώ*, Voluta, et *Ἰκνυπέτη*, Celerivola: quae quid sint, omnibus apertum est.

Phorcus autem et Ceto quas genuerunt filias, quomodo interpretandae sint, magis reconditum est. Est ea duplex generatio. Primae sunt *Γραιαί*, Albuncae: quatum nomen proprie canas significare, vestigium ostendit in Germanica lingua conservatum, *grau*. Eae sunt undae,

quae littori illisae spumas agunt. Nam circa scopulos
 12 maxime vel prominentes vel latentes aestuat mare. Recedunt eae autem et veniunt. Inde altera, quod aufert, quae sunt in vado, *Πεφρηδῶ*, Auferona, dicta; altera autem a verbo ἵω, *Ἐνωῶ*, Inundona. A cuius rei similitudine etiam in bello dicitur *Ἐνωῶ*, et Mars *Ἐννάλιος*. Fortasse non diversae ab his erant, quas Augustinus aliter interpretatus est, Abeona et Adeona. Romani Veniliam et Salaciam appellabant. Secunda generatio complectitur Gorgones, quae quum dicuntur *πέρην Ὠκεανοῖο* habitare, nihil id aliud est, quam esse eas in medio mari. Nam Oceanus, deposita diluvii significatione, mare magnum est. Ex hac re, et ex ipsa natura Gorgonum, quae ipsae quoque undae sunt, apparet, quare Graecae earum *προφύλακες* ab aliis dictae sint *). Appellatae autem illae *Γοργόνες*, Torvinae, quod magnaesunt, ipsoque adpectu terrent. Harum tria sunt nomina, a triplici natura: *Σθεινώ*, Valeria, a vi; *Ἐνρῶλή*, Lativolva, a magnitudine; *Μίδουσα*, Guberna, ab eo quod undarum cursum regit. Hinc intelligitur, cur haec mortalis, illae immortales dicantur. Nam et vis undarum semper manet eadem, et fluctuatio: cursus autem mutatur, ventis, annive tempestatibus mutatis. Medusam *Περσεύς*, Penetrius, capite truncasse dicitur. Quod quid aliud est, quam audacem quempiam iter tentasse per adversum cursum undarum? Vnde prosiluisse narratur *Χρυσάωρ*, Auripeto, qui est lucri cupidus mercator, et *Πήγασος*, Pagulus, a verbo

*) De Graecis, quarum tertia Dino, quum refluxus in fluxum vel contra revolvitur, v. Misc. Obs. nov. I. 3. p. 75. ss. Quae quum, ut apud Aeschylum Prom. 794. unum communem oculum dentemque habere dicuntur, est id, quum altera conspicitur, non conspicit alteram; quum altera mordet, non mordere alteram. Obscurius et, ut videtur, ex non satis intellectis antiquorum mythologorum verbis illa addita sunt, ἄς οὐθ' ἥλιος προσδέχεται ἀκτίσιν, οὐτε νύκτερος μήνη ποτέ. Quibus significari videtur, fluxum et refluxum nec diei nec noctis proprium esse, quia, quum non ipso VI. horarum spatio absolvatur, non servat vices dierum.

πηγνύειν dictus, quod est pangere: qui est navis: unde etiam equus, usitata translatione, vocatur, ut apud Plautum in *Rudente*:

*nempe equo ligneo per vias caeruleas
estis vectae* *).

Chrysaor iunctus dicitur *Καλλιρόη*, Pulcrifluae, Oceani filiae: i. e. fausta navigatione traiecit mare magnum. Inde natus *Γηρονοεύς*, Fabulo, qui, ut nomen declarat, mendaces fabulas significat mercatorum: quare triceps. Sed insequuti temporis tanta fuit levitas, ut, qui ridendis his fabulis inventus esset, ipse credulae ignorantiae materiam fabularum praeberit. Occidit illum *βίη Ἡρακλειή*, virtus Poplicluti, et quidem *περιρρύτω εἰν Ἐρυνθείη*, in insula vel peninsula Rubellia, (quam ubi terrarum quaerere, quibus lubet, possint, infra apparebit) interfecto cane Orthro et bubulco Eurytione, de quibus mox.

Sequitur alia Phorci et Cetus progenies, *Ἐχιδνα*, Serpens, in specu edita, sedem habens sub terra in montibus Turgentinis, qui a verbo *αἴρεσθαι* *Ἄριμοι* dicti, dimidiata mulier, dimidiata serpens, i. e. ex parte forma spectabili, ex parte autem timenda. Haec omnia nemo non videt eo conspirare, ut terrae motus, tortuoso cursu procedens, et in capite lucidis flammis conspicuus, intelligi debeat. Maritus Echidnae datus *Τυφάων*, Vaporinus, quem Hesiodus ipse ventum appellat. Ex eo coniugio natus *Ἐριγός*, Erigus, quem apparet montem esse ignivomum. Is canis est Geryonae, quod est custos, quo tutae sunt fabulae mercatorum, ne alii eodem divitias quaesitum eant. Ei paullo ante adiungebatur bubulcus *Ἐυρυτίων*, Latipoenus, quo late diffusa vastatio designatur. Locus autem, ubi haec omnia sunt, *Ἐρυνθεία*, Rubellia, a rubentibus flammis, dicitur. Porro Echidna

*) Quin Germanicum navis nomen *schiff* ipsum est Graecum *ἵππος*.

parit *Κέρβερον*, Hiscium, qui transpositis litteris pro *χε-μερὸς* dictus videtur. Eum craterem seu fauces intelligi debere, unde erumpunt ignes, eo confirmatur, quod canis Orci, et *χαλκεόφωνος* dicitur. Idem, quod montes ignivomi plerumque non uno in loco, sed in multis hiscunt, ignesque eiiciunt, *πεντηκοντακάρηνος* vocatur. Deinde ex iisdem parentibus nascitur *Ἴδρη Λερναίη*, Bullia Palustra. Notum est enim, quassatam infernis ignibus terram saepe in paludem commutari, aquis ubique ebullientibus. Videtur autem etiam nomen *Λερναίη* a *λερινός*, cui cognatum *λειριόεις*, quod mollem notat, derivatum: unde *λέρνη* est palus, atque inde proverbium *λέρνη κακῶν*. Hydram interemisse dicitur Hercules, qui indicatum quid sit, cum *Ἰολάφ*, Comproplino, cui nomen a verbis *ἰέναι* et *λαός*. Id est, strenuo congregati populi labore exsiccata esse loca ista. Tum *Χίμαιραν*, Torrentinam, parit Echidna, dictam ab nomine *χείμαρρος*. Significat enim profluentia liquefacta saxa atque arenas, quam hodie *lavam* vocant: unde et ignem spirare dicitur, et tria capita habere, sive aptius, ut apud Homerum,

14 *πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,*

i. e. antrorsum vastatrix, in medio torrens, in postrema parte draco, alte flammante cauda. Sedem eius indicatam putant ab Homero *Iliad. XVI. 328.* quum nutritam ab Amisodaro *) dicit, (disertius filiam huius vocat *Paelaephatus*, et ex eo *Apostolius*) quem *Eustathius* ex veteribus scholiis *Cariae* regem, *Aelianus* autem et *Eudocia Lyciae* fuisse volunt. At hoc quoque montis ignivomi nomen est, *Perpetivastius*, factum, nisi fallor, a verbis *δέρω* et *μίω*, i. e. *findo*, ex quo *μίτος*, *μίνυθα*, *μίκρος*, *μισθός*, et oppidum *Ἄμισος*. Occidit *Chimae-ram*, *Pegaso*, i. e. navi missus illuc, *Βελλεροφόντης*,

*) Simile nomen *Pixodarus*, de quo v. not. ad *Strabon. Tom. V. p. 617.*

Aspricida: ἔλληρα enim grammatici ἐχθρά, πολέμια, ἄδικα interpretantur, dicta a verbo ἔλλειν. Itaque hic est fabulae sensus: exsulem navi missum ad locum, ubi devolutis flammis absumeretur, praeter expectationem salvum mansisse.

Chimaera ex Orthro peperit Φίνα, sive Σφίγγα, Anginam: quod est, aestu et fumo suffocatos esse homines; deinde leonem Νεμειαῖον, Pabulinum, quo pestis significatur, ex malis terrae motum sequentis nata. Postea ad Nemeam res omnis et Tretum atque Apesantem translata, vero fortasse leone ansam praebente, cuius antrum adhuc Pausaniae aevo, ut ipse refert II. 15, 2. monstrabatur.

Denique Ceto etiam illum draconem dicitur Phorco peperisse, qui poma Hesperidum custodiebat: quod ipsum de monte ignivomo, et quidem, ut videtur, de Vesuvio intelligendum esse, in promptu est.

Enumeratur deinde Oceani propago. Ei Tethys, ut, quae in terra sunt, nutrentur, Fluvios peperit, quorum aliquot celebria nomina ipse, ut videtur, de suo adiecit Hesiodus. Porro de ter mille filiabus Oceani aliquot nominatim afferuntur, a vetusto conditore cosmogoniae acceptae. Eae nymphae fontes denotant, nominibus a natura cuiusque ductis, in quorum explicatione immorari nihil attinet. Quaedam earum infra memorandae erunt.

Ex reliquis Titanibus Ὑπερίων, Tollo, et Θεία, 15 Ambulona, creasse dicuntur Ἥλιον, Σελήνην, et Ἡώ. Huius fabulae, quod ad Solem et Lunam attinet, facilis explicatio est. Solis nomen a volvendo ductum videtur, ut verba ἄελλα et ἔλλειν ostendunt: Lunae σέλας nomen fecit. Difficilior Ἡώς videatur necesse est, quae si proprie Auroram significasset, mirum profecto foret, disiunctam ab Sole, et ut singularem eorundem parentum filiam commemoratam esse. At enim a verbo ἄεον derivatum nomen Auram significabat: quam recte illis parentibus

ortam perhiberi, apertum est. Nec dubitare sinit ipsius progenies, Venti, et, de quibus infra, Memnon atque Emathion.

Κριός, Scingus, et Nerei filia *Εὐρουβίη*, Latipolla, genuerunt *Ἀστραῖον*, *Πάλλαντα*, *Πέρσην*. Pertinent haec omnia ad sidera caelestia. Quae quod ex mari prodire viderentur, mater eorum magna vis maris esse dicta est; quod autem separata et peculiari corpore praedita inde exsurgerent, pater datus est Crius, vis separatrix. Nominata est ea progenies tribus nominibus: *Ἀστραῖος*, Pendulus, ex eadem origine, unde *ἀστήρ* et *ἄστρον*, a verbo *σπηρίζεσθαι*; *Πάλλας*, Rotulus, quae est caeli circum axem suum rotatio; denique *Πέρσης*, Trameus, pariter ut Medusae interfector Perseus, a verbo *πέριρειν*, pro quo *περᾶν* usitatum, dictus: hic autem zodiacus est, quem sol permeat. Atque haec ita esse, uti dixi, ex iis clarum est, quae de horum progenie referuntur.

Astraeo quidem quum *Ἥως*, Aura, Ventos peperisse dicitur, tempestates ex siderum certorum ortu pendentes indicantur. Additi duo versus sunt apud Hesiodum:

τοὺς δὲ μέτ' ἀστέρα τίκτεν Ἐωσφόρον
Ἥριγένεια,
 ἄστρο τε λαμπετόωντα, τὰ τ' οὐρανὸς ἔσπε-
 φάνωται.

qui, ut ipse eorum nexus cum praecedentibus prodere videtur, aliam, eamque recentiore fabulam continent. Nam hic *Ἥως* Auroram significat, et propterea, quod ab oriente oriri sidera videntur, mater horum esse dicitur.

- 16 Sequitur maxima natu Oceanine, *Στύξ*, Rigua. Eius nomen a verbo *στυεῖν* derivatum concretas frigore in oris borealibus aquas significare, satis arguere videtur distincta descriptio, quae est in Theogonia a v. 775. Ei maritus datus *Πάλλας*, Rotulus, quod caeli circum axem suum rotatione stato tempore bruma redit. Nati horum sunt *Ζῆλος*, Aemulatio, quod alluentes glaciem undae

ipsae quoque congelantur; *Νίκη*, Victoria, quod victae frigore stant; *Κράτος*, Robur, a duritie; *Βίη*, Vis, quod frangunt, quidquid in eas illiditur, vel in quod ipsae feruntur.

Dehinc *Φοίβης*, Februae, et *Κοίου*, Turbuli, coniugium explicatur. Hi, quoniam purgandis turbidis bruta et inertia ab agitabilibus et vitalibus segregantur, residente crassiore materia, supernatante autem subtiliore, *Αητώ* dicuntur procreasse, *Σόπιτιαν*, et *Άστεριήν*, Actutam. Est autem *Αητώ* a verbo *λάειν* vocata, quod convolvendi conglobandique significationem videtur habuisse, unde *λαῖς*, *λαός*, *λήθειν*, et alia. *Άστεριή* autem eandem habet originem, quam supra in *Astraeo* indicavimus. Itaque *Αητώ* quietem notat: unde *κνανόπεπλος*, et omnibus grata ac suavis dicitur; *Άστεριή* autem est, quam Graeci *ένέργειαν* appellant, cui rei Latini non habent satis aptum nomen.

Hanc dicitur in amplam domum suam *Πέρσης*, *Trameus*, deduxisse, ex eaque suscepisse *Έκάτην*, *Volumniam*, cuius nomen quid significet, ex verbis *έκών* et *έκνυτι* cognoscitur. Eius fabulae haec sententia est, ex agendi studio sollertiaque, addicentibus signis caelestibus, prosperum eventum prodire. Nam *Hecate*, cuius plurima *Hesiodus* officia enumerat, hoc nacta est munus, ut nihil, nisi ipsius permissu, recte geri possit. Quae cur triformis, cur triviorum praeses, cur cum *Diana* confusa, et quae sunt alia huiusmodi, non est huius loci accuratius exponere.

Sequuntur *Ψεία*, *Fluonia*, et *Κρόνος*, *Perficus*. Nam perfici nihil potest, quod non fluxum et mutabile sit. His parentibus creata rerum naturae perfectio tribus filiabus, totidemque filiis significatur. Filiae vitae cultum eum, qui maxime necessarius est; filii spatia, quae sedem hominum terram circumdant, eorumque spatiorum proprias condiciones designant. Maxima natu est *Ίστίη*, *Vesta* sive *Stata* mater, quae domus est et focus, omnis ¹⁷ humani cultus principium. Hanc sequitur *Δημήτηρ*, *La-*

tinis a creando Ceres dicta, quae est victus, quem terra praebet: in quo proximus a certa sede domicilii cernitur vitae excolendae gradus. Tertia est *Ἡρη*, Populonia, quam Empedocles et caeteri veteres aeris regionem inferiorem esse putarunt. At et nomen eius, quod ab ea radice est, unde *ἀραρεῖν* et *ἀρηρέναι*, servatum in Germanico *heer*, et nomen *Ἡρακλῆς*, et coniugium cum Iove, et perpetuae cum eo rixae, et impeditus partus Latonae, et profectio in extremas terrarum oras ad Tethyn Oceano reconciliandam, et certamen cum Diana, de quo quae recte dicta fuerant in Iliadis lib. XX. inepte reficta sunt in lib. XXI. non sinunt dubitare, quin, qui tertius gradus est perficiendi cultus, communitatem debeamus vitae socialis intelligere. Ad eumque modum explicanda erit fabula, quae in principio lib. XV. Iliadis narratur. Fratres harum sunt *Αἰδης*, Nelucus, quo nomine intelliguntur loca infra terram abdita; *Ποσειδάων*, Neptunus, qui mare notat, quod terram cingit: ex quo *Γαμήχοος*, Telluricinx. *Ποσειδάων* ille, sive *Ποσειδᾶν*, de quo nomine mira comminiscuntur grammatici, a verbis *πόσις* vel *ποτὸν* et *εἶδεσθαι* dictus, quod potilis videtur, quum tamen propter salsitudinem bibi nequeat. Ab eadem re ab Romanis Neptunus, quasi Nepotunus, vocatur. Ultimus est *Ζεὺς*, Fervius, qui loca tenens ea, quae supra terram sunt, fervorem animabilem notat, quod caelestis calor fervere omnia et vigere facit. Et quoniam ibidem etiam tempestates concitantur, fulmen ei ac tonitru tributum. Quae attexta hic est ab Hesiodo fabula de Saturno natos suos devorante, de ea infra dicitur.

Antea enim commemorandi sunt ultimi Titanum, *Ἰαπετός*, Mersius, et *Κλυμένη*, Cluentia, filia Oceani. Hi quattuor genere filios, Atlantem, Menoetium, Prometheus, Epimetheum. Non est obscurum, pertinere haec ad navigantes, qui in mare fama modo cognitum delati, confracta navi, ignoto in littore eiectiones fuerint. Alius fortiter omnia mala sustinuit, qui est *Ἄτλας*, Sufferus, caelum sustinere dictus, quod in extremis oris terram con-

tingere cava caeli videntur; alius, gloriosus antea, in un-18
dis periit, qui est *Μενοίτιος*, Petiletus. Terra potitis,
alius sollertia sua, quae ad vitam sustentandam opus es-
sent, paravit, quem *Προμηθεΐα*, Prospicem, esse appa-
ret; alium, inertem, nihil nisi navigationis susceptae poe-
nituit: isque *Ἐπιμηθεύς* est, Poenituus. De Prometheo
plures apud Hesiodum fabulae coniunctae videntur. An-
tiquissima haud dubie est, quae continetur v. 521—531.
Ea quum caussam nullam memoret, quare vincus fuerit
Prometheus, sed simpliciter liberatum eum ab Hercule,
interfecta, quae cor ei exedebat, aquila, dicat, nihil
aliud innuit, quam curis propter interclusam spem red-
eundi contabescentem, quum alii strenue superatis pericu-
lis ad ea loca appulissent, ex malis servatum esse. Re-
centior quaedam fabula vincula poenam esse voluit. Ea
rem sic narrabat. Naufragi in locum delati, qui non cun-
ctos alere posset, partim perituri erant: id enim, oppor-
tune indicium praebente scholiasta, his verbis v. 535.
indicatum est:

*καὶ γὰρ ὄτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοὶ τ' ἄνθρωποι
Μηκώνῃ,*

i. e. quum de diuturnitate vivendi certarent: qui locus pro-
pter allegoricam deorum et hominum appellationem valde
memorabilis est. Ibi igitur sollers iste quum defraudasset
reliquos, cognito dolo, exclusus ab illis est a commu-
nionem vitae, ignique ei interdictum. Itaque quum ipse
ignis excitandi viam reperisset, qui fons habetur rerum ad
vitam necessariorum, tamen poenas fraudis dedit uxoris
improbo ingenio.

Revertimur ad Saturnios. Vt antea condendae re-
rum naturae, ita nunc perficiendae multa fuere irrita ten-
tamenta. Itaque ut Vranus filios suos, simulatque nati
essent, rursus abscondebatur, ita *Κρόνος*, sive Perficus,
quos genuisset, deinceps devorasse dicitur. Sed qui no-
vissimus natus est, Fervius, in quo, quod non mirum,
semper mentem cum vi cuncta animante confusam memi-

nisse debemus, eum callide invento dolo Caelum ac Terra *Λύκτον*, Crepuscam, in *Κρήτην*, Temperiam, in montem *Αιγαῖον*, Salium, miserunt, ubi clam nutritus est. 19 Id est, vis, quae fervere omnia et vigescere facit, diu sub ambigua luce latuit in regione apte ad efflorescendum temperata, et quidem in monte subterraneis ignibus tremebundo. Tandem, quum adulta prorupisset, Perficus iste etiam reliquas vires, quas occuluerat, in lucem remittere coactus est: qui quem primum eiecit, supposititium Fervium, eum genuinus *Πυθοῖ*, Puteolae, *γυάλοις ὑπὸ Παρρησοῖο*, in cavernis Aggeri, statuit: i. e. fervor non genuinus putrescit, alia desuper materia aggesta. Sed non ante penitus perfrui imperio potuit Fervius, quam plane debellatis Titanibus, exutoque potestate sua Perfico. Quod bellum nihil aliud esse, quam ingentem terrae motum, quo denuo proruperant aegre domitae efferae vires naturae, apertissimum est. Eo in conflictu quod territae etiam immanissimae belluae ex latebris suis in conspectum prodire visae, Centimanos Fervius ad auxilium vocasse dicitur. Ita superati Titanes, Centimanique iis custodes additi: sed *Βριάρεφ*, Viriato, coniux data *Κυμοπόλεια*, Vndicolona. Id est, belluae se in latebras suas receperunt, vastissimisque earum mare datum est habitandum. Tunc *Τυφωεύς*, Vaporinus, ex Terra natus, restincti incendii vapore adhuc superante.

Iuppiter igitur, sive Fervius, potitus regno, primo uxorem sibi iunxit *Μῆτιν*, Consam, quae non solum filiam ex eo concepit, sed conceptura erat etiam filium, magna exsuperaturum ferocia. Id est, animi sollertiam, semel fervore correptam, artibus inventis, nihil non fuisse tentaturam. Vnde eam gravidam ventre suo condidit, Fervius.

Inde uxorem duxit *Θέμιν*, Statinam, ex qua *Ἔρας*, Tutilinas, suscepit, *Εὐνομίην*, *Δικην*, *Εἰρήνην*, Aequitatem, Iustitiam, Pacem. Eas a tuendo dictas, Hesiodus ipse testatur. Deinde *Μοίρας*, Tribunas, *Κλωθώ*, *Λάχαισιν*, *Ἄτροπον*, Neiam, Sortiam, Nevortam. Quorum rerum ratio aperta.

Porro *Εὐρυνόμη*, Latipasca, filia Oceani, *Χάρι-
ριτας*, Gratias ei peperit, *Ἀγλαΐην*, *Εὐφροσύνην*,
Θαλίην, Splenduum, Hilariam, Floram: quo significatur
navigantium commerciiis parta opulentia.

Deinde ex Cerere *Φερσεφόνην*, Semoniam, suscepit,²⁰
quae semen significat, quod segeti affert interitum. Id
quoniam terra conditur, *Ἄιδης*, Nelucus, rapuisse dici-
tur Semoniam, volente Fervio. Quam mater quum requi-
reret, intercedente patre pacti sunt, ut tertiam partem an-
ni Semonia infra terram esset, reliquas duas autem apud
superos: quam fabulam, cuius sensus perspicuus est, non
intellectam multis enarrat is, qui Homericum hymnum in
Cererem fecit. Ab Latinis Proserpina dicta, quod pro-
serpit e terra semen.

Ex Moneta, quae Graecis *Μημοσύνη* est, inven-
trices artium *Μούσας* genuit Fervius, quas Romani a
carminando Camenas vocarunt: in qua fabula nihil ob-
scuri est.

Λητώ autem, Sopotia, geminos ei peperit, *Ἀπόλ-
λωνα*, Necinum, in insula *Δήλω*, Manifesta, et *Ἄρτε-
μιν*, Sospitam, in *Ὀρτυγίη*, Emersia. Nam quiescente
fervore vitali mors consequitur. Ea vero biformis est,
mortali natura manifesto pereunte, incolumi autem emer-
gente immortalis. Itaque Apollo et Diana mortem signi-
ficant: unde arcus et sagittae, et dea venatrix. De Apol-
line luculentissimum testimonium exstat Iliad. XXIV. 758.
seq. de ambobus Odyss. XV. 409. seqq. Morientes autem
quoniam futura praesagire creduntur, Necinus deus est
fatidicus: inde ei poesis et ars musica, comitesque Musae
ipsae datae. Idem postea *Παιάν*, Icilius, vocatus, quod,
quos feriret, vitae molestiis liberarentur. Sospita vero
mulieres dicta interimere, detorta aliquantum vera fabulae
interpretatione, fortasse quod mulieres non, ut viri saepe,
ex vulneribus, sed incolumi plerumque corpore moriun-
tur. Eadem aliquanto post etiam puerperio praefecta, ut
matrum prolisque incolumitati prospiceret.

Postremo stabili connubio Fervius sibi iunxit *Ἥρην*, Populonium, ex qua *Ἥβη*, Iuventa, *Ἄρης*, qui Romanis Mavors, fortasse a malo avertendo, et *Εἰλείθυια*, Venilia, quam Romani Lucinam dicunt, nati. Nam fervor vitalis, isque mente et consilio praeditus, et ut adolescant homines, facit, et ut pleno robore fruantur, et ut genus suum rite propagent.

- 21 Postea Fervius, quum *Μῆτιν*, Consam, quae grava ex ipso fuerat, devoravisset, ex capite suo enixus est *Ἀθήνην*, Nelactam, dictam ab eo, quod lacte non esset nutrita. Nam quae per hanc significatur artes domesticae, forenses, bellicae, virilis ingenii sollertia repertae, et fere virorum propriae sunt. Quae quod non sine multa cogitatione inventae, *Τριτογένεια* illa, Tortigena, dicitur. Similiter etiam *Ἥρη*, Populonia, sine marito partum edidit, qui vocatus est *Ἥφαιστος*, a verbis *ἄπτειν* et *ἄιστος*, quod ignem ex occulto excitet. Is autem artes ignobiliores et sordidiores indicat: unde Latinis a vulgo Vulcanus dictus. Hinc claudus, propterea a Fervio e caelo delectus in *Ἀἴμνον*, Capuam, a concepto igne appellatam.

Neptunus autem ex *Ἀμφιτρίτῃ*, Amfractua, suscipit *Τρίτωνα*, Tortunum, quae res plana est. Mavorti vero Spumicita, sive *Ἀφροδίτη*, *Φόβον* et *Δείμον*, Terrorem et Timorem, postea *Ἀρμονίαν*, Faventiam, parit; quo non obscurum est, violentos cum captivis mulieribus concubitus, et consequutam inde reconciliationem designari.

Porro Fervio *Μαίη*, Quaesia, Atlantis, i. e. Sufferi filia, *Ἐρμῆν*, Mercurium, peperit, quod quaerendis multo labore opibus commercia iuncta. *Κάδμος* autem et *Ἀρμονία*, i. e. Instruus et Faventia, praeter alias filiam habuere *Σεμέλην*, Solsequam, quae a verbis *σέβειν* et *ἔλη* appellata, vitem significat. Ex ea Fervius filium genuit *Διώνυσον*, Torculum, cuius nomen a praepositione *διὰ* et radice ea, unde *ὄνυξ*, ductum videtur; unde

apud Homerum semper longam esse secundam syllabam Herodianus apud Etymol. p. 280, 6. observat, spurium, ut videtur, iudicans versum in Odyss. XI. 325. *Νύειν* autem nutandi, et deorsum vergendi significationem habuit, unde *νεύειν* factum. Indidem *νύσσειν*, proprie deorsum feriendo pulsare, et *ὄνυξ*, ungula. Hinc *Διώ-νυσος* proprie exculcatum significat.

Vulcano uxor data una ex Gratiis. *Ἀγλαΐη*, Splendua; Torculo *Ἀριάδνη*, Roborina, filia *Μίνωος*, Manti, qui a verbo *μίμνειν* dictus: roborantur enim vina vetustate; *Ἡρακλεΐ*, Poplicluto, *Ἀμφιτρούωνος* et *Ἀλκμνήνης*, i. e. Amtrui et Opitulanae, sed simul etiam Fervii filio, Iuventa, de qua re supra dictum. Nam ille eo inter²² homines inclaruit, quod quoquo multum migrando venisset, nullam opitulandi opportunitatem praetermittebat.

Soli deinde Oceani filia *Περσηΐς*, Tramea, *Κίρκην* et *Αἰήτην*, Circam et Tellurinum peperit; quo significatur in longinquo ad occidentem mari duplex navigatio, una frustra in orbem facta, altera ad regionem frugiferam delata. Hinc Tellurinus ex Oceani filia *Ἰδυΐα*, Gnara, *Μήδειαν*, Prudentinam, suscepisse dicitur, quod, via cognita, rerum utilium scientiam e dissitis regionibus petere didicerunt.

Ceres cur ex *Ἰασίφ*, Spontano, *Πλοῦτον*, sive Ditem, in fertilibus agris *Κρήτης*, Temperiae peperisse dicatur, in promptu est.

Cadmi et Harmoniae progeniem non eo, quo conveniebat ordine, Hesiodus alique enumerant. Nam Instruo, i. e. cultori vineae, ex Faventia, quae hic ad annum coquendo vino aptum translata est, prima nascitur *Σεμέλη*, Solsequa, quae est vitis; secunda *Ἀρανή*, Strenua, quae uvarum legendarum exprimentarumque laborem significat, tertia *Ἰνώ*, Vacuna, quae est hauriendi diffundendique vini opera; quarta *Ἄντρον*, Sollertina, quae est condendi vini scientia: unde *Ἀρισταῖος*, Optumanus, ei maritus contigit; quintus denique filius *Πολύ-*

δαρος, Multifrux. Hi nati *εϋστεφάνω ἐνὶ Θήβῃ*, flo-
rente in Cultua, quo nomine vinetum designatur, di-
ctum ita a verbo *θήπειν*, unde *θάμβος*, *θάπτειν*,
θωπεύειν.

Ἦως autem, Aura, ex *Τιδώνω*, Nutricio, quem
rapuit, quo humores ex terra enascentes intelligi apparet,
Μέμνονα et *Ἡμαθίωνα* peperit, i. e. Manturnum, re-
gem Aethiopum, quod in calidioribus terrarum oris diu-
turnae regnant pluviae; et Eluum, imbrem, qui rapida
vi aquarum auferens omnia, solum arena obducit. Eadem
ex *Κεφάλω*, Capitone, *Φαέθοντα*, Fulsium, peperit.
Is vero auroram significat, quod radii ex capite orituri
solis in auris rubescunt: quorum fulgore quod interdum
omnia conflagrare videntur, fabula orta est de curru solis
imperite recto. Idem Veneris templo custos additus, quod
aurora amplexus amantium dirimit.

Aeetae sive Tellurini filiam Medeam, i. e. Prudenti-
nam, *Ἰάσων*, Meditrinus, filius *Αἰσωνος*, Opportunii, a
23 *Πελία*, Pellone, eiectus ex *Ἰωλκῶ*, Sulcimedea, domum
duxit, filiumque ex ea suscepit *Μήδειον*, Prudentinum,
quem educavit *Χείρων Φιλυρίδης*, Manicatus, filius Li-
brinae. Apertum est, indicari opportune repertum, qui
frugum penuria stimulante ab longinquis regionibus auxi-
lium petitum iret: unde tauros aratro iungere doctus,
omnique instructus agri colendi scientia, domum reversus
est, arte, quam didicerat, sterilitati agrorum remedium
allaturus: quam artem acceperunt inde posterius eius, edu-
cati in faciendo opere rustico.

Brevius iusto Phoci et Achillis origo ab Hesiodo
commemorata est. Ea haec est. *Αίγινα*, Quassatia, ex
Fervio, omnis consilii auctore, peperit *Αἰάκον*, Mali-
vortum, a vocibus *αἶ* et *ἄκος* vocatum, cuius ex *Ψαμά-
θη*, Arenia, filius fuit *Φῶκος*, Igninus. Eidem duos
alios peperit *Ἐνδηΐς*, Ruinia, *Πηλέα*, Pulsantium, et
Τελαμῶνα, Sustentanum. Alteri horum, *Θέτις*, Tran-
quillina, coniux; alteri *Περίβοια* sive *Ἐρίβοια*, Bubu-

lina: quarum ex illa *Ἀχιλλεύς*, Molestinus, ex hac *Αἴας*, Vulturinus nati. Fabulae hoc argumentum est. Insula terrae motu vastata superstites consilium de effugienda pernicie inire coegit. Alii igne in littore accenso signum dedere navigantibus; alii ex reliquiis ruinarum navem construxerunt, quam in altum delati remis in tranquillo mari vix multo labore promoverunt; velis autem ex corio bubulo expansis, commodius navigarunt. Nomen *τελαμών*, a verbo *τέλλειν* ductum, quod propriam habet tollendi significationem, quodlibet sustentaculum notat: unde hic de malo, in quo vela suspensa sunt, intelligendum. Sic Latini telamones, quos Graeci *ἄτλαντας*, vocabant. *Αἴας* autem velificatio est, a motu et agitatione, unde *αἰσσειν* est, nomine imposito. Plura, quae hanc fabulae interpretationem confirment, Phoci progenies suppeditare poterit.

Ἀγχιση, Parilino, ex Venere natus *Αινείας*, Morigeranus, in monte *Ἰδη*, Gnario *), masculae Veneris inter conscios libidinem indicans. Nam ne quis connubium cum parilis sortis coniuge laudari putet, et Veneris commemoratio obstat, et quae de poena Anchisae narrantur, de quibus videndus Meziriacus ad Ovid. Her. vol. II. p. 143. seqq.

Denique *Ὀδυσσεύς*, Indignatus, ex Circa, quae est²⁴ diuturna in mari iactatio, *Ἀγριον* et *Λατῖνον*, Agrestem et Streperum, genuit, qui *Τυρσηνοῖς*, Turrinis, imperitarunt. Haec apparet in mores nautarum, diuturna navigatione efferatorum, dicta esse, qui a navibus, in quibus degunt, *Τυρσηνοὶ* vocati. Nomen *Λατῖνος* cum verbo *λατίσσειν* cognatum videtur. Eidem Indignato *Καλυψώ*, Occulina, Atlantis filia, *Ναυσίνοον* et *Ναυσίδοον* peperit, Nauparum et Naucitum, quod est, occultos thesauros navibus fabricandis opportunitatem fecisse.

*) Bene me Ionicae vocis *Ἰδη* Creuzerus admonuit: ut mons iste Latine Silvia vel Silvius dici debeat. Vide Epist. de ratione mythologiae p. 122.

Hactenus Hesiodus. Quae percensenda duxi omnia, quo ne, si quaedam tantum attigissem, ea viderer elegisse, quae casu huiusmodi interpretationem admitterent. Nunc postquam eandem omnium esse conditionem ostendi, non puto mihi verendum esse, ne quis ludere me voluisse opinetur. Res ipsa vero ludet mythologos, historicos, geographos, quum operose firmata commentorum suorum fundamenta sic spiritu difflari videbunt. Sed in litteris saepe etiam diruendo aliquid condas: eritque, quum haec interpretandi ratio, cuius nunc specimen dedi, omnem veterum populorum mythologiam illustrabit, licet nec dei, nec numinis, nec religionis ullum in ea vestigium reperiat. Caeterum quam infinita hic bonis observationibus materia parata sit, non latebit vel rem ipsam, vel quae a nobis dicta sunt, considerantibus.

DE HISTORIAE GRAECAE PRIMORDIIS DISSERTATIO *).

Quae superiore anno de antiquissima Graecorum mythologia scripsi, fuerunt qui ioco scripta putarent. Hi, quid sentirem, iam ex epistolis meis ad Creuzerum, quas ille una cum suis edidit, cognoscere potuerunt. Sed incepta tantum est illa disputatio, nec mihi nunc ad eam reverti otium est. Placuit tamen, opportunitate scribendi data, cognatum argumentum attingere, quod spectat ad historiae Graecae primordia. Nam quum antiquissimam populorum historiam fabulis obscuratam esse constet, quae res movit historicos, ut tempora fabulosa ab iis temporibus, in quibus certa narratis fides esset, distinguerent: plerique, quae commentis poetarum et famae temeritate perturbata viderent, neque credenda, neque non credenda rati, quum summam tamen rerum veram esse existimarent, magnis, licet vanis conatibus, quia viam rei agenda certam non habebant, conficere aliquid veri, mirasque illas dissensiones, quae quum aliis in rebus, tum maxime in temporum rationibus inveniuntur, componere allaborarunt. Et recte illi profecto, si ita est, ut putant, famae

*) Edita est a. 1818.

lusu poetarumque inventis vitiatam esse veritatem. At aliud reliquum est: non illud dico, quod fortasse quispiam coniiciat, prorsus fictas esse narrationes illas: nam id abhorret ab illa antiquitatis simplicitate: sed hoc, quod credere iubet stupenda illa, et, si fortuita esset, quovis portento miraculosior nominum omnium ad unum finem conspiratio, longe alias res, quam videtur, narrationibus istis contineri, ita ut narrationes quidem fictae sint, res autem, quas continent, non sint fictae. Quod si ita est, apparet, videndum esse, quae sint illa, quae non sunt ficta. Ea vero aut historica sint necesse est, aut non historica. Si historica sunt, novus historiae fons recludetur, non adhibitus antea; si non historica, hoc certe historiae lucrum faciet, quod qui largus eius, licet parum limpido fons habebatur, alio derivatus, non amplius adulterabit historiam. Sed habet haec disputatio non parum difficultatis, sive originem harum fabularum spectes, sive interpretationem, sive coniunctionem cum vera historia. Dicam de singulis, quae mea sit sententia; eamque deinde exemplo illustrabo, quo illud confirmem, quod nunc ut concessum sumo, fabulas istas narrationes esse non proprie intelligendas, sed quae res omnes, nominibus appellatas iis, quae naturam earum indicent, quoad fieri possit, ut personas vita praeditas introducant.

Huiusmodi igitur fabulis si historiae primordia contineri contendimus, verendum est, ne id parum credibile esse existimetur. Nam quum omnes gentes insito hominum generi gloriae studio maiorum suorum memoriam recolere, resque ab iis gestas narrando celebrare consueverint, cui non mirum, ac potius incredibile videatur, Graecos, gentem laudis avidissimam, adeo oblivioni tradidisse nomina maiorum suorum, ut pro iis fictos quosdam et commenticios colerent? At factum tamen esse necesse est, si vera sunt, quae de fabulis illis diximus. Desinemus vero mirari, ut opinor, si reputaverimus, quod ipsae satis declarant fabulae illae, poetis hanc omnem adorationem deberi. Quorum quum omnis ars, ut et hae fa-

bulae, et omnis mythologia docet, in eo posita esset, ut rudi sane tentamento res omnes, quoad eius fieri posset, in personas animarent: consentaneum, immo necessarium erat, ut his personis, quo quid sibi vellent intelligeretur, nomina imponerent naturae earum convenientia. Quo factum est, ut poetarum sermo, quod ad nomina attinet, prorsus a communi sermone diversus esset: quem propterea deorum, ut illum hominum linguam dicebant: id quod etiam Islandiae incolas fecisse monuerunt interpretes ad *Iliad. α. 403*. Quoniam autem penes poetas omnis erat rerum divinarum humanarumque scientia, non est mirum, ex horum auditione commenticias illas appellationes pro vulgariis obtinuisse, et ita quidem, ut indocta et credula multitudo, paullatim obliviscens veritatis fabulis istis involutae, etiam ipsa commenta poetarum vera esse sibi persuaderet.

Difficilior est interpretatio fabularum. Quae quum tota fere ex nominibus petenda sit, non modo propter vetustatem nominum perobscura saepe atque ambigua est, sed etiam propter rerum, quae nominibus illis significantur, diversitatem haud paullum dubitationis habet. Nam quum duo sint rerum genera, unum singulare, quod nomina propria habet, ut certi homines locive, alterum infinitum, quod communibus appellatur nominibus, ut montes, silvae, flumina, naves, aut hominum munera, officia, virtutes, vitia: hoc posterius quidem genus, si personis induendum erat, necessario fictis quibusdam nominibus, quae ad hunc finem apta essent, indigebat: in illo priore autem genere nulla huiusmodi apparet necessitas. Et profecto locorum certe nomina ea esse videmus, quibus vere sunt illi loci appellati: ut aut, si haec vera sunt, etiam hominum nomina vera credere oporteat, aut, quoniam de hominibus non est credibile, loci quoque debeant fictis nominibus vocati esse, aut denique, quod solum reliquum est, locorum aliam esse, quam hominum conditionem necesse sit. Et ita sane videri potest. Homines enim moriuntur, mortuisque nihil praeter factorum

memoriam superat, ut rectissime quis ex eo, quod fecerit, appelletur. Loci vero manent: qui si aliis quam suis nominibus vocantur, aut ignoti, aut ementiti videri debent, nominibus illis quales, non qui sint, indicantibus. Et de ignotis quidem locis non difficilius credebant homines, quam de hominibus, quia de his fidem habebant narranti: notis autem in regionibus si nomina locorum non vera commemorata fuissent, detraxissent ea narratis fidem, quia scivisset quisque, non exstare eos. Unde sane absurdum videbitur, in iis, quae de notis regionibus narrabantur, ficta usurpata esse nomina. At quantumvis speciosa haec argumentatio sit, non evincit tamen, ut poetas non etiam in locorum nominibus eadem ratione, qua in hominum, usos esse statuamus: modo meminerimus, nomina, quae ab natura rerum ducta sunt, non esse continuo ficta nomina, sed ea tantummodo ficta dicenda esse, quae ab his, quibus in vita communi utebantur, discrepant. Nam poetae illi sine dubio locis non minus quam hominibus ab natura eorum faciebant nomina: sed quia manebant loci, manserunt etiam nomina, et facta sunt propria. Certum enim videtur, multa locorum nomina ex his poetarum fabulis originem traxisse. Vbi autem loca, quae iam habebant nomina sua, commemoranda essent, ineptum fuisset alia iis nomina tribuere, quia iam illi, qui primi nomina ista invenerant, ea aut ab natura illorum locorum, aut ab aliquo memorabili facto depromperant. Praeterea in rebus, quae ubi actae essent, nihil referret, vera locorum nomina, quae accommodata his rebus essent, delecta videntur; nec minus, quae notis in regionibus gesta erant, iis potissimum in locis facta dici, quorum apta rebus istis nomina invenirentur. Postremo hoc quoque reputare debemus, multis fabulas illas additamentis exornatas ad nos pervenisse: unde veri simile est, quum iusta earum interpretatio iam in oblivionem abiisset, et commenta poetarum ipsa vera esse crederentur, multorum accessisse commemorationem locorum, quorum nulla in fabulis istis mentio fuerat. Hinc aliquot sunt locorum nomina, quorum significatio quomodo cum rebus ibi gestis

congruat, vix videatur intelligi posse. Quod si haec ita sunt, prima in interpretandis fabulis illis et praecipua regula haec esse debet, nomina formam habere nominum propriorum, vim autem et significationem appellativorum. Cuius regulae observatione uti de sensu fabulae cuiusque certiores reddimur, ita ea etiam velut uno ictu inextricabiles aliter locorum temporumque conturbationes dirimit, siquidem ubi idem nomen non unius certi loci hominisve nomen est, sed omnium, quorum par aut similis conditio fuerit, non est mirum, locos longissime dissitos, hominesque multis aetatibus disiunctos eodem nomine vocari. Facile autem intelligitur, ex hac regula aliam nasci, quae haec est: nomen idem diversis rebus tributum, confusionem fabularum; explicationem diversam eiusdem rei, varietatem narrationum produxisse. Ita, qui nuper diligenter de rebus Aegineticis scripsit, Car. Müllerum quum ipsum insulae nomen, tum tot urbes, quae Aegae dictae sunt, Aegaeum mare, Aegaeus mons, Aegaeon, Aegeus, Aegialeus, Aegimius, Aegyptus, aliaque multa nomina, ipsa denique petulcis cornubus insurgens, quae Iovem nutritivisse fertur, capella admonere potuerant, ne aeneae caprae causa *Aiywav* recte Quassatiam verti negaret.

Sed dicendum est denique etiam de coniunctione harum fabularum cum vera historia. Ex quibus quum aperte effloruerit historia, discerni quidem hoc potest certissimo indicio, quod propriis, non appellativis nominibus utitur, neque, quod coniunctum cum hac re est, res personatas introducit. Intelligitur autem hoc ex eo, quod nomina iam fortuita sunt, nec nisi casu cum rebus ipsis conveniunt. Verum quoniam non repente, sed paullatim facta est haec narrandi res gestas commutatio, quum, quae antiquissimi personata tradiderant, non intellecto quid sibi vellent, pro veris haberi coepissent; et modo, luxuriantibus poetarum ingeniis, mira commentorum varietate auferentur, modo etiam cum rerum vere gestarum

narrationibus coniungerentur: perdifficile est et saepe prorsus negatum, confinia describere fabularum atque historiae. Accedit, quod qui primi historiam scripserunt, quum non sensum, sed verba illarum fabularum sequerentur, partim conciliare, quae inter se pugnarent, partim coniectando et ratiocinando ad liquidum perducere studuerunt: quibus deinde, ut idoneis auctoribus, creditum est, quum credi omnium minime debuerit. Sed ut possit historia a fabulis satis discerni, illud quaerimus, quid sit in ipsis illis fabulis, quod historiae nomine dignum sit. Quarum si haec, uti diximus, ratio est, ut omnia non propriis nominibus, sed appellativis designent, nihil aliud eas continere apparet, quam quali quid in loco et a quibus hominibus gestum sit. At haec non est historia. Nam historiae proprium est, ut id, quod narratur, cum eo cohaereat, quod hi, quibus narratur, ipsi sensibus suis percipiunt. Quumque historia et quid factum sit, et a quo, et quando, et ubi, indicare debeat, de his omnibus testium fidem requirimus, quae in rebus pervetustis fere eo redit, ut, quae narrantur, neque per se incredibilia sint, neque his, quae certo facta scimus, repugnent. Sed in his quod primum est, certum aliquod factum, id quum sponte intelligatur et a certis hominibus et certo tempore et certo in loco factum esse, tamen nulla re magis cum iis, quae vera esse scimus, cohaeret, quam loci significatione. Nam homines certi non possunt intelligi, nisi qui certarum gentium fuerint, eoque locos tenuerint certos; tempora autem ex factis horum hominum computantur: unde si loci incerti sunt, etiam caetera labefactari necesse est. Quod si, ut supra dicebamus, etiam loci in fabulis istis appellativa habent nomina, quomodo sciemus, ubi res illae gestae sint? Tribus modis, nisi fallor. Primus, isque certissimus est, quum, quae narrantur, ipsa certum loci indicium praebent. Secundus, quum quid apud certum maxime populum celebratum videmus: verisimile est enim, ibi aliquid gestum esse, ubi plurima eius fama circumferatur. Tertius denique, quum nomina locorum, quae in fabula sunt, aperte de his locis, qui vere iis nominibus

vocati sunt, intelligenda esse apparet. Quamquam hoc, ut supra diximus, non ubique satis certum argumentum est, propterea quod multa horum nominum postero demum tempore in fabulas istas videntur illata esse.

Haec si vere disputata sunt, non magis eos, qui fabulas veteres ab historia segregant, quam illos, qui ista omnia sic, uti narrantur, acta esse credunt, audiendos putabimus, sed, detracto ornatu poetico, iustaque interpretatione adhibita, materiem narrationum illarum res esse vere gestas censebimus. Simul autem ipsa rei natura nos admonet, nihil in hoc genere tam incertum esse, quam temporum rationes; neque obliviscemur, uti recentia, vigente adhuc plerorumque factorum memoria, longa videntur, ita antiqua, paucissimorum commemoratione servata, brevia videri.

Sed placet iam, quae diximus, exemplo comprobare. Inachi filiam Io, Argis profugam, post longos errores in Libyam venisse dicunt; ab hac ortas Danaides rediisse Argos, quarum ab una genus duxisse Perseum, a quo Persidas Argis imperitasse; quorum partem expul-⁹ sos, et ex his Herculem natum esse; huius posteros tandem reversos sibi Peloponnesum subiecisse. Referam haec, omissis quae non sunt necessaria, Apollodoro potissimum auctore, qui libro secundo de his rebus exposuit. Sed in eo deseram Apollodorum, quod huic Io octava demum generatione ab Inacho orta perhibetur, quum eam plerique et gravissimi auctores filiam fuisse Inachi dixerint.

Igitur Oceani filius *Ἰναχος*, Evacunus, filiam habuit *Ἰώ*, Itiam, quam amans Iuppiter quum in vaccam transformasset, quo ea *Ἥρα*, Populoniam, lateret, haec *Ἄργον*, Micuum, custodem multis oculis praeditum puellae addidit, furoremque ei immisit. Micuum quum Mercurius, oculis eius consopitis, occidisset, aufugit Itia. Non est obscurum, aquas dici, quae fluvio aliquo sive lacu exundante, imbribus auctae, (is est amor Iovis) tortuoso

cursu sibi viam fecerint; hinc cornua, insigne fluviorum, et vaccae forma. Populus, qui ea loca accolebat, aggere aquas cohibuit ex argilloso limo, qui et albus est, unde nomen Argi, et spongiosus plenusque tubulis, unde *μυριωπὸς* et *πολύφθαλμος*; ab origine autem et officio idem *γηγενής*, terrigena, et *Ἀλευάδης*, filius Averrunci, dictus. *Ἄργον* Micuum verti, ut ambiguitatem nominis servarem. Nam qui cognata vocabula comparaverit, communem omnium micandi significationem reperiet, quae nunc ad solam celeritatem, nunc etiam ad candorem translata est. Satiato aqua limo, oppletisque rimulis omnibus, quae res per consopitos oculos indicatur, aquae, via reperta, quod Mercurio auctori adscriptum, pererrunt, et libero cursu se profuderunt: unde nomen *Ἰώ*. Errores Ius persequi longum est et inutile: finis eorum videndus. De quo sic Apollodorus II. 1, 3. *τελευταῖον ἦεν εἰς Αἴγυπτον· ὅπου τὴν ἀρχαίαν μορφήν ἀπολαβοῦσα, γεννᾷ παρὰ τῷ Νεῖλῳ ποταμῷ Ἐπαφον παιδα. τοῦτον δὲ Ἥρα δεῖται Κουρήτων ἀφανῆ ποιῆσαι· οἱ δὲ ἠφάνισαν αὐτόν. καὶ Ζεὺς μὲν αἰσθόμενος, κτείνει Κούρητας· Ἰὼ δὲ ἐπὶ ζήτησιν τοῦ παιδὸς ἐτράπετο· πλανωμένη δὲ κατὰ Συρίαν ἅπασαν· ἐκεῖ γὰρ ἐμνήετο ὡς τοῦ Βυβλίῳ βασιλέως γυνὴ ἐτιθήγει τὸν υἱόν· καὶ τὸν Ἐπαφον εὐροῦσα, εἰς Αἴγυπτον ἐλθοῦσα, ἐγαμήθη Τηλεγόνῳ τῷ βασιλεύοντι τότε Αἰγυπτίων.* Non opus fuerat, Aegyptum et Nilum nominari. Manifestum est enim, Io ipsam aquas esse Nili: quae multis amfractibus in eam regionem, cui Aegypto nomen est, delatae, recuperata pristina forma, i. e. rursus exundantes, omnia occupant: unde filius Ius *Ἐπαφος*, Occupus. Hunc ut occultent, Populonia rogat Iuventios; quos perpetrato facinore occidit Iuppiter. Id est, populum per eos, qui aetate et sollertia maxime vigerent, canales fecisse, quibus defluerent aquae; sed conatum hunc irritum fuisse. Non dissimilem fabulam narrat Diodorus I. 19. Porro quum Itia filium apud reginam Pleniorum, ubi alebatur, invenisse, et reversa in Aegyptum Proculigno, regi Aegypti, nupsisse dicitur, apertum est, significari deside-

ratum incrementum Nili, copiamque aquarum ex montibus, qui iis pleni sint, quos Aeschylus *Βύβλινα ὄρη* vocat, iterum profusam, idque deinde quotannis factum, quasi per legitimum cum remotissimo earum fonte connubium, qui ob fertilitatem, quam affert, merito rex Aegypti dictus est *). Eadem caussa etiam Epaphus rex Aegypti perhibitus, cui uxor *Μέμφης*, Remeligo, peperit filiam *Λιβύην*, Oppletiam, quod annua Nili exundatio limo omnia, quae infra Memphin sunt, oppleta destituit. Vide Herodotum II. 14. Postea nomen Libyae latius extensum.

Consistamus hic paullum. Nam quum apertissimum sit, haec omnia ad Africam pertinere, et Inachum fontes esse Nili, Nilum ipsum autem per filiam Inachi Io designari, quomodo cum his illud conciliabimus, quod eadem Io et Argiva ab omnibus perhibetur, et omnem prope modum Europam atque Asiam peragrasse dicitur? Facile, ut opinor, si quattuor diversas fabulas in unam confusas esse cogitabimus. Vna est, quam explicuimus. Secunda, in qua Io aquas paludis Maeotidis perrupto gemino freto, cui utrique ab ea re Bospori nomen inditum, per pontum Euxinum in Hellespontum profusas significat. Tertia fabula et quarta Argivorum propriae sunt. Ac tertia quidem aliter ab aliis narratur: v. Pausaniam II. 5, 5. 16, 1. schol. Eurip. ad Orest. 920. 11 1239. ed. Matthiae, et Hyginum fab. 145. sic autem ab Apollodoro: Inachum, sive Evacunum, et *Μελίαν*, Cicurinam, sive Mitigam malis, genuisse *Φορωνέα* et *Διγιάλεα*, Feronium et Orum; Orum, sine liberis mortuum, nomen reliquisse Peloponneso *Αιγιάλειαν*, Oram; Feronio ex *Τηλεδίκη*, (sic enim scribendum) i. e. Procu-

*) Description d'Egypte. III. Livrais. Memoire sur le lac Menzaleh par M. le Général Andréossy. p. 261—278. Hic sumit magnam multitudinem Nili aquarum aliquando ad occidentem per Libyae deserta sibi viam fecisse. V. Diar. Gotting. 1820. 10. Iun. N. 94. p. 985. s.

licia, natos *Ἀπιν* et *Νιόβην*, Abitium et Imimeam; Abitio, saevo tyranno, a quo Poloponnesus, *Ἀπία*, Abitia, dicta, insidiis *Τελχίνος* et *Θελξίονος*, Mulciberi et Bitillicis, interempto, Imimeam ex Iove primam mortarium peperisse *Ἄργον*, Micuum, qui regno Feronii accepto Peloponnesum ab se Micnam appellaverit; huic ex *Εὐάδην*, Vbertina, *Στρώμονος* et *Νεαίρας*, Torrentii et Recentanae filia, genitos *Ἐκβασον* (id enim genuinum nomen est) *Πείρανθον* sive *Πείρασον*, *Ἐπίδανρον*, *Κρίασον*, Egredum, Tentonem, Incolum, sive ille ab accendendo igne, sive ab indormiendo dictus est, et *Διδιδυμ*; Ecbaso natum *Ἀγήγορα*, Ducentium; huic *Ἄργον*, Micuum. Horum hic videtur sensus esse. Fluctibus diluvii componi coeptis, defluerunt aquae, omnia secum auferentes, et, oris patefactis, vastum ubique desertum relinquentes: quod est crudele regnum Abitii, quem Aeschylus *Ἀπόλλωνος*, Necini, filium dicit. Nam Buttmanus vereor ut multis persuasurus sit, quod in Lexilogo T. I. p. 67. seq. neglectis, quae maxime considerata erant, in medium attulit. Regno isti Abitii insidiabantur artes et invitamenta adeundi terram firmam. *Τελχίνες* dicti videntur quasi *Τευχίνες*, ut *Τελμησσός*, et *Τευμησσός*, de quo Valckenarius ad Phoen. 1107. Sed humor terra resorptus fecit adiuvante caelesti calore, ut herbae emicarent, quarum ubertas, imbrum copia et recenti fecunditate soli procreata, eos, qui navibus ad ea loca appulerant, movit, ut egrederentur, tentarent regionem, habitarent, et inter se dividerent. Egressi alios eodem adduxere, unde splendida progenies. Is Argus est: quem vereor ne Apollodorus non recte oculatum illum esse putaverit. Illud vero recte fortassis, quod oculato illi Argus, siquidem hic limus significat, ex *Ἰσμήνη*, Lentula, *Ἀσωποῦ*, Lutatii, filia *Ἰασον*, Itium, cuius filia *Ἰώ*, 12 Itia, fuerit, natum dicit. Quod est, aquas ex locis palustribus lento lapsu paullatim in alacriorem rivum collectas, deinde exundavisse. Vnde Aeschylo Lernam petiisse Io dicitur. Quarta denique fabula ea est, cuius Herodotus mentionem facit I, l. Io, Inachi regis filiam,

raptam a Phoenicibus, et in Aegyptum asportatam esse. Nam verba τὴν Ἰνάχου bene vindicavit Buttmannus in Museo stud. antiq. Germanico vol. II. P. II. p. 371. seqq. Ita igitur quum modo Argivae mulieres, modo exundantes aquae vel Nili, vel paludis Maeotidis, vel fluvii cuiuspiam Argivi eodem Ius nomine dicerentur, poetae, de interpretatione fabularum securi, omnia ad unam Argivam puellam retulerunt, et, quo ea apte coniungerent, varias errorum Ius descriptiones contexuerunt.

Sed redeo in viam. Libya, sive Opplētia, ex Neptuno parit Ἀγήνορα et Βῆλον, Ducentium et Liminem: quod est navibus delatos ad Libyam, alios longius progressos esse, alios in ipsa ora mansisse. Limen uxorem duxit Ἀγχινόην, Proximinam, filiam Nili, ex qua geminos suscepit, Αἴγυπτον et Δαναόν, Volucrum et Naucularium: quorum Volucer Arabiam petiit, Naucularius autem Libyam tenuit. Apertum est, captum ex tempore ab advenis, qui manserant, consilium dici, quorum alii Arabiam occuparint, equorum velocitate ad rapinas conversi, qui mos ad hodiernum usque diem mansit Arabiae; alii autem, manentes ad mare, navigationi operam dederint. Hinc quae Nauculario nascuntur quinquaginta filiae, naves esse apparet; praedones autem, qui totidem sunt filii Volucris. Quos metuens Naucularius cum filiabus confugit Ἄργος, Micuam. Nihilominus eo venere Volucris filii, nuptum illas sibi petentes. Daturum se spondet Naucularius, sed clam mandat filiabus, ut prima nocte sponso interimant. Fecerunt id illae, praeter unam, quae sponsum, quod se virginem esse sivisset, incolumem servavit. Non est obscurum, naves dici a praedonibus captas, sed deinde naufragium passas, praeter unam, quam tempestas cum praedonibus, qui eam ceperant, redire in portum coegit. Haec quod feliciter navigarat, Ἰπέρμνηστρα, Praenisia, dicta: praedonum autem, qui eam tenebant, vigilantia Lyncei nomine significata. Praenisiam pater Naucularius carcere aliquamdiu inclusam, postea Lynceo uxorem dedit: i. e. praedones, quum spe

potiundae navis excidissent, et ipsi in illorum potestatem, quorum ea navis erat, venissent, familiares factos, propriam accepisse illam navem. Reliquae Naucularii filiae quum victoribus in solempni certamine nuptum datae dicuntur, de qua re explicatius scripsit Pindarus Pyth. IX. 195. nihil aliud quam refectas esse quassas naves et ad defensionem instructas indicatur. Obiter addo, nota illa Danaidum apud inferos poena sortem navium describi, quae ubi in scopulos illisae fatiscunt, omnem exhauriendi laborem eludunt.

Iterum hic duae fabulae in unam coniunctae. Nam ut fuerint, qui ex Aegypto propter Arabum incursiones Argos confugerent, (sic autem fama erat apud Argivos) at quis etiam Arabiae equites Argos venisse credat? Itaque qui illuc *Αἰγυπτιάδαι* venisse dicuntur, praedones sunt maritimi, a navigandi celeritate ita vocati.

Post Danaum Argis regnans Lynceus ex Hypermnestra uxore *Ἀβαντα*, Nebitonem, genuit, qui ex *Μαρτινέως*, Vaticanini, filia *Ὠκαλέα*, Convola, geminos suscepit, *Ἀκρίσιον* et *Προῖτον*, Inseparantium et Proficiscentium: i. e. praedones per connubia cum iis, quorum in potestatem venerant, iunctos non amplius de abita cogitasse, sed postea propter vaticinium quoddam congregata multitudine partem manere, partem abire decrevisse. Et abit Proficiscentius in *Λυκίαν*, Luciam, i. e. nisi fallor, orientem versus. Inseparantius autem uxorem ducit *Ἐνρυδιήν*, Latiuriam, *Λακεδαιμόνος*, Dii Locutii, filiam, ex qua *Δαναήν*, Nauculariam, suscepit: quo significatur, manentes in patria, deorumque ius sancte colentes, navigationi operam dedisse. Sed praedixerat oraculum, interemptum iri Inseparantium a nepote suo: nempe metuendum erat, ne navigantium commercia, auctis opibus, dominationem opulentiorum afferrent. Vnde Naucularia diligenter observata, sive, ut poetae dixerunt, turri inclusa est. Nihilominus ea auro corrupta concepit *Πελοῖα*, Penetrium, sive Expugnantium dicere malis: qua

re cognita, eiecta est in cista, i. e. suspecti in navem impositi, et in exsilium acti. Delatam navim ad *Σέριφον*, Corruam, (quae, nisi fallor a *σειειν* et *ρίπτειν* dicta, quasi terrae motu proruta) cepit *Δικτυς*, Retius, frater regis *Πολυδέκτου*, Accipitris. Piratas intelligi, vel ex his satis clarum est; magis etiam ex iis, quae sequuntur. Nam amore Danae captus Polydectes, quum, adulto Perseo, potiri ea non posset, convocatis amicis, ut ad celebrandas nuptias *Ἰπποδαμείας*, Vedomnae, filiae *Οινομάου*, Vindemii, symbolam conferrent, equos ab omnibus exegit: quos Perseus quum dare nollet, postulavit Polydectes ab eo, ut, quoniam se vel caput Gorgonis allaturum iactasset, staret promissis, et id exsequeretur. Ita ille necessitate coactus, quum ducibus Graeis pervenisset ad Gorgones, potitus equo Pegaso, qui ex cervice occisae Medusae prosiluerat, in Aethiopiam avolavit, insectantibus Gorgonibus; liberataque ibi Andromeda, redux ad Seriphios, quum ibi matrem Danaen et Dictyn ad aras auxilium deorum adversus vim et violentiam Polydectae implorantes invenisset, ostenso capite Gorgonis, Seriphios in lapides transformavit, regnoque Dictyi tradito, cum matre Danae et Andromeda Argos repetiit. Plana hic omnia. Fratres sunt Dictys et Polydectes, quia ambo praedones: sed alter ceperat navem; alter, dux praedonum, sibi eam vindicabat, ad se pertinere fructum capturae ratus: sed metuebat tamen Perseum, i. e. navigantes, captos cum navi. Adultus hic dicitur, quod qui cum fluctibus conflictantes facile capi potuerant, servati e mari magis erant ad resistendum idonei. Hoc metu ut se liberaret Polydectes, expeditionem indicit ad vinum afferendum; piratisque omnibus naves apparantibus, Perseus, sive peregrini illi, quibus adempta erat navis, ipsi quoque vinum quaerere cupientes, quum per ludibrium iuberentur sine navi mare traicere, conati non modo undas ad littus spumantes, sed etiam remotiores fluctus natando superare, devicto adverso eorum cursu, navi, quae in mari stationem habebat, potiuntur, et sic vela dant, atque Aethiopiam petunt. In Aethiopia re-15

gnabat *Κηφεύς*, Flexius. Hunc et Phineum Euripides ex Belo, plerique aptius ex Agenore prognatos scripsere. Cepheum fuerunt etiam qui a Neptuno genitum dicerent. Et hic quidem ab eo dictus, quod iter, quo ignotam regionem explorabat, retro flexit; *Φινεύς* autem, Littorinus, quod in littore sedens, adventumque navis alicuius sibi vaticinans, obtusa prospectando oculorum acie, misero foedoque victu, quem fluctus a procellis non rursus raptum in vado relinquerent, vitam toleraverit. Ex his igitur Flexius uxorem habuit *Κασσιόπειαν*, Facundinam, quae quod sese pulcriorem Nereidibus iactasset, hae una cum Neptuno indignatae undis obruerunt regionem, immiseruntque belluam marinam; a quibus malis non aliam liberationem esse oraculum dixit, quam si filiam illi suam *Ἀνδρομέδην*, Viriregam, belluae isti praedam obiiicerent. Quod factum est, puella ad rupem alligata. Horum hic sensus est. Navigantes ad ignotam regionem delati, quum per accolas oberrantes facundia sua, ut Homericus *Vlysses*, multum auri collegissent, (hoc enim regit homines) reversi omnibusque se navigantibus feliciores rati, littus fluctibus vastatum, haerentemque navem suam in aggesta glareae, quae per *κῆτος* significatur, invenerunt. Ita divitias suas in littore deponunt, glareae removendae praedam futuras. Casu adveniunt isti, qui *Seripho* a praedonibus aufugerant, potirique his opibus cupientes, consentientibus illis, navem eorum remota glareae (id est enim occidi monstrum marinum) in mare protrudunt, acceptisque divitiis, sua navi abeunt. Reversi ad praedones, quum ex improvise iam ut hostes apparuissent, praedones stupore ac metu obriguerunt. Itaque vindicata navi, in qua olim capti fuerant, et imperio praedonum permissio ei, qui ceperat ipsos, ut minus iniusto, domum revertuntur ad suos revisendos. Id est, quod *Acrisii* visendi causa *Perseus* *Argos* rediisse dicitur.

At *Acrisius*, sive *Inseparantius*, oraculi metu in *Πελασγιῶτιν*, *Hostiam*, se receperat, ubi *Τευτάμιος*, *Apparo*, rex *Λαφίσσης*, *Voluptiae*, ludos funebres celebra-

turus erat. Eo venit in itinere etiam Perseus, et in cer-16
 tamine imprudens percutit pedem Inseparantii, quo ictu is
 perit. Ille agnito quem occidisset, sepelit eum, et, ve-
 ritus regnum eius poscere, quod hereditarium ipsi erat,
Τίρυνθα, Tortonam, se confert ad filium Proficiscentii
Μεγαπένδην, Perdolentium, cum eoque sortes commu-
 tat, ut is Argis, sive Micuae, ipse autem Tortonae im-
 peret, communis *Μιδεία* et *Μυκήνη*, Fissia et Patulina,
 urbibus. Ibi nascuntur ei ex Virirega *Ἀλκαῖος*, *Σθένε-*
λος, *Ἐλειος*, *Μήσιτωρ*, *Ἡλεκτρώων*, *Γοργοφώνη*,
 Opitius, Valerius, Capius, Capessitor, Exercitanus, Tru-
 cida. Nihil aliud his continetur, quam reversos illos esse,
 qui olim pulsati et a piratis capti fuerant, quumque in
 itinere devertissent ad ignotos quosdam advenas, inve-
 nisse ibi illos, a quibus fuerant eieci: hi enim ubi redire
 illos audiverant, alias sedes quaesitum ibant, vindictam
 metuentes. Ibi casu eos illi impediunt a progrediendo: is
 est ex pedis vulnere interitus: pudore tamen non
 ipsam patriam suam repetunt, sed ad eos populares suos,
 qui sponte abierant, accedunt, quos inveniunt male affli-
 ctos et dolentes infelici profectionis suae successu. Ita-
 que convenit, ut hi in antiquam patriam redeant, ipsi
 autem horum sedes occupent. Et quoniam multis cum
 divitiis advenerant, communis urbibus antea vicatim ha-
 bitatis nec moenia habentibus, opes sibi, et potentiam,
 et amplificandi regni copiam, et nova moliendi faculta-
 tem, et belligerandi strenuitatem, denique etiam classem
 parant. Haec est enim *Γοργοφώνη*, nupta *Περίηρει*,
 Praeremio.

Iam *Ἀλκαῖος* et *Ἰππονόμη*, Opitius et Equipasca,
 filia *Μενοικίως*, Domitui, *Ἀμφιτρούωνα* et *Ἀναξώ* pro-
 creant, Amtruam et Subigam. Domi manentium enim
 est, equos alere opi ferendae hominibus, si domi ad cur-
 sum instituantur. Nisi verius Pheneatae, ut Pausanias
 narrat VIII. 14, 2. *Λαονόμη*, Poplipascam, *Γουγέως*
 Fecundani, filiam, uxorem Alcaei fuisse dixerunt, quo
 apertum est auctam multitudinem hominum, et inde ex-

HERM. OP. II.

O

peditionum faciendarum, subigendique alios opportunitatem factam dici.

17 *Μήστορι*, Capessitori, et *Λυσιδίκη*, Iurupae, *Πέλοπος*, Nigrini, filiae, *Ἴπποθόη*, Equicita, nascitur: quam raptam Neptunus in insulas *Ἐχινάδας*, Spineas, transfert, ex eaque *Τάφιον*, Sepelinum, creat, qui *Τάφον*, Sepeliam, condit, populumque *Τηλεβόας*, Clamitanos, vocat. I. e. novandi cupiditas cum barbarica iniustitia coniuncta navem piraticam fabricatur, et saxosas insulas petens, ibi sepelit, quidquid ingenti cum clamore impetum faciens rapuit. Sepelini filius fuit *Πτερέλαος*, Pinnigrex, quem Neptunus aureo capillo donatum immortalem fecit. Ei filia *Κομαιθώ*, Crinicrema, et filii *Χρόμιος*, *Τύραννος*, *Ἀντίοχος*, *Χερσιδάμας*, *Μήστωρ*, *Εὐήρης*, Fremo, Torsius, Pertinax, Manceps, Capessitor, Remex. Significatur praedo, celeres naves habens, et maritimis latrocinii perpetuo aurum acervans.

Exercitanus Subigam sibi connubio iungit, filiamque ex ea suscipit *Ἀλκμήνην*, Opitulanam, et filios complures, ex quibus tantum postremum natu nominare attinet, *Λικύμνιον*, Subolescentium, ex pellice *Μιδέα*, Fissia, natum, muliere *Φρυγία*, Frixia. Significantur autem militum vagi concubitus eum mulieribus opera domestica obeuntibus, et succrescens inde proles.

Σθενέλου et *Νικίππης*, i. e. Valerii et Vincequae, *Πέλοπος*, Nigrini, filiae, quam alii *Ἀστυδάμειαν*, Vrbidomam, vocant, progenies fuerunt *Ἀλκινόη* et *Μέδουσα*, Praesidiana et Guberna: post natus *Εὐρυσθεύς*, Latipos, qui deinde Patulinae rex fuit. Nam quum *Ἡρακλῆς*, Popliclutus, nasciturus esset, Iuppiter autem dixisset, qui primus ex Persei semine in lucem esset proditurus, eum regnaturum esse, Populonia Lucinam adduxit, ut partum Poplicluti moraretur, maturaret autem Latipotis, unde

is septimestris natus. Haec apparet sic interpretanda esse: opibus secundo cum peregrinis commercio auctis praesidium partum esse et imperium; post latius extensam potentiam; vacuo autem regno non virtuti, sed populi favore, potentiae tributum esse imperium, etiam immaturae.

Exercitano Patulinae regnante, filii Pinnigregis cum Sepelinis venerunt, Capessitoris avunculi regnum repetentes: quos parvi faciebat Exercitanus: at illi armenta eius abegerunt. Quae quum eripere iis conarentur filii Exercitani, ad internecionem pugnatum est, servatis tantum Subolescentio, Exercitani filio, adhuc adolescente, et Pinnigregis Remige. Qui evaserant Sepelini, vela dederunt cum armentis, eaque servanda commiserunt Πολυξένω, Frequentato, regi Ἠλείων, Palantium. Redempta inde reduxit ea Amtrus Patulinam: Exercitanus autem, caedem filiorum alturus, regno filiaque Opitulana Amtruo, qui se virginem eam servaturum iuraverat, commissis, bellum inferre Clamitanis parabat. Ibi dum recipit armenta, Amtrus in unam ex vaccis, quae discedebat a grege, baculum coniicit, quod a cornibus eius in caput Exercitani resiliens, hunc perimit. Eo praetextu Valerius, Argis eiicit Amtruum, atque ipse Patulina et Tortona positur, Fissiam autem arcessitis Nigrini filiis, Ἀρρεῖ et Θυέστη, Netremo et Furio, tradit. Haec quoque plana sunt. Praedones invadunt regnum virorum bellicosorum, acrique proelio fortissimis utrimque occisis, et superstitionibus tantum hinc adolescentibus, hinc remigibus, cum praeda abeunt, eamque apud hospitem, erroneos omnes recipientem, relinquunt. Missi illuc, qui eam vindicarent, ubi redierunt, tuendi regni cura iis demandatur. Sed, dum recuperata explorantur et percensentur, pars deesse videtur: unde orto tumultu, rex ipse perit: quo facto, qui potentia valebant, non sinunt illos summa rerum potiri, sed abigunt eos, ipsique imperium invadunt, parte regni commissa viris impiis, quorum malignitas magni postea discidium causa exstitit.

Amtruis iam cum Opitulana et Subolescentio Θήβας, Cultuam, se confert, ubi Κρόντος, Regi, beneficio illustratus, sororem suam Περιμήδην, Praeconsam, uxorem dat Subolescentio. Opitulana quum nupturam se edixisset ultori peremptorum fratrum, Amtruis, assumptis compluribus sociis, vastat insulas Sepelinorum, sed vivo Pinnigrege capere non potest. Verum filia huius Crinicrema, amore Amtrui capta, evulso patri aureo capillo, unde vita eius pendebat, facit, ut Amtruis insulas sibi 19 omnes subiiciat. Hic interfecta Crinicrema, praeda onustus, insulisque Ἐλείω et Κεφάλω, Capiōni et Capitōni, traditis, Cultuam revertitur. Indicant haec, expulsos a finitimis ad loca culta se recepisse; ibi iuventutem eorum educatam et salutaribus praeceptis formatam esse; quum autem ulciscendis iis, qui a praedonibus occisi fuerant, meliorem sibi conditionem parere cuperent, misisse eo viros bello gerendo aptos, quos aliis advocatis sociis bellum fecisse praedonibus; sed quamdiu his celeres naves essent, quas inexhaustis thesauris suis semper sibi novas in locum amissarum parabant, non potuisse eos debellare; at incolas insularum, diuturno bello fatigatos, optantesque ut vinceret obsidentium exercitus, incendio perdidisse thesauros. Ita illos potitos insulis, diripuisse eas, et parte sociorum ibi relicta, ne his quidem pepercisse, qui incendendis thesauris expugnationem adiuverant.

Reversus Amtruis compressam ab Iove invenit uxorem suam Opitulanam, quae geminos enitur, Popliclutum ex Iove, Ἰφιλέα, Violutum, ex Amtruo. Poplicluti facta prolemque praetereo. Eo post multa praecclare gesta mortuo, filii eius, Latipotem fugientes, Τραχίνα, Tesquam, ad Κήϋνα, Tranquillum, concesserunt: ubi quum sibi tradi eos postulare Latipos, relicta Tesqua, per Ἑλλάδα, Volviam, aufugerunt, donec persequente eos Latipote Ἀθήνας, Nelactam, compulsi sunt, ubi ad Ἠλέου, Miserantii, aram consistentes, auxilium impetrarunt Nelactanorum. Impetrato, magna strages edita

filiorum Latipotis, ipse autem in fuga fracto curru in rupibus *Σκειρωνίσι*, Asperoniis, ab *Ἴλλω*, Aquario, interfectus est. Inde Poplicluti progenies totam Peloponnesum cepit, sed sterili anno incidente, coacta est in *Μαραθῶνα*, Tabenam, se recipere: *Τληπόλεμος*, autem, Perduellius, quum imprudens Subolescentium in ipsa adhuc Peloponneso occidisset, exsul abiit *Ῥόδον*, Tene-riam. I. e. ex his, qui diuturna illa expeditione exercitati ad suos redierant, exstitisse fortissimos viros, qui longe lateque vagati, plurima egregia facinora ediderunt. Horum posterii, quibus infensi erant illi, qui eos expulerant, confugerunt in locos saltibus asperos, et latitarunt²⁰ ibi aliquamdiu sine vexatione. Sed quum se non amplius tutos putarent, huc illuc acti, compulsi sunt in loca sterilia, ubi impetrata incolarum misericordia auxilioque, loci natura iuvante, qui alendis hostibus non sufficiebat, vicerunt eos, et partim mari merserunt. Vnde reversi vastarunt Peloponnesum, sed idem ipsi passi sunt, ut victus inopia, amissaque in proeliis maxima parte iuventutis, mari se committere, atque amoeniorem sedem quaerere cogerentur.

Alii postrema aliter narrant, ut Diodorus IV. 58. revertentes duce Aquario, quum in Isthmo hostem invenissent, pactione facta, duos pro universis dimicasse Aquarium et Cohibuum, qui *Ἐχεμος* Graece dicitur: caesoque Aquario, ex pacto recessisse illos. Quod apertum est significare, in Isthmo navibus advectos prohibitos esse escensionem facere. Sed redeo ad Apollodorum, quo auctore superstes mansit Aquarius, qui quum uxore ducta *Ἰόλη*, Copiana, tertio anno, quia segetem tertiam expectari oraculum iusserat, reditum tentasset, a *Τισαμένω*, Vindicio, *Ἐρέστου*, Exciti f. vincitur, caeso in pugna *Ἀριστομάχῳ*, Fortissimano. Iterum eodem accepto oraculo, *Τήμενος*, Immansius, edoctus tertiam generationem significari, in *Λοκρίδος*, Calviae, parte ea, quae *Ναύπαντος*, Navaliam, dicta est, classem fabricatur. Ibi mortuo *Ἀριστοδήμῳ*, Optumatio, relictii filii ex *Ἀρ-*

γεια, Micuana, *Αὐτσοίωνος*, Vltronei filia, *Εὐρουθένης* et *Προκλής*, Latipotens et Proclutus. Etiam classis afflicta, quod *Ἰππότης*, Equirius, filius *Φύλαντος*, Gentiani, qui ex *Ἀντιόχῳ*, Pertinace, nepos erat Poplicluti, vatem quemdam interfecisset. De qua re oraculum consulenti Immansio responsum est, Equirio ad decem annos in exilium acto, duce uteretur trioculo. Invento *Ὁξύλω*, Acutulo, *Ἀνδραίμονος*, Cruentani f. qui uno oculo captus equo insidebat, exsul in *Ἠλίῳ*, Palantium, et inde in *Αἰτωλίῳ*, Mendiciam, concesserat, iam autem domum redibat, hunc ducem sequuti, vincunt, occiduntque Vindicium; ipsi autem amittunt filios *Αἰγυμίου*, Exsultii, *Πάμφυλον* et *Δύμαντα*, Omnigenium et Immersium.

21 Sortitisque deinde Peloponnesum, Immansio *Ἄργος*, Micua; Optimatii filii *Λακεδαιμῶν*, Divilocutia; *Κροσφόντη*, Primoricidae, *Μεσοσήνη*, Mediana, obtigit. Horum hic sensus est. Qui superstes erat exercitus, novis copiis auctus iterum tentat Peloponnesum: sed clade accepta, fortissimisque militibus amissis, in regione altis montibus septa classem parat. Ibi moriuntur homines nobilissimi: reliquae tamen satis idoneae adhuc copiae sunt, quas nobilium illorum claritas ad partes ipsorum perduxerat. Sed classe, quae confecta erat, per tempestatem disiecta, cuius rei culpa referebatur ad nautas, qui suspectum quemdam interfecissent, diu dilatam esse expeditionem. Tandem, exsulem quemdam, qui caede perpetrata multum vagatus et mendicatus erat, debili rate fretum traicere videntes, ea parte ipsi quoque traiciunt, eosque, a quibus afflicti ante fuerant, acri proelio vincunt: in quo etsi ipsi quoque partem omnium sociorum et qui maxime in acie fuerant, amittunt, tamen victores trifariam Peloponnesum inter se dividunt.

Deduxi haec eo, quo volebam. Quae si sic, uti dixi, intelligenda sunt, mirum est, ad quam exilitatem tot splendidissimae narrationes extenuentur. Nam ut locorum nomina omni fictionis suspitione libera esse statua-

mus, quid aliud habemus, quam res magnam partem a praedonibus gestas, easque vix dignas memoratu? Quod si summam ex his colligimus, haec est, quae historia appellari possit. Advenae Aegyptum atque Arabiam occuparunt. Ex Aegypto quidam Argos seu venire seu rediere. Ibi eos invaserunt praedones, quorum nonnulli manserunt apud eos. Postea pars rerum novarum cupida alio sedes quaesitum abiit. Ex his, qui remanserant mercaturam exercentes, pulsus quidam sunt, qui dominationem affectare videbantur. Qui quum multas regiones pervagati magnis cum opibus redirent, illi, qui eos expulerant, prae metu reliquerunt sedes suas. In quos quum casu incidissent, eosque impedivissent longius progredi, iam non Argos, pristinam patriam suam, desertam nunc, sed Tirynthem petunt, ubi misere vivebant, qui olim Argis sponte abierant. His Argos missis, ipsi²² Tirynthe, communitis Midea et Mycenis, regnum condunt potentissimum, parsque eorum insulas Echinades occupat, et ibi latrocinia exercet. Hi latrones postea praedantur Mycenis. Inter Mycenenses lite ob recuperatam praedam orta, fortissimi viri a potentioribus, qui Mycenis et Tirynthem occupant, Mideam autem scelestis quibusdam hominibus committunt, in exilium aguntur. Hi Thebas se conferunt, diuturnoque bello insulas Echinades in potestatem suam redigunt. Posteriores eorum, infestantibus optimatibus Argivorum, qui regno eos excluderant, huc illuc vagati et labores multos pertulerunt et plurima ediderunt egregia facinora. Aliquanto post, acrius insectantibus eos Argivis, quum aliquamdiu Trachine latuissent, ad Athenienses concesserunt, quorum auxilio strenue dimicantes fregerunt potentiam Argivorum, ut adeo regnum eorum vastaverint. Sed fame et proeliis attriti, pars se in insulam Rhodum contulit, caeteri alio discessere: qui idemtentem tentata Peloponneso, tandem Naupacti classe structa tantis cum copiis expeditionem susceperunt, ut et subigerent Peloponnesi maximam partem, et eam inter se dividerent.

Sed satis. Quod si quis haec quoque loco dicta putabit, delectetur ille, per me licet, seriis historicorum, qui ab ipso diluvio, quot annos quisque regum nunquam natorum regnaverit, in numero habentes, anno post Troiam captam octogesimo hunc Heraclidarum reditum contigisse sciunt.

CENSURA NOVAE EDITIONIS THESAVRI STEPHANIANI *).

Quae magno cum favore doctorum hominum in lucem
emitti coepta est editio Thesauri Graecae Linguae ab H.
Stephano conditi, eius nuper is ad nos perlatus est fasci-
culus, qui numero tertius, re primus, et tantum non
ipsum praestantissimi operis initium est. De quo libro
quum a nobis posceretur ut sententiam nostram exprome-
remus, etsi sciebamus non paucos vel apud nostrates, vel
apud exteros esse, qui et plenius essent et rectius hanc
provinciam administraturi, tamen non committendum pu-
tavimus, ut detrectando hoc negotio parum officiosi vide-
remur. Accedebat, quod neminem tam iniquum fore in-
telligebamus, qui in tali libro iudicando, qualis hic The-
saurus est, aut exhauriri omnia, aut etiam pleraque attingi
vellet, nec satis haberet, in universum quid praestitum
sit, recte et considerate dici. Est autem ne hoc quidem
perfacile, quoniam neque de consilio, quo tantum opus
susceptum est, idem omnes sentire verisimile est, et ratio,
qua condi debeat, non modo hominibus aliis alia, sed
etiam gentibus probari videtur. Quibus omnibus sententia

*) Edita est a. 1818. Londini in Diarii classici fasciculo
XXXV.

dicenda satisfacere tanto difficilius est, quod saepe diversis non modo diversa, sed contraria placent. Verum etsi satisfieri omnibus nullo modo posse intelligimus, tamen illud studebimus efficere, ut aequis harum rerum arbitris nihil, quod non idoneis rationibus munitum sit, attulisse videamur. Ac de eo quidem inter omnes convenire putamus, Editores doctissimos Thesauri Stephaniani tantam et in locupletando hoc libro industriam, et in expoliendo diligentiam adhibere, ut inde non possit non summa ad studia Graecarum litterarum utilitas redundare. Cuius meriti quo insignior est magnitudo, quoque plus laboris in illa opera exantlandum est, tanto certius confidimus, neminem fore, quin ex animo gratias, quantae maximae sint, agendas his viris censeat. Quam infiniti enim laboris sit, exempla ab H. Stephano citata exquirere, copias a compluribus hominibus doctis congestas disponere, scriptores omnis generis eorumque interpretes inspicere, in singulis locis vocabulisque quae dubia atque ambigua sunt ponderare, postremo ex his omnibus vera eruere, id is demum recte aestimaverit, qui non dicam ipse similis operae periculum fecerit, sed vel unam alteramve paginam huius novi Thesauri ita pertractaverit, ut, quae ibi exposita sunt, omnia accurate pervestigaret. Et haec quidem tam laboriosa opera quemadmodum Editoribus Thesauri non potest non summae laudi esse, ita nobis excusationi erit, si in sententia de hoc libro dicenda tantum hic illic aliquid delibabimus. Nam si totum hunc Thesauri fasciculum pari diligentia percensere vellemus, vel in legendo eo et per singula considerando plus temporis, quam ad scribendum nobis concessum est, consumendum foret.

Duae res in iis, quae ad litteras Graecas pertinent, longe sunt difficillimae, lexicon scribere, et grammaticam. Vnde id ex doctis hominibus perpauci facere ausi sunt; indocti autem, quippe ne cognitam quidem rei magnitudinem habentes, certatim fecere. Et lexica quidem Graeca qui post Stephanum condiderunt, eorum tantum

abest hunc ut superaverit quisquam aut aequaverit, ut, quum omnes longe eo inferiores esse appareat, optimi ii videantur esse, qui nihil nisi in compendium redegerunt huius Thesaurum. Etenim duplex maxime error in hoc omni negotio dominari solet. Alii enim copiam vocabulorum praecipue consecretantur, in qua est quidem aliqua, sed non primaria virtus posita lexicorum, praesertim quum pleraque huius generis incrementa in verbis vel compositis vel flexionum varietate multiplicatis consistant: quae quum etiam sine interprete facile intelligantur, minus desiderantur ommissa. Alii autem toti se ad origines verborum indagandas dederunt, quod valde quidem laudandum est, quia haec optima est et planissima via ad significationes constituendas, sed nisi admodum caute et circumspecte haec ratio adhibeatur, plus damni ex ea, quam lucri redundare solet. Quam multa enim vocabula in lexicis quibusdam propter illam rationem vel in ordinem recepta videmus, vel commemorata certe, quae non modo nunquam in usu fuerunt, sed magnam partem etiam analogiae et legibus linguae repugnant. Tanto magis nos quidem saepe admirati sumus H. Stephanum, cuius lexicon et virtutibus, quae maximae in hoc genere sunt, ita eminent, et tam immune est a vitiis, in quae facillime quis incidere potest, ut illud non modo vere Thesauri nomine dignum, sed plane divinum opus esse videatur. Ac nostra quidem sententia, qui vere rem aestimare voluerit, tantam fuisse H. Stephano intelliget linguae Graecae scientiam, quanta vix umquam ullo fuit in alio homine. Neque enim veremur, ne quis hoc in Hemsterhusios aut Valckenarios, aut si qui alii horum similes exstiterunt, iniquius dictum censeat, si reputaverit, quanta his discendi adiumenta quum aliunde, tum ab ipso Stephano in promptu fuerint; Stephanum autem, praeter Budaei praeclaram sane operam, vix quidquam, quam quod sua ipse industria sibi parasset, habuisse. Praeterea graviter errant, qui linguae scientiam in eo versari putant, ut quis verba singula, significatus, constructiones exemplis communire possit. Nam haec dimidia tantum pars est eius, quae

recte linguae scientia appellari queat: altera enim pars, 3
et eaque non minus necessaria, immo aliquanto etiam prae-
stabilior, in eo posita est, ut quis ingenium linguae quasi
imbiberit, illamque cum ea familiaritatem contraxerit,
quae eum etiam sine exemplis statim sensu quodam, re-
ctene an secus aliquid dicatur, admoneat. Nam quae tan-
dem haec scientia foret, quae in exemplis tantum consi-
stens, si quid praeter illa exempla occurreret, id nesciret
utrum probandum, an improbandum esset? Immo is de-
mum vere dici potest linguam aliquam didicisse, qui non
minus quam in ea, quae ipsi vernacula lingua est, etiam
sine exemplis statim, quid rectum, quid pravum sit, videt
atque diiudicat. Hoc vero est illud, quod in H. Step-
hano prorsus admirabile deprehendimus: qui ea re dici vix
potest quam longe anteverterit plerosque, qui post eum,
multo commodioribus usi opportunitatibus, vix diuturna
cogitatione id assequuti sunt, quod ipse multo ante quasi
naturali quodam instinctu compertum habebat. Nec pro-
fecto, qui diligenter consideraverit cursum illum, quem
linguae Graecae scientia usque ad haec tempora tenuit,
non poterit fateri, etsi partes eius nonnullae subinde ali-
quid incrementi ceperint, tamen universam paullatim mi-
rum quantum imminutam esse, usque dum novissimis tem-
poribus quasi denuo revixit, et coniunctis doctorum ho-
minum studiis eo adducta est, ut multa, quae non ita pri-
dem etiam doctissimi ignorabant, iam pueris nescire de-
decus habeatur. Quorum nonnulla, quae diligenti docto-
rum virorum opera eruta sunt, si etiam Stephanus nescie-
bat, non illud sane mirum est: at pleraque tamen illum,
quae post quasi denuo reperta sunt, vel nota habuisse,
animadvertimus, vel divinasse certe sensu quodam, qui
in eo viro erat plane eximius.

Huius igitur tanti viri Thesaurus hanc habet prima-
riam laudem, quod in eo de singulorum verborum usu
variisque potestatibus et diligentius est, quam in caeteris
lexicis omnibus, et accuratius, eoque cum temperamento
explicatum, ut neque necessaria omitterentur, neque cu-
mularentur supervacanea.

Secundum hoc illud quoque praeclare factum est, quod verba non sunt singula ad litterarum ordinem disposita, sed pro sua quaeque origine ad capita quaedam relata, quo et derivationes facile perspiciantur, et significationum cognationes ac diversitates statim uno obtutu comprehendi queant. Quamquam hac quidem in parte fieri non potuit, ut ille omnes numeros impleret. Nam et per se valde ambigua est haec de originibus quaestio, et ubi semel hanc viam ingressus sis, modum tenere difficillimum est. Verumtamen hic quoque sapientissimum admirari licet Stephani iudicium, qui plerumque non obsoleta aut ficta verba pro radicibus posuerit, sed ea, quae usitata sunt, et a quibus quid derivatum esset, facile quivis, qui lexico illo uteretur, posset intelligere. Videbat enim in lexico scribendo mediam quamdam viam tenendam esse inter veram, sed magis reconditam verborum cognationem, et eam, quae omnibus aperta esset. Quam viam qui deseruit Dammius in lexico Homericō et Pindarico, quid aliud quam monstrum quoddam lexicī in lucem emisit? Sed quo difficilius est, iustam rationem sequi, et neutram in partem peccare, eo facilius condonabimus Stephano, si non satis constantem in hac re deprehenderit. Sic, ut unum saltem exemplum afferam, disiunxit ille locis verba *τέγγειν* et *τήκειν*, quae sunt unum idemque verbum duplici forma usurpatum.

Commemoravi haec eo fine, ut indicatis praecipuis virtutibus Thesauri Stephaniani distinctius de locupletando et corrigendo eo lexico quaeri posset. Ac non nihil mirati sumus, quid fuerit, quod Editores, quum in epistola ad lectorem, quam interim praefationis loco esse voluerunt, de multis aliis rebus dicerent, de ea, quae primaria erat, nihil plane dixerint, nisi hoc, noluisse se in ipso Stephani libro quidquam mutare. Neque alibi quidquam de ea ratione, qua edituri essent hunc Thesaurum, ab iis scriptum accepimus, nisi quod a viris et inter populares suos et apud externos litterarum Graecarum scientia claris, ut communicarent secum, si quid habe-

rent, quod esset augendo illi libro, petierunt. Ex quo aliquid dubitationis nobis subnatum esse fatemur, an iis cupiditas doctorum, maturari editionem flagitantium, tempus praeciderit, quo opus erat ad tantum opus ita et instituendum et perficiendum, ut illud ex omni parte consummatissimum iudicari posset. Ac vellemus quidem fecissent viri praestantissimi, quod fieri par erat in paranda editione operis immortalis, quae ipsa aeternum huius aevi monumentum exstitura esset: exposuissent prius accurate de universa ratione, quam sibi sequendam putarent, omnesque harum litterarum peritos invitassent, ut suam quisque de ea sententiam in medium afferret, quo deinde id, quod optimum visum esset, et, si non omnium, certe plerorumque assensu comprobatum, adscisceretur atque effectum daretur. Sed bene scimus, nullum esse humanum opus, quod ab omni parte perfectum sit, nec tam iniqui sumus, ut, quod nullam plane reprehensionem admittat, requiramus: immo in tam immenso, tamque variae et multiplicis rationis opere fieri non posse intelligimus, nihil ut sit, quod non queat aliter, ac rectius fortasse institui: sed quo magis ingentem rei difficultatem perspicimus, tanto maiore laude ornandam censemus eorum industriam, qui ut non quod omnibus numeris absolutum esset, at magnum tamen quid et prorsus eximium effecerunt. Verum censoris est, summae perfectionis speciem animo informare, ad eamque, quidquid iudicet, exigere, etiamsi sciat, neminem exstiturum esse, qui facto consequi illam perfectionem queat, praesertim in tali opere, quod verendum erat, ne, si omnia ad summam severitatem expendere Editores voluissent, numquam fuisset in lucem proditurum. Ita igitur ut dici putent, quaecumque dicemus, et Editores praestantissimos, et omnes, qui haec legent, rogamus. Etenim quum ad laudandum infinita suppetat materia, ut commemorandis, quae nobis probantur, finem non essemus inventuri: malumus, quod et utilius et gratius fore lectoribus speramus, ea tantum afferre, in quibus nonnihil ab Editoribus doctissimis dissentimus.

Videntur Editores voluisse, ut hic liber omnem linguae Graecae, quae antiqua et incorrupta habenda esset, ubertatem quam diligentissime explicatam comprehenderet. Ad eum finem quattuor potissimum res erant, quae quod in Thesaurο, quem Stephanus edidit, desiderantur, praecipua cura indigebant: primum, ut adderetur ingens copia vocabulorum, quae vel in aliis lexicis iam reposita sunt, vel adhuc in omnibus desunt; secundum, ut et augerentur ea, quae minus plene explicata a Stephano essent, et corrigerentur, quae minus recte dicta; tertium, ut explanarentur illa, quae certarum doctrinarum propria sunt, earum praesertim, a quibus plerique philologorum alieniores esse solent, ut quaecumque ad res arithmeticas, geometricas, astronomicas, medicas, ad animalium, arborum, herbarum, lapidum naturas et varietates, ad philosophiam, denique ad grammaticam pertinent; quartum, quod aegre quum in Stephani, tum in caeteris lexicis desideratur, ut indicarentur mensurae syllabarum, quae quum omnino non sint negligendae, tum, quoniam pro dialectis scribendique generibus mirifice variant, singularem requirebant in adnotando diligentiam. His rebus quo modo et per quos maxime viros providerint Editores, valde dolemus non esse indicatum. Et illud quidem, quod postremum nominavimus, mensuram syllabarum, neglexisse Editores videntur. Neque illi in nominibus propriis qua ratione usi sint, dixerunt, quorum perpauca commemoravit Stephanus. At, ut nos quidem arbitramur, haec minime omnium negligenda sunt, non solum propter formas, quas vel ipsa, vel etiam quae ab iis derivantur, valde memorabiles habent, sed etiam quia magna pars horum nominum longe antiquissima sunt veteris Graecorum linguae monumenta. Debebat autem ad haec pro hodierno statu philologiae hoc quintum accedere, ut in singulis vocabulis etiam viri docti, qui passim in scriptis suis ea explicuissent, vel aliquid, quod operae pretium esset, de iis protulissent, diligenter commemorarentur, quo, quae in ipso lexico locum non inveniunt, lectores, unde petere deberent, possent cognoscere.

scere. Et hac quidem in re Editores doctissimi non sunt passi diligentiam suam desiderari.

Maiores dubitationes de ordinanda atque adornanda tam diffusa materia moveri poterat. De qua re omnium maxime vellemus, Editores sententiam suam cum lectoribus communicassent. Qui nihil aliud, quam non mutato ullo Stephani verbo librum se paullo melius dispositum exhibituros esse dixerunt. Ac reverentiam quidem illam, quam tanto viro habent, ut, quae ab illo scripta sint, mutare nefas ducant, magnopere laudandam putamus: merito enim liber ille et sua ipsius praestantia et longa duorum et dimidiati saeculi veneratione quamdam quasi sanctitatem adeptus est. Tanto magis miramur, quod, qui adeo religiosos se fore professi erant, ut ne unum quidem verbum Stephani mutare vellent, statim in prima pagina, quod ille scripserat, „*Αλφα*, praeter figuras quas illi in fronte huius paginae dedi,“ sic mutarunt: „*Αλφα*, praeter figuras, [quas ad finem operis, cum omnigenis literarum ductibus et compendiis, subiectas videbis,]“ et paucis versibus post, quod scripserat Stephanus, „ut aliquando, Deo favente, in meo de Calligraphia Graeca libro videbis,“ omittendum, et in adnotationibus ponendum putaverunt, ea causa, quod is Stephani liber lucem non vidisset. At adnotari haec poterant etiam verbis istis nec mutatis nec deletis. Alterum vero illud, quod dicunt, paullo melius a se dispositum iri Stephani lexicon, id quale intelligi voluerint, nemo erit, qui non explicatius declaratum cupiat, si quidem haec res, ut supra innuebamus, dubitationis plenissima est. Atque, ut nobis quidem videtur, etsi optandum foret, ut certiore quadam ratione radices linguae constituerentur, quam ab H. Stephano factum est, ad easque deinde singula verba apto ordine disposita referrentur: tamen nisi quis novum plane lexicon condere vellet, servandum erat illud, quod Stephanus extruxit, aedificium, sed mutatis iis, quae ad usum incommoda sunt. Nam quum praecipua virtus sit lexiconum, ut quam facillime quidque inveniri possit, ei rei non

ubique ab H. Stephano satisfactum videmus. Quod si huic commoditati prospectum ab Editoribus esset, et gratiam iniissent magnam ab omnibus, qui usuri sunt hoc libro, et fecissent, ut opinamur, quod ipse facturus fuisset Stephanus, si iterum edidisset illum Thesaurum. Sunt autem tria potissimum, quae valde incommoda sunt utentibus Stephani libro: primum, quod quaedam, quae per oblivionem omissa fuerant, in calce voluminum adiecta sunt; et haec quidem non dubitamus quin Editores ibi, ubi collocari debebant, reposituri sint; secundum, quod multa, quae quis in ipso Thesauro quaerenda coniiciat, Indici, ac saepe ob eandem illam rationem, quod neglecta fuerant, inserta sunt. Sic statim ab initio, quum verbum *ἀάζω* in Thesauro positum sit, quis non ibidem etiam *ἀάσκω* commemorandum fuisse censeat? At hoc in Indicem coniectum est, nec placuit Editoribus novi Thesauri eam rationem deserere, licet iidem aliquot alia verba ex Indice in ipsum Thesaurum receperint. Cuius consilii quum quas causas habuerint non indicatum sit, non potest ea non inconstantia quaedam videri. Ac nos quidem, Io. Scapulae exemplo, totum Indicem Thesauro ipsi inserere suasissemus: quo facto mirum quantum commoditati utentium consultum fuisset. Nam ne peregrinas quidem voces seiungendas fuisse existimamus, siquidem nulla est lingua, quin aliquas aliunde sumptas voces interdum usurpet: multo minus ea vocabula, quae quarumdam dialectorum propria sunt, ab ipso Thesauro disiuncta vellemus, ut quae et Graeca sint, et saepe antiquissima. Haec suis quaeque locis reposita, deinde poterant indice quodam secundum gentes urbesque disposito enumerari, quo facilius unum in locum congesta, uno etiam obtutu comprehenderentur. Tertium denique, quod incommodum est iis qui Stephani Thesaurum consulunt, hoc est, quod quaedam verba ut ubi quaerenda sint discas, Indicis inspectione opus est. Sic *ρήσσω*, *ρήγγυμι*, et quae hinc derivantur, allata sunt in verbo *ἀράσσω*; *ῥῶ*, *ῥήμα*, in *εἶρω*; *ῥοθός*, *ῥιν*, *βροτός*, *ἀμβροσία*, *ἀβροτάζω*, in *ῥέω*. Haec et similia iis locis poni nos

HERM. OP. II.

P

quidem vellemus, qui supersedere quaerentes molesto illo Indicis usu sinerent. Sed haec, coepto iam opere, frustra optamus. Quin veremur, ne in nova editione etiam augeatur quaerendi labor: de qua re infra dicemus. Nunc illud commemorare satis sit, interdum neglectum esse ordinem litterarum. Sic p. 146. seqq. haec deinceps explicantur, *Αὐτοάγαθος, Αὐτοαγαθότης, Ἐπεράγαθος, Ἐπεραγαθότης, Αὐθυπεραγαθότης, Ἀγαθωσύνη, Ἀγαθικός, Ἀγαθίνος, Ἐπάγαθος, Ἰσάγαθος, Μισάγαθος, Ὀμοάγαθος, Πανάγαθος, Παναγαθία, Φιλάγαθος, Φιλαγάθως, Φιλαγαθία, Ἀφιλάγαθος, Ἀπειράγαθος, Ἀπειραγάθως, Ἀπειραγαθία, Ἀπειραγαθῶ, Ἀρχάγαθος.*

Sed dicendum iam est de ipsis incrementis, quibus locupletari hic Thesaurus coeptus est. Quorum tam infinita copia est, eaque tam accurate tractata, ut incredibilem Editorum industriam ac diligentiam non solum gratisimo animo agnoscamus, sed maxime etiam admiremur. Et primo, praeter ea, quae Editores ipsi congesserant, opibus eos usos esse ex schedula tertio fasciculo adiecta cognoscimus Schaeferi, nostratis, cuius immensas copias ipsi vidimus; deinde Boissonadii, Schweighäuseri, Coraii, Kallii; tum adnotationibus ad Scapulam MSS. Ruhnkenii, Valckenarii, Brunckii, et ad Hederici lexicon Wakefieldii et Routhii; denique non exiguis collectaneis Seageri, aliorumque Britannorum. Haec praesidia ita ad Stephani Thesaurum adhibuerunt, ut iis partim in ipso textu, partim in subiectis adnotationibus locum concederent. De hoc textu, hisque adnotationibus iam dicatur explicatius.

Et textum quidem non sumus ita morosi ut totidem ubique litteris, quot a Stephano, exhibendum fuisse censeamus, sed non intelligimus tamen, cur quantumvis levibus in rebus recedendum a prima editione fuerit. Constatulimus eo fine diligenter primas tantum quattuor paginas: in quibus septies signa parentheses omissa, „jocum,

jocatur,“ pro „iocum, iocatur,“ (quae Latina est scriptura, cuius neglectio interdum errores gignit, ut quod p. 271. A. scriptum est, „a Jamblichō,“ quod Latine dici debebat „ab Iamblichō“) Juvenalis xiv. „pro Iuvenal. Sat. 14.“ „Stephanum Byz.“ pro „Stephanum,“ et alia huiusmodi animadvertimus: quae etsi levia sunt, et neminem morantur, tamen, quum caussa mutandi nulla esset, non fuisse mutanda existimamus. Maius vero incommodum ex eo ortum videmus, quod quae ab ipsis Editoribus textui inserta sunt, saepe ab iis, quae Stephanus scripserat, distingui nequeunt. Nam unci sive semicirculares sive angulares, quos plerumque apposuerunt, non idoneum praebent indicium, quum utrisque etiam ipse Stephanus usus sit. Sic quod p. 4. C. scripserunt, „apud Stephanum Byz. (v. Γάργαρα)“ et mox D. „(Capitol. in Pertin. c. l. Puer literis elementariis, et calculo imbutus.)“ quis, nisi veteri editione inspecta, non esse, quae uncis inclusa sunt, ab ipso Stephano addita sciet? Quid vero de eo dicamus, quod quaedam sic immutata et alienis permixta sunt, ut plane, quae Stephani verbis nova accesserint, dignosci nequeat? De nomine ἀβακίσκος Stephanus haec scripserat:

„Αβακίσκος, ου, ό, Tessella pavimenti, Budaeus. Moschion apud Ath. 5. ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. Vbi Eustathius, ἐνθα ὄρα τὸ ἀβακίσκοις· ἐξ οὗ δῆλον ὡς οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ καὶ τὸ ἀβάκιον, ἀλλ' ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσημόνων ξυλίνοις ἄβαξιν.“

Haec in nova editione ad hunc modum interpolata sunt:

„Αβακίσκος, ου, ό, Tessella pavimenti, Budaeus. Moschion ap. Athen. 5. (p. 207. c.) Ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων, ἐν οἷς ἦν κατεσκευασμένος πᾶς ὁ περὶ τὴν Ἰλιάδα μῦθος θαυμασίως. (Loquitur de Hierone, qui tessellatis suae navis pavimenti universum Iliadis argumentum curaverat exprimendum. Sic rex Franciscus, notante

Casaubono, pater ille et Maecenas literarum ac literatorum, in cujusdam praelongae ambulationis, quae Fontebellae-aquae visitur, parietibus, universae Odysseae argumentum solertis pictoris penicillo spectandum exhibuit.) Eustathius (ad Od. x. p. 1927 = 786, 61 = 38.) *Δῆλον δ' ὅτι τὸ τοιοῦτον βασιλικὸν δάπεδον καὶ κραταίπεδον ἂν εἴη διὰ τὸ ὡς εἰκὸς λιθόστρωτον εἶναι· περὶ οὗ σαφῆς φράσις, τὸ, ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. Ἐνθα ὄρα τὸ ἀβακίσκος· ἐξ οὗ δῆλον ὡς οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ καὶ τὸ ἀβάκιον, ἀλλ' ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσημίωνων ξυλίνοις ἄβαξιν. (De opere musivo fuse et docte egit Casaub. ad Sueton. i. 46.)*

Cuiusmodi interpolationibus quid aliud effectum est, quam ut, qui scire velit, quid Stephanus ipse dixerit, veteri editione carere nequeat? Et quam multi, quibus olim illa non ad manum erit, ambiguitate ista in errorem conuicentur, Stephanoque tribuent, quae numquam ab illo scripta fuerunt? Praeter haec illud quodque valde incommodum est, quod, quae ex aliorum scriptis deprompta sunt, etsi fere uncinulis ad primum ultimumque verbum appictis „distinguuntur, tamen propter multitudinem horum uncinulorum saepe diu quaerendum est, usque 9dum, cuius ea verba sint, reperias. Haec omnia talibus quibusdam signis appositis, quae facile ultro in oculos incurrerent, evitari potuerant. Contra, quae ex Indice Stephani recepta sunt, non opus habebant uncinulis istis ad singulos versus appositis, quibus rectius, quae aliorum additamenta sunt, discreta fuissent. Quod de textu, etiam de adnotationibus dictum volumus, quarum in plurimis, quae longissimae sunt, saepe magna diligentia opus est, ut animadvertamus, utrum Editorum, an aliorum verba legamus. Praeterea illud quoque molestum est, quod qui in textu positi sunt minutissimi numeri, ad quas notae referantur, ita oculos fugiunt, ut saepe diu omnia perlustranda sint, priusquam locum, ad quem spectet adnotatio, invenias. Quod facile vitari poterat, numeris istis

paullo maiore in spatio ad hunc modum exhibitis, (†). Sed satis dictum de externa specie libri, de qua hoc unum adiiciemus, ubi integrae paginae, ac magis etiam, ubi plures paginae in unius vocabuli explicationem insumptae sunt, valde incommodum esse evolventibus librum, quod in summo margine primae tantum vocabuli litterae positae sunt. Ita quum de nomine *ἄγαλμα* a. p. 181. usque ad p. 320. et ultra explicetur, singulis paginis adscriptae sunt litterae *ΑΓΑ*, non minus quam iis paginis, quibus alia ab his litteris incipientia verba continentur. Multo melius fuisset, ut nos quidem arbitramur, si integra vox *ΑΓΑΑΜΑ* in his paginis legeretur, quo statim, qui aliquid quaerere vellent, quo in loco Thesauri versarentur, animadverterent.

Videamus nunc de eo, quod caput est, de incrementis ipsis, quibus in nova editione auctus est Thesaurus. Ac quid faciendum hac in parte fuerit Editoribus, non potest ambiguum esse: indicandum erat, exempla a Stephano citata quibus librorum capitibus, paginis, versibus exstarent; corrigendum, quod ille minus recte dixisset; explicandum uberius, ubi ille pro rei conditione iusto brevior fuisset; supplendum, quidquid vocabulorum vel fugisset Stephanum vel latuisset; adnotandum denique, qui viri docti de quibusque verbis hic illic disputavissent. Haec vero omnia facta sunt ab Editoribus egregie, et sic, ut difficilius omissum ab iis quidquam, quam allata multa, quae potuerint omitti, reperias. Id quod vel ex eo aestimari licet, quod quae in veteri editione paginis xxiv. et iterum 14. comprehensa sunt, hic paginas implent trecentas et viginti.

Raro, quamvis in summa Editorum diligentia, aliquid omissum videas. Sic quem Stephanus p. vi. affert Prisciani locum, etsi facile apparet, non procul ab initio operis quaerendum esse, tamen non est indicatum inveniri p. 540. ed. Putsch. — In voce *ἀβρός*, de qua copiosissime est et doctissime explicatum, non vidimus citata

quae Valckenarius scripsit ad fragmenta Callimachi p. 233. Caeterum insigni diligentia efficere studuerunt Editores do-
 10 ctissimi in adnotatione tertia p. 43. ἄβρα, non ἄβρα esse scribendum, siquidem librariis in huiusmodi re fides est, qui saepe in spiritibus ponendis negligentissimi sunt. Accedit, quod recentior pronuntiatio, quae etiamnum in usu est Graecis, non solet exprimere spiritum asperum. Quare quod aiunt Editores: — „Atticam sane scripturam esse ἄβρός, non ἄβρός, minime dubium est, ut satis patet ex iis, quae supra notavimus. Atqui aequè patet e locis ibi laudatis, Ἐλληνικῶς scripsisse“ („scriptum esse“ dicere volebant) „ἄβρός, non ἄβρός,“ valde dubitamus an non sit verum. Redit enim res, si ab exemplis disces- seris, in quibus librarii lenem spiritum posuerunt, ad auctoritatem Eustathii, quem apertum est dubitanter loqui et ita, ut dumtaxat coniecturam faciat. Sic enim scribit: ὅτι δὲ καὶ τὸ ἄβρός, εἴπερ ἐκ τοῦ ἄ στερητικοῦ καὶ τοῦ βάρους βαρυντόνου δασυνθέν Ἀττικῶς καὶ συγκο- πὲν ὠξυτονήθη. — In eadem voce quod scribunt Editores p. 44. „Schneidero in Lex. post Guyetum ap. Albert. ad Hes. v. ἄβραι, vox ἄβρός videtur descendere ab ἄβη, ἦβη, ἄβερός, lanuginosus, mollis. At hanc etymologiam esse falsam plane evincit primae syllabae quantitas, quae semper apud vetustiores scriptores corripitur,“ non satis pensitate dictum putamus. Nam ut falsum sit, ἄβρός ab ἦβη derivatum esse, de quo non contendimus, at recte tamen ab ἦβω, unde ἦβη est, deducetur. Ita a τήκω fit τακερός, ab ἦδω ἄδρός, a σήθω σαθρός, a σήπω σα- πρός, et alia similiter plurima. Neque illud accurate dictum, apud vetustiores scriptores corripì. Producitur enim apud Anacreontem et Pindarum, corripitur apud Atticos, quod hi productiones propter mutam cum liquida non amant: quamquam in compositis etiam Attico- rum poetae tragici produxerunt: neque enim natura longum est α. in hac voce.

Similia quaedam notari posse videmus in voce ἄγαν. Cuius quum duas significationes posuisset Stephanus,

Nimis et Valde, et utramque invenire sibi visus esset in illo versu Alpei,

τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει,

haec adiecerunt Editores: „At contra Aristoteles Rhetor. ii. 21.: *Οὐκ ἀρέσκει δέ μοι τὸ λεγόμενον, Μηδὲν ἄγαν· δεῖ γὰρ τοὺς γε κακοὺς ἄγαν μισεῖν.* Eurip. Hippol. 263. *Οὕτω τὸ λίαν ἤσσον ἐπαινώ τοῦ μηδὲν ἄγαν, καὶ ξυμφήσουσι σοφοὶ μοι.* Pindarus ap. Plut. T. ii. p. 116. D. Hephaest. de Metris p. 91. ed. Gaisf. *Σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἰνήσαν περισσῶς.* Palladas Ixii. Anal. T. i. 420. *Μηδὲν ἄγαν τῶν ἐπτά σοφῶν ὁ σοφώτατος εἶπεν.*“ Fatemur, quem ad finem haec dicta sint, nos non satis assequi. Nam videntur quidem hoc velle, non magis in Alpei versu utramque inveniri huius adverbii significationem, quam in his, quos afferunt, aliorum scriptorum locis. Quod etsi recte eos contendere putamus, tamen, si *ἄγαν* Nimis significat, *μηδὲν ἄγαν* autem Latine est Ne quid nimis, quid aliud responsurum censebimus Stephanum, quam hoc; in illis quoque exemplis *μηδὲν ἄγαν* Ne quid nimis significare,¹¹ et apud Aristotelem quidem, eodem modo ut apud Alpheum, utraque significatione positum esse *ἄγαν*. Ex quo apparet, alio modo refutandum fuisse Stephanum: et id ipsum facere debebant Editores. Nam falsum est, *ἄγαν* esse Nimis, si quidem hoc Nimis significat id, quod iusto maius est. Etenim neque Graeci neque Latini habent, quo sine circumlocutione id, quod modum excedit, expriment: quae praerogativa est recentiorum linguarum. Itaque necessitate coguntur positivo vel comparativo gradu uti, ubi excessum significare volunt, et quemadmodum *ὑδὼρ ψυχρὸν ὥστε λούσασθαι*, aquam frigidiorē, quam qua quis lavetur, dicunt, ita etiam *ἄγαν* et *λίαν*, quae nihil nisi Valde significant; de eo, quod supra modum est, usurpare solent. Nec Latina Nimis et Parum proprie aliud sunt, quam Valde et Paullum: nisi quod Nimis fere in vulgari sermone primam significationem retinuit, in oratione cultiore autem de eo, quod iusto maius esset, dici

solitum est. — De eodem illo *ἄγαν* quae contra Spohnium dicta sunt p. 70. et quae ibidem de consociatione eius cum superlativis, non ad verbum *ὑπεραγανακτῶ*, ubi nemo illa exspectaret, sed ad ipsum adverbium *ἄγαν* afferenda erant. — Ad idem adverbium p. 63. adsripserunt verba Blomfieldii, cui Aeschylus in Persis v. 832. non *Ζεὺς τοι κολαστῆς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν*, sed *τῶν ἄγαν ὑπερκόμπων* dedisse videbatur, et adnotarunt, Stobaeum Serm. xxii. et Apostolium Prov. Cent. xiii. (hic error est: centuria est xlv.) pr. i. ad Euripidis versum a Blomfieldio citatum respexisse, simulque alios, cuius scriptoris iste versus esset, nescivisse observarunt. Non improbamus hanc adnotationem, quae sane bona est: sed aliud erat, quod non omissum vellemus. Nam quum Blomfieldii verba adducere lectorem possint, ut hunc negare putet, recte dici *ὁ ὑπέροκμος ἄγαν*, ac potius sic oportere, *ὁ ἄγαν ὑπέροκμος*: etsi is hoc non voluit, ut qui in eadem fabula v. 799. *τοὺς ὑπερπῶλους ἄγαν* dederit: quoniam nulla huius verborum collocationis exempla attulerant, non abs re fuisset monere, non solum saepe adiectivo postponi *ἄγαν*, maxime apud Aeschylum, sed recte id fieri etiam ubi articulus adiceretur: cui rei confirmandae et hic Aeschyli versus, quem in suspicionem adducere voluit Blomfieldius, et alter ille, in quo mira illa vox *ὑπερπῶλους* nobis nihil nisi error librario- rum pro *ὑπερπολλούς* esse videtur, inservire poterat. — Simili observationi locus erat in eodem adverbio, ubi locum Platonis Polit. viii. p. 564. A. ita scriptum dederunt: *ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς [την] ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ιδιώτη καὶ πόλει*. Articulum quem uncis incluserunt, nec libri habent, quod sciamus, nec Stephanus posuit, ut eum editores propterea, quia necessarium putabant, adiecisse videantur. At uti addendus est articulus, ubi finitum est nomen, ita omittendus est, ubi est infinitum. Sic recte di-
12 cas, *αὕτη ἐστὶν ἄγαν δουλεία*, haec est gravis servitus: quod ubi dixeris *αὕτη ἐστὶν ἡ ἄγαν δουλεία*, hoc significaveris, haec est illa gravis servitus. — Non rectius,

ut nostra quidem opinio est, p. 65. Stephanum reprehenderunt, verbum *ἀγανακτεῖν* accusativo iungi dicentem: quam constructionem ipsi per ellipsin particulae *διὰ* explicant. Putabamus vero, iis, quae de ellipsi in Museo studiorum antiquitatis disputavimus, pridem effectum esse, ut istiusmodi ellipses nemini erudito amplius probarentur: neque in Germania quidem quisquam, praeter quosdam, qui in vetustiore disciplina consenuerunt, de tali re cogitat. — Porro non erat praetereundum, ultimam syllabam adverbii *ἄγαν* natura longam esse, et saepius errasse viros doctos, quum brevem esse rati, addito *γε* producendam curarunt. Sed recentiores quosdam, ut Palladam epigr. 124. et Agathiam epigr. 4. corripuisse eam syllabam. — Cum hac observatione autem coniunctissima erat alia, quam ipsam quoque aegre ferimus praetermissam esse. Nam neque epici, neque Iones illo *ἄγαν* utuntur, quo si essent usi, non *ἄγαν*, sed *ἄγην* dicere debuissent. Hi igitur pro eo *λίην* usurpant, *ἄγαν* relinquentes Doriensibus et Atticis. — Nec denique non acceptum fuisset, si de differentia, quae est inter *ἄγαν* et *σφόδρα* et *μάλα*, aliquid adnotare Editoribus placuisset. Nam *λίαν* quidem et *ἄγαν* plane eandem vim habent; illa vero, *σφόδρα* et *μάλα*, et ab his, et inter se differunt. Solent autem huiusmodi synonyma nimis negligenter haberi, in quorum varia potestate admirabilis cernitur elegantia. Sic, ut aliquid saltem afferamus, *μάλα* prorsus respondet Germanico *gar*: unde illud usitatum *μάλ' αὐθις* explicari potest, omnisque reliquus huius adverbii usus: qui quum sit frequentissimus apud epicōs, multo debiliorem vim apud hos hoc adverbium habet, quam apud Atticos, longeque diversa sunt Homericum *μάλα μέγας*; et Sophocleum illud in Oed. Col. v. 1462. *μάλα μέγας ἐρεῖπεται κτύπος*.

In v. *ἀγαπάομαι* p. 78. quum id Stephanus nonnumquam etiam de amore venereo dici contendisset, exemplis ab eo citatis addiderunt Editores aliud ex Luciano, et auctoritatem Pollucis. At monendum potius

erat, etiamsi *ἀγαπόμενος* et *ἀγαπωμένη* de iis interdum diceretur, quos quis veneris usu cognitos habet, tamen ab ipso verbo huius rei significationem plane alienam esse. Id quod confirmant, quae p. 84. de nominibus *ἀγαπητοὶ* et *ἀγαπηταὶ* adnotata sunt.

Non prorsus inutile forsitan fuisset, in compositis ex v. *ἀγαθός* duo corrupta vocabula ex Aeschylo, *πλουταγαθός* et *φιλαγαθός*, adnotare, de quibus videndus Blomfieldius ad Sept. c. Theb. 912.

Dedimus specimen eorum, quae vel addi potuisse, vel paullo accuratius dici putaremus. Nunc dicatur de iis, quae omitti potuisse videantur. Atque horum quadruplex genus est. Alia enim plane et omnino supervacanea erant; alia brevius et contractius dici poterant; alia rectius aliis locis servata fuissent; alia denique, quamvis praeclara, a Thesauro hoc alieniora erant. Persequemur singula.

- 13 Ac primo, quum neminem fore putemus, quin in tam largae materiae opere brevitati, quoad fieri posset, studendum fuisse censeat, facile omnes nobiscum consensuros speramus, si, quidquid aut non ad rem pertineret, aut nihil utilitatis afferret, omitti debuisse contenderimus. Ac mirati sumus, nonnulla ab Editoribus adscripta esse, quae quo fine adiecta sint, plane non apparet. Satis habebimus, haec duo ex primis paginis commemorare. P. 2. quum Stephanus obiter dixisset; „ex *Κάππα* quidam *Κόππα* fecerunt: unde putatur esse *κοππατίας* dictus quidam equus ap. Aristoph.“ non modo versus illi Aristophanis ubi legerentur, sed ipsa etiam verba poetae apposita videmus. Atqui ut alterum facerent, certe verba adscribi minime erat necessarium. Magis mirum hoc est p. 9. ubi scripserat Stephanus: „Quam expositionem habet et unum ex meis vet. Lexicis.“ Ad haec verba hanc adiectam videmus adnotationem: „In Etym. M. p. 619. „10., pro *Οισπώτη*, *ὄπλη προβάτου*, legendum vide-

„tur κόπρος προβάτου, tametsi etiam propugnat Ms.
 „Cod. Leidensis, quem innuit Veteris sui Lexici appella-
 „tione H. Stephanus in Thes. Gr. Ling. T. ii. p. 1250.
 „c.‘ „Koen. ad Gregor. Cor. p. 543. „Secundum Val-
 „ckenaerium ad Ammonium p. 128. H. Stephanus per
 „Vetus Lexicon suum interdum etiam Ammonium intelli-
 „git. Causa haec est, quod Etymologicum Leidense,
 „pariter ut Sorbonicum et Parisinum, plurimos Ammonii
 „articulos complectitur.‘ Bast. I. c.“

Quid hic sibi vult οἰσπώτη, ubi de *ᾶ ἐπιτατικῷ* disputat Stephanus? aut quid tota adnotatio, ex qua non intelligas, utrum velint vetus Lexicon hic Etymologicum, an Ammonium intelligi? Atqui Etymologus habet istam nominis *ἀγύνετος* expositionem, de qua loquitur Stephanus, non etiam Ammonius. Ex his igitur omnibus ea, quae ad rem pertinebant, tribus verbis absolvi poterant, nominatis Koenio et Bastio auctoribus, sed verbis eorum omissis. — Alia huiusmodi alibi inveniuntur. Sic p. 165. ubi observant, male Kusterum in Suida *ἀγαθύναι* pro *ἀγαθύναι* scripsisse, in adnotatione apposuerunt testimonium Regularum de prosodia a nobis editarum, ut comprobarent, verba in *υνω* desinentia *υ* longum habere. At hoc eiusmodi est, ut, quia ab nemine ignorari debet, ista auctoritate plane non indigeat. — P. 55. scripserat Stephanus, „*Ἀβρύνω*, ut *καλλύνω* a *καλός*.“ Et profecto hoc satis erat, neque apparet, cur *ἀπαλύνω*, *ἐλαφρύνω*, *ιλαρύνω*, *λαμπρύνω*, *λεπτύνω*, *μακρύνω*, *μαλακύνω*, *μικρύνω*, *ὀμαλύνω*, *σεμνύνω*, *σκληρύνω*, *σμικρύνω*, *σφοδρύνω*, *φαιδρύνω*, et quidem etiam apposito ad singula horum verborum adiectivo, unde ea formata sunt, Editores adiecerint. Non plus enim centena, quam unum exemplum probant: et, si quam plurimis opus fuisset, cur *ἀγαθύνω* et *κακύνω* omissa sunt? — Leve est aliud, sed in quo certe operae compendium fieri poterat. Immensam enim et in textu et in notis reperimus copiam stellarum vocibus a Stephano omissis ap-14 positarum. Quae stellulae in Indice utiles nobis viden-

tur, quo statim appareat, quam ingenti numero verborum aucta sit haec editio: sed in textu notisque nihil intererat lectorum, utrum iam a Stephano haec vocabula, an nunc demum recepta essent.

Multo plura sunt, quae brevius dici et potuisse, et vero debuisse putemus. Eo referimus illa potissimum, quae Editores praeter necessitatem ipsis verbis virorum doctorum, quos auctores adhibent, adscripserunt. Nam etsi in universum illud valde probamus, quod verba illorum potius, quam mentem exhibendam duxerunt, quo certius lectoribus de quaque re constaret, neque erroris aliqua suspicio subnasceretur: tamen multo hoc cum delectu faciendum fuisse censemus, ne etiam ea afferrentur, quibus haud aegre carituri essent lectores. Eiusmodi sunt verbosae quaedam adnotationes Schweighäuseri, quas hic repeti, ut p. 55. atque alibi, profecto inutile erat. Atque omnino laudanda quidem magno opere est aequitas illa, quae in litteris non quis aliquid, sed quid quisque dixerit, spectandum putat: sed ob hanc ipsam tamen causam vellemus aliquot locis non esse promiscue quorumcumque hominum verba allata. Sic p. 54. cur ad verba Sapphus,

*ἐγὼ δὲ φίλημ' ἀβροσύναν,
καὶ μοι τὸ λαμπρὸν ἔρος
ἀελίω καὶ τὸ καλὸν λέλογχε,*

(ita enim hi versiculi, si sic scripsit Sappho, disponendi sunt) verba adscribi opus erat Volgeri, non modo sensum explanantis, qui satis planus factus erat eo, quod integrum Clearchi, qui haec affert, locum Editores apposuerant, sed falso etiam contendentis, *λέλογχε* quod bis *λέλογχε* scriptum videmus, ut apud Blomfieldium) active dictum esse? Huic Volgero, qui dissuadentibus nobis edidit fragmenta Sapphus, Editores Thesauri etiam in rebus metricis aliquid tribuere videntur, ut ex eo colligimus, quod in adnotatione subiecta his verbis eius mentionem faciunt: „Versus in ordinem redigendos aliis relin-

quimus (vid. Volgerus p. 89.);“ at in re metrica quum omnino nulla est huius auctoritas, tum hoc in loco omissionis signo ante *μοι* ponendo fecit id, quod quis, ubi meliora desunt, fabere potest. Eiusdem Volgeri longam adnotationem, in qua inauditi quidam trimetri trochaici, et perinepte quidem restituuntur, non dubitarunt totam exhibere p. 301. seq. — Praeterea vero etiam alia quaedam, quae minoris momenti sunt, aliquid compendii quum libro ipsi, tum operae Editorum afferre poterant. Cuiusmodi est, quae toties citatur *Συναγωγή λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν* in Bekkeri Anecdotis edita: quae quum brevissime *Συναγωγή λέξεων* vocari posset, cur tam saepe longus iste et molestus titulus ponitur? Sed videmus Editores ipsos tandem pertaesos huius tituli etiam brevius scripsisse *Συναγωγή λέξεων χρησίμων*, ut p. 197. C. 208. C.

Tertium supra illud commemoravimus, quod multa aliis locis servanda fuerint. Hoc vero est, in quo omnino nobis videmus a doctissimorum Editorum sententia discedendum esse. Nam etsi gratissimi agnoscimus incredibilem operam, qua tam immensam utilissimarum rerum copiam congesserunt, tamen, quamvis illa bona, immo haud raro egregia sint, permagnam partem adnotationum ab his, in quibus leguntur locis, alienissimam esse contendimus. Vt de plurimis pauca certe exempla indicemus, quae p. 67. de verbo *ἔχειν*, p. 101. seq. de *ἔσμός*, p. 107. de *θαυμαστός* et *θαυμάσιος*, p. 131. seqq. de *ἀμφιδρόμια* et de *λεξιθηρος* eiusque cognatis, p. 173. de *λω* adnotata sunt, nemo hic, sed illic, ubi Thesauri ipsius ordo verborum ea commemorari postulat, quaerenda putabit. Qualia quum nusquam non reperiantur, quid aliud praevideri potest, quam Indice opus fore multo maiore, quam veteris editionis Index est? neque hoc solum, sed qui vel de uno verbo eum Indicem consulat, ad plurima novi Thesauri vel volumina vel loca ablegatum iri, ut, quae diversissimis in locis dispersa sunt, cognoscat atque in unum colligat. Cuius-

modi Indicis faciendi quantam molestiam sibi, quantam autem Thesauri conferendi omnibus, qui eo usuri sunt, ea re Editores pepererunt. Atqui maxima et primaria virtus lexicæ est, ut non nisi quam paucissimos in quaque re locos inspicere necesse sit. Apertum est autem, in tam infinita rerum copia ac varietate mirum, immo ultra humanam facultatem fore, ni in Indice illo, quo hic Thesaurus opus habebit, et verba multa, et locos, ubi de iis verbis agatur adnotare Editores negligant. Exempla vel huius fasciculi Index præbet. Sic in v. *ἡγάθεος* non commemoratur p. 259. n. l. bonam illa observationem continens, quæ ommissa erat in illis duobus locis, qui adscripti in Indice sunt. Præterea ratio illa non modo ad inveniendum, quod quis quaerat, molestissima est, sed etiam invento lectorem frustratur, quoniam in tanta, quantam congestam videt, materia denuo haeret, ubi illud ipsum, quod voluit, inveniat. Nusquam hoc magis conspicuum est, quam in iis, quæ de nomine *ἄγαλμα* allata sunt. De quo quum exponi coeptum esset p. 181. nondum finita est illa disputatio p. 320. quæ ultima est huius fasciculi. At quis ducentas et quadraginta paginas unius vocabuli causa perlegere sustineat? Aut quis hic speret se longas dissertationes de Hecate, de *περιστίοις*, aliisque huiusmodi rebus permultis inventurum esse: quæ etiam eo lectorem morantur, quod difficulter, ubi incipiant et ubi desinant, invenitur. Denique quis expectet, magna diligentia hic enumerari, ubi *ἄγαλμα Πανός*, *Διός*, *Ἀρτέμιδος*, et sic caeterorum numinum apud veteres dicatur? Atque ut habeat aliquid utilitatis hæc enumeratio, quis non deos illos secundum litterarum ordinem commemoratos volet, non autem, quod hic factum, sine certo ordine? quæ res mirum quantum auget quaerendi laborem. Omnino, si usquam, in his, quæ de ista voce dicta sunt, mira regnat confusio ac perturbatio. Sic quum p. 197. allatus esset locus Eustathii de discrimine inter *ἄγαλμα* et *χάρμα*, sequuntur *Πανός ἄγαλμα* isto significato, et *Ἐκάτης ἄγαλμα*, cum tota illa dissertatione de Hecate, ac tum demum p. 257.

in viam reversi pergunt Editores: „*Άγαλμα* passim a Poetis sumitur pro Decus, Ornamentum, Deliciae.“ Aequius haec ferremus, si fecissent, quod antiquiores facere solebant, qui in marginibus breviter adnotabant, de qua re sermo esset. Sic certe, qui aliquid quaererent, immenso illo omnia perlegendi labore liberati forent. Sed quoniam de voce *ἄγαλμα* sermo nobis fuit, non abs re erit commemorare dissertatiunculam, quam mense Februario huius anni Car. Godofr. Siebelis, rector scholae Buddissinae, de vocabulis *ἄγαλμα*, *ξόανον*, et *ἀνδριᾶς* apud Pausaniam edidit: etsi hic multo pauciora, quam doctissimi Editores Thesauri p. 185. seqq. dederunt, attulit, in iisque hoc, quod mireris viro Graece non indocto excidere potuisse: „Pro voce *ἄγαλμα* passim apud recentiores usurpatur *ξόανον*, quod iam a Phavorino observatum est dicente: *ἀγάλματα παρὰ τοῖς ὕστερον τὰ ξόανα*: cf. Valcken. ad Ammon. p. 169.“ In quibus triplex error est. Nam quem non statim leges grammaticae admoneant, plane contrarium dicere Favorinum? Et si quis est, quem non admoneant, at illa debebant admonere, quae statim addit Favorinus: *παρὰ δὲ τῷ ποιητῇ, πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάζεται*. Denique apud Valckenarium nihil exstat, quod ullo modo ad istam interpretationem trahi possit.

Postremum supra illud posuimus, esse etiam, quae, ut alieniora a lexico, plane videantur omittenda fuisse. Et huius quidem generis veremur, ne non adeo pauca, si quis severius rem aestimare velit, inveniri queant. Referimus eo illa potissimum, quae ex libris, qui in omnium manibus et sunt et esse debent, Thesauro illata sunt. Vno defungamur luculento exemplo. Neminem fore putamus hominum has litteras tractantium, qui non Valckenarii scripta, in iisque praeclara illa Theocriti decem idyllia possideat. Ex hoc igitur libro cur, quum in Thesauri p. 10. de *ᾶ* intensivo diceretur, pleraque, quae ibi disputata erant, repetita sunt? Quae si erant repetenda, certe id in singulis istis vocibus, quae *ᾶ* intensivum ha-

bere putantur, faciendum erat. Quanto rectius ipse Stephanus eo ipso loco, de vocabulo *ἄξιλος* loquens, „ut docebo,“ inquit, „suo loco, i. e. inter vocabula, quae ex „nomine *ξύλον* per compositionem sunt facta.“ Nobis ita videtur, melius Editores lectoribus consulturos fuisse, si nominassent tantum hic Valckenarium, et, omissis ipsis eius verbis, enumerassent vocabula, in quibus creditur *ᾶ* hanc significationem habere, quo, qui id agerent, singula suis locis posita quaererent. Non minus dubitari posse
 17 videmus, an disputationes quaedam de interpretandis emendandisque nonnullis veterum scriptorum locis alienae videri a lexicis officio debeant. Sic quae de versu quodam Epinici apud Athenaeum ad Thesaurum p. 48. seq. et p. 100. seq. disputantur, tanto magis videntur omitti potuisse, quod ea ipsa disputatio doctissimi Barkeri inserta est Wolfii *Analectis litterariis*: ubi nos quoque nostram de eo loco sententiam exprompsimus.

Sed satis dictum videtur de ratione, qua haec nova Thesauri Stephaniani editio institui coepta est. Nunc unum alterumve locum paullo accuratius considerabimus. P. 259. quum in v. *ἄγαλμα* obiter commemorata essent verba Euripidis in *Heracl.* 898. *πολλὰ γὰρ τίθει Μοῖρα τελεσσιδώτειρ', Αἰὼν τε Κρόνου παῖς*, in subiecta adnotatione primo Elmsleii ad eum locum verba afferuntur, cui verbum *τελεσσιδώτειρα* per *ῶ* scriptum analogiae repugnare videbatur. Addunt Editores, utramque formam satis probam esse, pariter ut a *βόσκω* formata nomina nunc *ῶ*, nunc *ῶ* habeant, sed correptam vocalem Atticis poetis magis, prosae orationis scriptoribus unice placuisse. Exempla maximam partem ex Orphicis depromunt, obiterque *ἡγεμόνην* apud Callimachum h. Dian. 225. a Blomfieldii coniectura defendunt. Laudamus hanc diligentiam, sed non dissimulamus tamen, non omni ex parte vera haec aut satis accurate disputata nobis videri. Primo enim non erant formae *δότης*, *δότηρ*, *δώτωρ*, perinde habendae. Nam *δώτωρ* nec simplex, neque in compositione usquam habet correptam vocalem. Butleri inventum

est βαρυδότηω in Indice Aeschyli. Illa duo altera autem variant. In iis hoc recte observarunt Editores, prosae orationis scriptores brevem vocalem usurpare: poterantque in eam rem aptissimum exemplum afferre, βιοδότης, ex Platonis lib. xi. de Legg. p. 921. A. et, quod ex Iuliani orat. iv. p. 148. D. commemorarunt, χαριδότης, Plutarchi firmare auctoritate in Antonio c. 24. T. v. p. 139. Reisk. sive p. 1695. Steph. Poetis utraque forma usitata est, pro metri commoditate. Sed non tamen propterea continuo τελεσσιδώτειρα probandum videtur, ut fortasse non iniuria Elmsleius hoc repugnare analogiae dixerit, licet ille aliam, ac debebat, analogiam spectans. Ab Atticis enim formam illam abiudicat. At in poeticis vocabulis nullus aut perexiguus est dialecti usus, sed illa spectanda est analogia, quae universe apud poetas formarum varietatis inventrix fuit. Pendet ea autem ex duobus primariis, iisdemque antiquissimis metris, dactylico et iambico, atque ex his quoque dactylicum aliquam praerogativam habet. Hinc et haec vocabula, quae a δίδωμι facta sunt, et plurima alia, ita videmus composita esse, ut aut ad dactylicum genus, aut ad iambicum accommodarentur. Neutri vero generi apta est haec forma, τελεσσιδώτειρα, quam dactylici numeri τελεσσιδώτειρα, iambici autem τελεσσιδώτις esse postulabant. Quo magis suspectam habemus istam scripturam apud Euripidem, 18 praesertim quum codd. ibi τελεσσιδώτειρα praebeant. Et hoc quidem defendi fortasse poterit, ultima non elisa, et in antistropha inserto τι ante παραιρῶν: sed fatemur tamen, hiatum in fine huius versus nobis non magnopere placere. Quare veremur, ne in antistropha φρονήματος ex interpretatione receptum sit, poeta autem sic dederit, τῶν ἀδίκων τι παραιρῶν Αἵματος αἰεὶ. Caeterum quod obiter addunt doctissimi Editores, in Bekkeri Anecdotis i. p. 361. pro Αἰγυπτῆς scribendum sibi videri Αἰγυβότης, vel Αἰγοβότης, id nobis quidem parum verisimile videtur, quia addita interpretatio συβότης, νομεύς, non satis quadrat. Periculosum est, huiusmodi verba tentare, ac praestat, ut nos quidem censemus, exspectare, dum

HERM. OP. II.

Q

aliunde certius quid proferatur. Sed quod modo de formis verborum ad metra antiquissima accommodatis dicebamus, in mentem nobis revocat dubitationem de voce *ἡγάθεος*, quae valde torsit doctissimos Editores p. 116. not. 1. Nam neque ab *ἄγαν*, neque ab *ἀγάζω*, neque ab *ἄγαμαι* derivari posse hoc nomen censent, quia in his verbis omnibus prima syllaba brevis sit, Iones autem *ā* breve numquam in *ῆ* mutaverint, licet iidem pro *ῆ* saepius posuerint breve *ā*. Neque Homerum *ἡγάννιφος*, sed *ἀγάννιφος* dixisse. Haec nobis videntur minus accurate scripta. Nam *ἀγάννιφος*, quum secunda syllaba propter liquidam *ν* producta bene posset versui heroico aptari, non opus erat primam producere: *ἀγάθεος* autem secundae productionem non admittebat: quamobrem prima producenda fuit, et, nisi littera *ν* istam producendae praecedentis vocalis commoditatem haberet, certissime Homerus etiam *ἡγάννιφος*, prima producta, correpta secunda, dixisset. Illud vero quo iure contenderint viri doctissimi, *ā* breve ab Ionibus non mutari in *ῆ*, ipsi viderint, si recordati fuerint, non raro id Iones metri causa fecisse. Sic ab *ἀλιτέσθαι ἡλιτόμηνος*, atque alia, (a quo est etiam *ἀλιτήμερος*, de quo diximus in Schaeferi adnotationibus ad Gregor. Cor. p. 879.) ab *ἄμαθος ἡμαθόεις*, ab *ἄνεμος ἡνεμόεις* facta sunt: quae sunt pervulgata, ne quid de iis dicamus, quorum magis recondita ratio est.

Sed redeamus ad eum locum, unde digressi sumus. Ac quum Editores in voce *ἄγαλμα* ad *Αἰωνοαρίου ἄγαλμα*, et inde ad deum *Αἰῶνα*, qui idem est atque Osiris et Adonis, ac proinde etiam qui *Φάνης*, transiissent, ad Phanetem et Bacchum deveniunt: quae sane vellemus aliis locis tractata esse: nam qui semel mysteria ista attigerit, a quovis deo ad omnes transitum inveniet: verum grati tamen accipimus, quae dederunt. In his igitur p. 260. seq. afferunt fragmentum ex Orphicis, servatum a Macrobio Sat. i. 18. cuius hi primi versus sunt:

*τήκων αἰθέρα θεῖον, ἀκίνητόν περ ἔόντα,
ἔξανέφηγε θεοῖς ὄραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
ὄν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.*

Stephanum memorant in Poesi epica αἰθέρα διον, ἀκί- 19
νητον πρὶν ἔόντα, habere. In adnotatione subiecta,
quoniam et Damascius de hac ipsa re dicat νεφέλης
φαγείσης, et Suidas in γ. Ὀρφεὺς scribat, ἔφησε δὲ ὅτι
φῶς ῥῆξαν τὸν αἰθέρα, ἐφώτισε τὴν γῆν, coniciunt
τήκων glossam esse, qua expulsa fuerit genuina scriptura
ῥήσων. In ea re nos nullo modo assentientes habent.
Primum enim τήκων αἰθέρα aperte poeticum est, ut
neque credibile sit, ab interprete hoc esse profectum,
nec mirum, qui prosa oratione utebantur, a poetica di-
ctione abstinuisse. Deinde negamus etiam omnino, ῥήσ-
ων scribere potuisse, qui versus illos fecit, non propter
verbum, sed propter tempus verbi. Τήκων enim recte
ille dicere potuit, quod id paullatim fit; ῥήσων autem
non potuit, quia rumpi aetherem unius momenti est, sed
debuisset ῥήξας dicere, quemadmodum et Damascius et
Suidas aoristo sunt usi. At alia erant, quae in versu
isto corrigi debebant. Nam αἰθέρα θεῖον Gesnerus ex-
hibuit in fragmentis Orphicis, quem minime sequi debe-
bant Editores Thesauri, non solum quod edd. Macro-
bii, (saltem quae nobis ad manum sunt, dum haec scri-
bimus) αἰθέρα διον praebent, sed etiam quia neque usi-
tatum epitheton aetheris est θεῖος, quum διος sit usita-
tissimum, neque omnino hoc ei epitheton recte videtur
tribui posse. Nam diversissima sunt θεῖος et διος: quo-
rum θεῖος aut id, quod a diis ortum, cum eorumque
natura coniunctum est, ut θεῖον γένος, θεῖος ὄνειρος,
aut illud significat, quod tam eximium est atque admi-
rabile, quam si esset profectum ab diis, ut θεῖον πο-
τόν: de quibus neutrum in aetherem quadrat, nisi quis
ex arcana Orphicorum disciplina aliquam rationem osten-
dat: διος autem aliquanto minorem vim habet, et nihil
est aliud, quam praestans, excellens, sacer. Quumque
Homerus, qui auctor epicis et dux fuit in plerisque re-

bus, feminino genere dicat *αιθέρα διαν*, videndum erat, ne ita scriptum ab Orphico illo existimare deberemus:

τήκων αιθέρα διαν, ακινήτην πρίν εούσαν.

Quod tametsi ex Orphicis ipsis probari posset, quum feminini generis haec vox sit in hymn. lxxx. (79.) 6. et fragm. vi. 3. tamen, quoniam saepius masculino genere in his carminibus usurpatur, et fortasse arcana aliqua ratio subest, quare hic quoque ita esse debeat, non videntur femininae formæ in isto versu reponendae. Atque hymnus v. (4.) qui Aetheris est, masculinum habet. Sic etiam hymn. xxxiv. (33.) 11. lviii. (57.) 5. et fragm. iii. 7. vi. 27. x. 6. Sed fragm. xix. 4. nihil probat. Versus isti, qui corruptissimi sunt, ita scribendi videntur:

*ἔστιν ὕδωρ ψυχῆ, ψυχὴ δ' ὑδάτεσσιν ἀμοιβή·
ἐκ δ' ὕδατος μὲν γαῖα, τὸ δ' ἐκ γαίης πάλιν ὕδωρ.
ἐκ τοῦ δὲ ψυχῆ, ὄδὸν αἰθέρος ἀλλάσσοισα.*

Caeterum in illo versu, a quo exorsi sumus, etiam *πρίν*, quod apud Macrobiū est, videtur servandum fuisse. 20 Nam quod Gesnerus nescio unde dedit, *ἀκινήτόν περ ἔόντα*, fortasse, si severius expendatur, etiam ineptum iudicari debet. Illud vero aptissimum est, *ἀκίνητον πρίν ἔόντα*, siquidem hoc egregie poetam decuit, „rigidam et crassam caliginem“ fingere, quae solis calore liquefacta Horum peperisset. Nam ne hoc quidem videtur praeteriri debuisse, quod in secundo versu legitur, *ῶραν κάλλιστον ιδέσθαι*, nec satis usitate, nec qua oportebat dialecto dictum esse: quo minus dubitandum erat, quin recte Gesnerus *Ἦρον, κάλλιστον ιδέσθαι* coniecerit, licet id non sit ausus recipere. Et edd. nonnullae Macrobianae eodem accentu *ῶραν* habent.

Paullo post, p. 261. B. Aeschylī fragmentum ex Macrobio Sat. i. 18. afferunt editores doctissimi, *Ὁ Κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Καβαῖος, ὁ μάντις*. De eo ita scribunt: „ubi Barnes. ad Eurip. Bacch. v. 408. pro *ὁ Κα-*

„βαῖος reponit ὁ Σαβαῖος, sed Meursius (probante Butle-
 „ro ad Aeschyli Fragm. T. viii. p. 250. qui quae fuerint
 „ipsa verba Aeschyli, definire non audet,) legit ὁ καὶ
 „Βάκχος, idque omnino recte. Macrobianus enim testatur,
 „Aeschylum in illo versu ad eandem cum Euripide sen-
 „tentiam dixisse Apollinem Liberumque unum eundemque
 „Deum esse. At nisi cum Meursio legas, ὁ καὶ Βάκχος,
 „nihil ibi est, ex quo Macrobiani mens erui possit. Nemo
 „enim dixerit, Macrobianus hac una de causa versum attu-
 „lisse, quod Aeschylus Apollinem *Κισσέα* appellarit,
 „quo epitheto Bacchus alibi ornatur. Suidas. *Κισσεύς* ὁ
 „*Διόνυσος*.“ Addunt deinde alia, quae ad Bacchum
Κισσέα pertineant. At primo vellemus, quae Meursii et
 Butleri culpa est, non etiam in se admisissent Editores
 praestantissimi. Nam illud ὁ καὶ Βάκχος, scholiasta, non
 poeta dignum est, nec fieri ullo modo potuit, ut ita Ae-
 schylus scriberet. Deinde vero, etsi *Σαβάξιος* potius,
 quam *Σαβαῖος* dici solet Bacchus, tamen vix putamus
 dubitandum esse, quin probanda sit Barnesii coniectura:
 ad quam refutandam quod afferunt Editores, confirman-
 dae inseruit. Etenim si *Σαβαῖος* Bacchi, non Apollinis
 cognomen est, quis non videt, perinde esse, utrum ille
Σαβαῖος, an *Βάκχος* dicatur? ut minime necessarium sit,
 ipsum hic nomen *Βάκχος* legi. Denique in eo quoque re-
 pugnare sibi videntur, quod nomen *Κισσεύς* satis esse ad
 Bacchum significandum negant. Hoc enim si demonstrare
 volebant, etiam alios deos isto cognomine appellari osten-
 dendum erat: nunc vero, quum Bacchi esse eam appella-
 tionem doceant, quid aliud, quam id ipsum, quod nega-
 bant, efficiunt, non posse alium, quam Bacchum, intel-
 ligi? Valckenarius in exemplo Hesychii Schreveliani, quod
 Tittmanni est, Aeschyli illud ὁ *Καβαῖος* ad vocem *Κα-
 βάροι* adscripsit: quam suspicionem non putamus cui-
 quam probatum iri. Caeterum ubi Butleri mentionem fa-
 ciunt Editores, non debebant illud addere: „qui quae
 fuerint ipsa verba Aeschyli, definire non audet.“ Nam
 quae quis sensu cassa scribit, cur quaeso repetantur? Ipsa
 verba Aeschyli sunt, quae Macrobianus posuit. Illud vole-21

bat Butlerus dicere, veram se horum verborum scripturam definire non audere.

Paullo post, p. 262. A. postquam Macrobbi verba adscripserunt, uncinulis praefixis, qui in fine typographi errore omitti sunt, in hoc illorum versuum, quos Macrobbius affert,

Ἦλιε παγγενέτορ, παναίολε, χρυσεοφεγγές,

ita pergunt: — „Pro *παναίολε* Gesnerus, metricis rationibus motus, *Πάν αίολε* reposuit, probante, ut videtur, Hermanno. Sed nos, quicquid dicant rei metricae periti, propter graviores rationes vulgatam lectionem restituendam censemus. Nam I. positio vocis inter *παγγενέτορ* et *χρυσεοφεγγές* huic lectioni omnino favet; et 2. *αίολε* pro dei epitheto nusquam, quod sciamus, alibi legitur; et 3., si quis locus exstaret, in quo uni ex ceterorum deorum turba hoc epitheton tribuatur, valde dubitamus, an propterea id Pani tribuere poetae liberum esset. At *παναίολε* de Sole recte dici, et cum *χρυσεοφεγγές* satis apte iungi, nemo negarit.“ Non Gesneri, sed nostra illa emendatio est, *Πάν αίολε*, quam sane metri caussa fecimus, quum ad sensum *παναίολε*, ut exemplis monstrarunt Editores doctissimi, reprehendi nequeat. Sed adeone parum illi metra curant, ut etiam quae repugnent metro, defendenda putent? Non sumus quidem nos ita metrorum studiosi, ut non sensum prius, et eum quidem ante omnia respiciendum censemus: sed metri hanc certe vim esse arbitramur, ut de vitio admoneat, etiamsi salvus sit sensus. Atque hoc quidem in fragmento, quod numero septimum est apud Gesnerum, tantum abesse putabamus, ut propter sensum emendatio nostra improbanda esset, ut a sensu nonnihil etiam commendationis habituram speraverimus. Quae vero tria argumenta attulerunt Editores praestantissimi, quibus vulgatam scripturam defenderent, eorum nullum est, quo id, quod volunt, efficere posse videantur. Nam quod de positione et ordine verborum iusto dicunt, saepe ille neglectus re-

peritur in Orphicis, ut hic quoque negligi potuerit, si quidem est neglectus: nam si altius inquisivissent, fortasse non esse neglectum in nostra emendatione vidissent; quod autem de simplici *αιόλος* monent, fatemur, non intelligere nos, cur, qui *παναίολος* et *αιολόμορφος* dicatur, non etiam *αιόλος* dici possit; denique quod dubitant, an Pani hoc epitheton tribui nequeat, omnium maxime miramur: cui deo, si ulli alii, optime hoc epitheton convenit, quo si non ornatur in hymno xi. (10.) qui in ipsum scriptus est, at alia ibi non valde dissimilia inveniuntur, ut v. 10. et 19.

*παντοφυής, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον·
ἀλλάσσεις δὲ φύσεις πάντων ταῖς σαῖσι προνοίαις.*

Sed quid nos haec commemoramus, ac non illud potius, quod praeter metrum emendationem nostram tuetur? Nam verba Macrobiani haec sunt i. 23. „Solem esse omnia et 22 „Orpheus testatur his versibus:“

*„κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικανυγέα κύκλον
„οὐρανίαις τροφάλιξι περιδρομον αἰὲν ἐλίσσων,
„ἀγλαὲ Ζεῦ, Διόνυσε, πάτερ κόσμου, πάτερ αἴης,
„Ἦλιε παγγενέτωρ, Πᾶν αἰόλε, χρυσεοφεγγές.“*

Quid est enim in his versibus, unde Solem omnia esse certo colligas, nisi illud ipsum verbum *Πᾶν*? Pan enim, ut in hymno xi. (10.) scriptum, *κόσμοιο τὸ σύμπαν* est. Et quemadmodum hic Sol Pan vocatur, ita in hymno xxxiv. (33.) Apollo, qui idem cum Sole est, Pan dicitur, vicissimque, ut Sol in fragmento isto Iuppiter et Pan *χρυσεοφεγγής* appellatus est, ita Pan in hymno xi. (10.) et Paean, et Iuppiter, et *φασφόρος* nominatur his versibus: (11, 12.)

*κοσμοκράτωρ, ἀξήτᾳ, φασφόρε, κάρπιμε Παῖάν·
ἀντροχαρές, βαρύμηγνις, ἀληθῆς Ζεὺς ὁ κεραστής.*

Addamus hic alium locum in quo non videntur mentem nostram perspexisse doctissimi Editores. Nam dum ibidem alia, quae ad Orpheum spectant, persequuntur, p.

272. dicunt, nos in Addendis ad Orphica p. xxv. tredecim versus Hermeti apud Stobaeum Ecl. i. 6. p. 174. tributos, post Heerenium Orphicis carminibus adnumerandos putare, alios autem undecim debuisse adnotare, quos idem Heerenius Orpheo vindicaverit. At nos Heerenium illos tredecim versus adnumerandos Orphicis putare diximus, non etiam, nos ita sentire. Valde enim dubitamus, an hi versus, de quibus caeteroquin accuratissime exposuerunt Editores Thesauri, non sint Orphici, i. e. eorum auctorum cuiuspiam, a quibus illa profecta sunt, quae Orpheo ab antiquioribus adscribuntur. Nam et argumentum paullo aliud videtur, nec dicendi genus plane cum caeteris convenit. Quod vero ad undecim illos, sive decem potius, versus attinet, ab eodem Stobaeo in Eclogis i. 3. p. 68. servatos, eos etiam negamus Orphicos esse, si non aliis de caussis, certe propter dialectum Doricam. Quare quod aiunt, vindicasse Heerenium hos versus Orpheo, id vellemus argumentis demonstrassent. Namque illi Orphicorum conditores non alia dialecto usi sunt, aut uti potuerunt, quam ea, quae ab omnibus Graecis antiquissimorum poetarum lingua haberetur: unde iis a Dorica abstinendum fuit. Praeterea vero nihil in istis versibus est, quod non aequè a quovis alio, quam ab Orphico scriptore, dici potuerit. Eoque minus, ut speramus, mirabuntur Editores doctissimi, quod neque quum Orphica ederemus, versus illos commemorandos putavimus, neque nunc adducimur, ut eos Orphicis adnumerandos esse nobis persuadeamus. Sed quoniam valde corrupti sunt, neque eos emendare placuit Editoribus Thesauri, paullo correctius scriptos dabimus, quarum tamen correctionum partem Grotio, Piersono, Iacobsio acceptam referimus:

23 *Ἡρακλῆος κρατεροῦ, ὃς γὰρ ἐκάθαρσεν ἅπασαν,
πετροβάτα τε θεοῦ, Πανὸς νομίσιον βρονάκτα,
θνατῶν τ' ἰατῆρος Ἀσκληπιοῦ ὀλβιοδώτα,
πρεσβίστας τε θεοῖς Ἰγμείας μελιχοδώρου,
ναυσί τ' ἐν ὠκυπόροισι Διοσκούρων ἐπιφάντων,*

*Κουρήτων θ', οἱ ματρὶ Διὸς ῥέα ἔντι πάρεδροι,
καὶ Χαρίτων μεμνᾶσθαι ἐν ἔργῳ παντὶ μέγιστον,
ἠδὲ Χρόνου παιδῶν Ὠραῖν, αἱ πάντα φύοντι,
Νυμφᾶν τ' ὠρειᾶν, αἱ νάματα κάλ' ἐφορῶντι,
ὑμμεων τ', ὧ Μοῖσαι, Διὸς ἔκγονοι, ἄφθιτοι
ῥῥδαῖς.*

Quamquam procul illa a nobis temeritas sit, ut haec pro certis venditemus. Nam utrum ἀκροβάτα, ut Cantero visum, an πετροβάτα, ut Grotio, verum sit, quis ex librorum scriptura πρόβατα divinet? In tertio autem versu valde dura est correptio primae in Ἀσκληπιοῦ, cui tamen imperita manu mederetur, qui ἰατροῦ repositum iret. In ultimo versu, ubi libri habent ὑμνέομες (vel ὑμνέωμες, vel ὑμνέωμας) μάκαρας Μοῦσαι Διὸς ἔκγονοι ἀφθίτοις αἰδαῖς (vel αἰδαῖς) illud potissimum putamus incertum esse, utrum ἀφθιτοὶ ῥῥδαῖς, an ἀφθιταιοῖδὶ praefendum sit. Non haec sic diximus, quasi vitio verteremus Editoribus praestantissimis, quod versus illos non emendaverint. Nam quis adeo iniquus, ac potius insanus sit, ut in libro, qui totus refertus est citationibus scriptorum, locos omnes, qui afferuntur, etiam emendari postulet? Immo emendationi veterum scriptorum in hac Thesauri editione abunde et multo magis, quam expectari licebat, satisfactum esse gaudemus, meritoque maximas agimus Editoribus gratias, quod plerumque non in afferendis testimoniis aequieverunt, sed ea accuratius etiam expendenda putarunt. Quo fieri non potest, quin, qui utentur hoc Thesaurο, plurimis in rebus mirifice se adiuvare sentiant. Quod si hic illic aliquid est emendationis, quod fugerit viros egregios, tantum abest, ut id mirum in tanta rerum et copia et varietate et difficultate videri possit, ut illa potius admirari debeamus, quae summa cura, summoque studio ab iis congesta, disputata, explanata, ad liquidum perducta sunt. Et quis nescit, saepissime accidere, ut emendationes, in quas quemvis putes incidere debere, sero demum uni in mentem veniant? Cuiusmodi est fragmentum Aristophanis ex Ταγνησιαῖς apud Schol. ad Ran. 295. χθονίας Ἐκιάτης

πειρα σοφῶν ἐξελιζομένη, cuius quamvis facillima esset emendatio, tamen quid miremur, non esse eam factam ab Editoribus Thesauri p. 231. D. quum ne Brunckius quidem, qui de industria hoc agere debebat, quidquam adnotaverit? Servatum hoc erat Seidlero, qui in brevi disputatione de fragmentis Aristophanis, quae nuper edita est, p. 21. ita scribendum esse vidit:

χθονία σ' Ἐκάτη σπείρας ὀφείων ἐλελιζομένη.

Sed decet iam finem facere scribendi. Et quemadmodum non dubitamus, quin Editores praestantissimi, maximeque, cuius praecipuam in edendo hoc Thesauri operam esse accepimus, doctissimus Barkerus, et gratiam ab omnibus, qui litteras Graecas tractant, summam inierint, et aeternam tam egregio opere condendo laudem sibi parituri sint, ita optamus ex animo, ut et valetudo ac vires iis ad sustinendos tantos labores suppetant, et quaevis aliae obtingant ad perficiendam hanc utilissimi libri editionem commoditates atque opportunitates. Vnum reliquum est, quod eos etiam atque etiam rogemus, ut parem curam etiam Indicibus conficiendis adhibeant, in eaque re eam viam ingrediantur, quae iis, qui usuri Thesauri illo sunt, facillima sit et maxime commoda. Quae, ut nos quidem existimamus, eo continetur, ut Indices quam paucissimi, sed illi quam locupletissimi, quam ad inveniendam quaeque aptissimi, denique quam accuratissimi in numeris voluminum paginarumque indicandis sint. Putamus autem non plures, quam tres esse Indices faciendos, primo Graecum, vocabulorum rerumque omnium, quae in hoc Thesauri tractantur; deinde parem huic Latinum; denique tertium scriptorum, quorum loci vel explicantur, vel emendantur. Atque hoc potissimum in Indice, quoniam infinita est locorum ex singulis scriptoribus tractatorum multitudo, illud omnino necessarium iudicamus, ut non solum enumerentur loci illi omnes, sed etiam eo ordine disponantur, quo apud quemque scriptorem sese excipiunt. Nam quis, exempli caussa, si se meminertit locum aliquem ex primo libro Iliadis tractatum legisse, non

optet ita factum esse Indicem, ut ordine primi, secundi, tertii libri, et sic deinceps, singulos locos, eosque ipsos ad ordinem versuum, quo apud Homerum scripti sunt dispositos conspiciat, quo statim, quod velit, invenire queat, nec millenos locos in omnibus voluminibus frustra inspicere cogatur? Hoc igitur in omnibus scriptoribus faciendum esse censemus, ne insignis pars utilitatis, quam hic liber habiturus est, eripiatur iis, qui eo usuri sint. Et quamquam hoc quoque immensi esse laboris scimus, tamen non dubitamus, quin etiam laudem ea res tantam habitura sit, ut eam non sint sibi deesse passuri viri praestantissimi.

D. Lipsiae mense Aprili a. cioiocccviii.

ΕΣΜΟΣ ΜΕΛΙΣΣΗΣ *).

Neque lectoribus huius libri, neque ipsi Barkerō, viro
68 uti doctissimo, ita candidissimo, ingratum fore arbitror,
si his, quae ille solita diligentia disputavit, pauca addi-
dero. Nam etsi in universum verissima mihi videtur at-
tulisse, tamen est etiam, ubi ab eo dissentendum putem.
Contendit Barkerus, *ἔσμὸν μελίσσης* neque mel, neque
copiam mellis, sed examen apum significare, non solum
quia usus ita postulet, sed etiam quod tam durae sint istae
metaphorae, ut nullo simili exemplo defendi posse videan-
tur. De hac ipsa vero duritie tanto accuratius quaeren-
dum puto, quo facilius exstiturum video, qui ex ipsis vel
Athenaei vel Epinici verbis excusationem allatum eat. Et
Athenaeus quidem ita scribit: *ἔπινον δὲ οἱ πολλοὶ καὶ
ἄλφριτα ἐπιβάλλοντες τῷ οἴνω, ὡς ὁ Δελφὸς Ἠγήσαν-
δρὸς φησιν. Ἐπίνικος γοῦν, Μνησιπτολέμου ἀνάγνω-
σιν ποιησαμένου τῶν ἱστοριῶν, ἐν αἷς ἐγγράπτο ὡς
Σέλευκος ἀπληρίτισε, γράψας δράμα Μνησιπτόλεμον,
καὶ κωμῶδων αὐτόν, καὶ περὶ τῆς πόλεως ταῖς ἐκεί-
νου χρώμενος φωναῖς, ἐποίησε λέγοντα.* Apparet ex

*) Haec commentatio de loco Athenaei X. p. 432. edita
est a. 1818. in F. A. Wolfii Analectis litterariis vol. II. part.
I. p. 67. seqq.

his, illud egisse Epinicum, ut dictionem Mnesiptolemi rideret. Id magis etiam ex versibus ipsis Epinici intelligitur, quos emendatos hic ponam. Nam in tali caussa non satis est, formulas dicendi ipsas spectari, sed videndum est etiam, qua mente quoque consilio usurpatae sint: quae res cum scripturae emendatione coniunctissima est. Ita autem scribit Epinicus e persona Mnesiptolemi:

ἐπ' ἀλφίτου πίνοντα τοῦ θερούς ποτὲ
 ἰδὼν Σέλευκον ἠδέως τὸν βασιλέα,
 ἔγραψα καὶ παρέδειξα τοῖς πολλοῖς ὅτι
 πᾶν τὸ τυχὸν ἢ πραγμάτιον ἢ σφόδρ' εὐτελές,
 σεμνὸν δύναται τοῦθ' ἢ δύναμις ἢ μὴ ποιεῖν. 69
 „γέροντα Θάσιον, τὸν τε γῆς ἀπ' Ἀτθίδος
 „ἔσμὸν μελίσσης τῆς ἀκραχόλου γλυκὺν
 „συγκυρκανήσας ἐν σκύφῳ χυτῆς λίθου,
 „Δήμητρος ἀκτῆ πᾶν γεφυρώσας ὑγρὸν,
 „κατησίμωκα πῶμα καύματος λύσιν.“

Iactat Mnesiptolemus artem suam res quamvis vulgares dictionis splendore ad eximiam magnitudinem et gravitatem extollendi. Cuius artis specimen edens, grande quiddam et tragoedia dignum sonare incipit: unde versus, quibus hoc specimen continetur, etiam numeris tragicis incedunt. Ex qua re intelligitur, corruptam esse vulgaram scripturam ἀκρολόγου, quam Barkerus, si tragicos hic numeros requiri animadvertisset, facile vidisset aliter quam addito ad γλυκὺν articulo corrigendam esse. Quod in epitome MS. legitur, ἀκρολόχου, satis aperte monstrat scribendum esse ἀκραχόλου; eamque ipsam scripturam in excerptis repperisse se testatur Casaubonus, nuper autem merito adscivit Iacobsius. Γλυκὺν quidem recte repositum puto pro γλυκί, quod libri habent. Nam etsi etiam γλυκεῖ, quod ad σκύφῳ referretur, scribere potuit Epinicus, tamen concinnior videtur oratio, relato hoc nomine ad ἔσμὸν. Συγκυρκανήσας, quod etiam Iacobsius posuit, emendatio est, nisi fallor, Schneideri in Lexico Graeco: nihil est enim vulgatum συγκυρκανήσας. Tum qui πᾶν γε φυρώσας ὑγρὸν scribi voluerunt, neque quid

inutilis particula γέ sibi vellet ostenderunt, neque animad-
 70 verterunt tolli ea mutatione insolentiam dicendi, quam af-
 fectabat Mnesiptolemus, nec denique cogitarunt, non
 pultem factam esse, sed paululum farinae adpersum vino.
 Aptissime vero Mnesiptolemus, suo quidem genere di-
 cendi, Δήμητρος ἀπὴ πᾶν ὑγρὸν γεφυρώσαι dixit, si
 quidem iniecta farina vinum, ut aqua ponte, sternitur.
 Natat enim in superficie, donec hausto humore mergatur.
 Mersa qui vinum bibebant, et ἀπαλφιδίξειν dici potuere,
 et ἐπ' ἀλφίτου πίνειν, ut non magis in primo versu ἀπ'
 ἀλφίτου scribi, quam propter istud ἐπ' ἀλφίτου apud
 Athenaeum ἐπαλφίτισε reponendum esse videatur. In
 ultimo versu quod epitome MS. dedit, κατησίμωκα, cae-
 terorum librorum scripturae κατησίμωσα praetuli, quae
 nuper in κατησίμωσε mutata fuit, nescio an haud satis
 circumspicte. Multo enim credibilis est, Seleucum,
 quem ἡδέως πίνοντα viderat, a Mnesiptolemo introdu-
 ctum fuisse ita magnifice loquentem, quam ipsum Mnesi-
 ptolemum in tali re commemoranda isto genere dicendi
 usum esse. Hoc enim nimis ineptum fuisset: illud vero
 aliquid excusationis habebat, regem, bene sibi esse di-
 centem, in computatione ipsa paullo tumidius loqui.

Veniam nunc, quo volebam. Ridet quidem Epini-
 cus Mnesiptolemum propter inflatum genus dicendi, ve-
 rum non illud significat, dixisse eum quae dici nequeant,
 sed hoc notat, quod in rebus exilibus tanto verborum
 strepitu abutatur. Itaque non conficeret rem, qui ἐσμὸν
 μελίσσης pro melle vel copia mellis a solo Mnesiptolemo,
 ut scriptore inepto, dictum contenderet. Sed cautius sol-
 71 venda est haec dubitatio, videndumque, ne, si eadem
 verba in re gravi aptoque loco usurpata essent, nihil es-
 sent offensionis habitura. Quum autem duae interpreta-
 tiones prostant, de utraque seorsum quaerendum est. Ac
 recte omnino negat Barkerus, ἐσμὸν μελίσσης posse co-
 piam mellis significare: verum rationem huius rei vellem
 explicuisset vir praestantissimus. Nam usus ipse per se,
 licet plurimis exemplis confirmatus, non tantam habet vim,

ut non etiam discedi aliquando ab eo possit. Est autem ratio, quam dico, haec. Verba, quae ad alias res transferuntur, quam in quibus propria sunt, non proprie intelligenda esse, ex eo apertum est, quod proprie intellecta inepta forent. Eodem modo, ubi propria sunt, proprie intelligi debere apparet: repugnaret enim, propria esse, et tamen non propria; translata esse, et tamen non ad aliud, sed ad id ipsum, unde translata essent. Veluti qui civitatem regunt, recte quis civitatis gubernaculum appellaverit: sed navis gubernatorem qui gubernaculum navis diceret, ineptissime loqueretur, et ut intelligi non posset. Vt alio et magis etiam aperto exemplo utar, caput partem primariam dici in re, quae proprie non habet caput, inter omnes constat. At quis sanus, in homine quid primum sit si indicare voluerit, ut cor, aut ipsum caput, id caput hominis esse dicet? Ex his evidentissime efficitur, *ἔσμὸν μελίσσης*, si haec verba per se spectantur, necessario examen apum significare, copiam autem sive apum sive mellis significare nullo modo posse. Idque in Epinici versu tanto minus fieri potest, quod apem proprie dictam⁷² esse epitheton ei nomini additum arguit.

Sed dicatur nunc de altera interpretatione, qua *ἔσμὸς μελίσσης* simpliciter mel significare dicitur. In hoc nihil esse quod reprehendi possit, statim ostendam. Sed qui eam protulit, Porsonus, licet hac in re non erraverit, at peccavit tamen in eo, quod permiscuit quae discernere debebat. Nam *ἔσμοι γάλακτος* et *ἔσμοι σοφίας* comparari inter se poterant, quia utrumque de copia dictum est, translata ad aliam rem significatione vocabuli. *Ἐσμὸς μελίσσης* vero comparari cum his non potest, quia non translate de copia, sed proprie de examine accipienda sunt haec verba. Potuissent comparari, si *ἔσμὸν μέλιτος* scripsisset Epinicus. Sed etsi non distinxit haec Porsonus, tamen recte *ἔσμὸν μελίσσης* mel interpretatus est. Nam ut paullo audacior haec translatio sit, at nihil continet quod secum pugnet, ut altera illa. Facta enim translatio est, ut saepe aliis in rebus, ab eo, unde quid

gignitur, ad id, quod genitum est. Quod si omnino apem pro melle dici licet, quidni liceat etiam multas apes, aut examen apum? In quo si copiae quaedam significatio inest, latenter inest, quia quo maior apum numerus, tanto maior etiam mellis copia. Atqui apis nomine sine cuiusquam offensu de melle usus est Sophocles in Oed. Col. 480.

O. τοῦ τόνδε πλήσας θῶ; δίδασθε καὶ τόδε.

X. ὕδατος, μελίσσης· μὴ δὲ προσφέρειν μέθυ.

Quae quum ita sint, sic statuendum erit, etiam apud 73 Epinicum *ἔσμὸν μελίσσης*, ut ubique, examen apum significare: qui si dulce mel dulce examen iracundae apis vocavit, *ἔσμὸς* proprie, translate autem *μέλισσα* dicitur: quae translatio si nec vitiosa neque inusitata est, coniuncta utraque voce nihil nisi magnificentior haec est et cum quadam copiae significatione consociata mellis descriptio: quae si in re gravi usurpata esset, ut ubi Aeschylus in Persis

τῆς ἀνθεμουργοῦ στάγμα παμφαῖς μέλι

commemorat, laudaretur fortasse; nunc autem, ad rem exilem adhibita, snbtumida est et pene ridicula, licet vel sic minus reprehendenda, quam quem in eadem Mnesiptolemi oratione videmus *γέροντα Θάσιον*, vere illum isto quod supra tetigi vitio laborantem.

Caeterum ad verbum *ἔσμὸς* quod attinet, id si cum leni spiritu scribitur, usui hoc cuidam tribuendum puto, sed ei nescio an pravo. Non enim dubitandum videtur quin hoc nomen a verbo *ἔζω* derivatum sit, quod apes conglobatae adhaerescere alicubi et considerare solent. Tantum abest autem ut Eustathii testimonium repudiari velim, ut nomen *ἀφροσύμω*, quod ille ex Aristotele affert, in maxime genuinis numerandum censeam. Quod nomen sane non potest idem significare, quod *ἔσμὸς*: verum significat etiam aliam rem. Verba Aristotelis IX. 27, 6. haec sunt: *οἱ δὲ βασιλεῖς οὐ πέτονται ἔξω, εἰ μὴ μετὰ ὄλου τοῦ*

έσμου, οὐτ' ἐπὶ βοσκὴν, οὐτ' ἄλλως. φασὶ καὶ εἰὰν ἀποπλανηθῆ ὁ ἀφροσμός, ἀνιχνευούσας μεταθεῖν, ἕως ἂν εὕρωσι τὸν ἡγεμόνα τῆ ὄσμῃ· λέγεται δὲ καὶ φέρεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ έσμου, ὅταν πέτεσθαι μὴ δύνηται· καὶ εἰὰν ἀπόληται, ἀπόλλυσθαι τὸν ἀφροσμόν. Quod Schneiderus dedit, ὁ αὐτῶν έσμός, et τὸν αὐτῶν έσμόν, vel propter inutile pronomen αὐτῶν non videtur admitti posse. Qui accurate consideraverit verba Aristotelis, facile intelliget, έσμόν universe dici examen apum, ἀφροσμόν autem, id quod plane cum ea quam indicavi origine vocabuli congruit, examen vagum, a principali examine, ut coloniam, digressum: idque ab Romanis proprie examen vocatur. Hanc dimissionem partis ἄφροσιν appellat Aristoteles eodem capite segm. 11. et 13. et lib. V. 18, 1. ubi quod scribit, τότε καὶ έσμοὶ ἀφίενται πλείστοι, nihil est nisi descriptio ἀφροσμῶν. Iuvabit cum iis quae supra posui etiam haec verba comparasse IX. 27, 13. οὐ δὲ βασιλεῖς αὐτοὶ μὲν οὐχ ὀρώνται ἄλλως ἢ μετ' ἀφροσεως. Nam quos hic dicit cerni μετ' ἀφροσεως, hi sunt ipsi, quos illic ἡγεμόνας τῶν ἀφροσμῶν vocat. Quid multa? Ipse Aristoteles, quid sit ἀφροσμός, ipsa illa voce usus evidentissime declarat IX. 29. his verbis: ποιούσι δὲ τὸ σμῆνος ὑπὸ γῆν αὶ ἀνθροῆναι, ἐκφροσουσαι τὴν γῆν, ὡσπερ οὐ μύρομηκες. ἀφροσμοὶ γάρ, ὡσπερ τῶν μελιττῶν, οὐ γίγνεται οὐτε τούτων, οὐτε τῶν σφροκῶν, ἀλλ' αὐεὶ ἐπιγρογομένα νεώτεροι αὐτοῦ μένουσι, καὶ τὸ σμῆνος μείζον ποιούσιν, ἐκφροσουσαι τὸν χούν. Itaque loci illius quem supra posui haec sententia est: regem non evolare nisi cum universo examine; quod si examen vagum a duce suo forte dissociatum sit, investigari eum inveniri que odore: eundem, si volare nequeat, portari ab examine; mortuo autem perire examen vagum, quod cum eo evolaverit, relicto in alveari examine principali.

EPISTOLA AD FR. LINDEMANNVM *).

397 Recte fecisti, vir praestantissime, quod me longiore epistola ad scribendum excitasti. Nam quo mihi plus materiae ad scribendum praebetur, tanto et prius et libentius respondeo. Sane in verbis Prisciani, quae aperta sunt vitia, ut *χειλια* **), *δρυτο* ***), haud cunctanter corrigere poteras. Sed *πεντάκι δέκα* cur non mutasse te poeniteat ****), non video, quum *πεντάκι* defendi posse videatur. In illo non ausim tibi assentiri, quod *κατεκάετο* *****) Herodotum scripsisse putas. Mihi hoc Atticum potius, et vulgaris quidem sermonis esse videtur. In illo loco, qui est p. 217. praeferam equidem posteriorem coniecturam tuam, *καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς, ὃς ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον ἀντὶ τοῦ δύο ἡμισυ πόδες, προσθεὶς τὸ, ἐν δὲ Βατουσιάδης.* Sed vide ne multo lenius corrigatur; *καθάπερ φησὶν Ἡλιόδωρος, ὃς προσθεὶς τὸ, ἐν δὲ Βατουσιάδης, ἐν τῷ περὶ μουσικῆς, ἐπιφέρει* et reliqua. Puto autem ego Heliodorum

298 hic citari, metricum illum, quem veri simile est, cognatum rei metricae argumentum, musicam quoque attigisse. Ac suadet hoc etiam commemoratio pedis metrici, exem-

*) Haec epistola, quae non erat scripta ut ederetur, ab Lindemanno adiecta est editioni operum minorum Prisciani, quae prodiit Lugd. Bat. a. 1818. Sed edita semel, non videbatur in horum opusculorum collectione omittenda esse.

**) Pag. 203.

***) Pag. 208.

****) Pag. 202. confer p. 373.

*****) Pag. 208.

plique e poeta petiti. Confundi autem Heliodori Herodotique nomina satis constat. Omninoque grammaticus iste Herodotus ita mihi suspectus est, ut verear an umquam ullus fuerit.

Ad Hipponactis fragmenta quod attinet, perdifficilis emendatio est, quia sic est facienda, ut simul et Heliodorus et Hipponax excusationem habeat. Et de primo quidem versu,

Ἐρέω γὰρ οὕτω· Κυλλήνις Μαιάδος Ἐρμῆ,

dubitare coepi an is recte se habeat. Legisse enim ita Heliodorum Priscianus docet, qui quum quartum quintumque pedem dactylos esse dicat, repetere videtur id ipsum, quod Heliodorus scripserat. Nam illud recte puto Müllerum, collegam tuum, animadvertisse, alludi hic ad compellationem Mercurii epicis usitatum. Quis autem dicat hodie, quo fine ista scripserit Hipponax, et cuius ille versus ad risum traducere voluerit? Quod ille si fecit, consulto debuit, quoniam verbis illis utendum erat, primum versum condere. Idem fecit Rhintho. apud Hephaestionem p. 4. (10.)

*ὡς σὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη·
Ἴππώνακτος τὸ μέτρον· οὐδὲν μοι μέλει,*

fassus hic ipse malos esse hos versus.

Maior dubitatio est de altero versu, p. 248. cuius in secundo pede spondeum, in quarto dactylum esse necesse est. Tentari multa possunt. Sed omnium facillimum est, in quod tutemet incidisti, modo, quo ducit etiam codex 390 tuus, dativum ponas,

τοὺς ἄνδρας τούτους ὀδύνη γύαλα ῥιγηλά,

manus prae dolore febricitantes, si recte γύαλον de vola manus dici tradit Etymologus, quod tamen valde probabile est. Sic facilis et Hipponacti et Heliodoro

R 2

parata excusatio, ubi meminerimus codice hunc usum esse, in quo solemni permutatione *τούτους* pro *τούςδε* scriptum fuerit. Nam tunc Hipponactem sic scripsisse censebimus:

τούς ἄνδρας ὀδύνη τούςδε γύαλα ῥιγηλά.

Pag. 148. Doricos genitivos in *αν* ego quidem etiam in adiectivis, quale hoc est, et participiis circumflectendos puto, quoniam *αν* istud ex *άων* contractum arbitror. Heliodorus Pindari et aliorum versus, quos deinceps affert, perinepte iambicos esse putavit, qui sunt longe aliis metris scripti. Sed in primo Pindarico exemplo *ἔθηκε* scribendum, quia aliter monuisset de vitio Priscianus. Eadem causa mox scribendum:

τροχὸν μέλος· ταὶ δὲ Χείρωνος ἐντολαί.

Qui mox sequitur versus, non est quare metuas de particula *δὲ* post secundum verbum posita. Recte ea sic collocatur, praesertim in tali loco. Nam *νηλεεῖ νόφ δὲ* idem est quod *νηλεῶς δέ*. Quod etsi potest etiam *νηλεεῖ δὲ νόφ* dici, tamen hoc *νηλεεῖ δὲ νόφ* sic proprie dictum est ut sit *νηλεεῖ δέ, οὐκ ἐλεήμονι νόφ*. Sed totum versum ita scribe:

ἐν δασκίοισιν πατήρ· νηλεεῖ νόφ δ'.

De quo sermo sit, frustra, opinor, quaesiveris.

400 Pag. 249. Scribe certa emendatione, quam et litterae in codd. et verba Prisciani exigunt,

δ' οὐδὲν προσαιτέων ἐφθεγγάμαν ἐπι.

Sed postremam quoque vocem mutandam, et *ἔτι* scribendum esse, vix dubium puto.

Anacreontis versus ex duobus dimetris iambicis brachycatalectis compositus est.

σ ᾶ ὀ ὀ ὀ ὀ | σ ᾶ ὀ ὀ ὀ ὀ

Mox p. 250. in Simonidis versibus fraudem tibi factam agnoscas in verbis ἀντιστρέφει δὲ αὐτῷ, quae recte se habent. Non sunt enim Simonidis verba, sed Heliodori, dicentis versui, quem modo attulisset, ἀντιστροφον esse, i. e. in antistropha respondere hunc,

ἀποτρέπουσα Κῆρας.

(Conf. etiam Gaisford. ad Simon. fr. in poet. min. p. 401.) Ἀποτρέπουσα, an ἀποτρέπουσαν verum sit, quis dixerit? Plus auctoritatis nominativus habere videtur. Alterutrum certo verum est. De Alcmanis fragmento fugerunt te, quae dixi in diariis Ienensibus 1816. m. August. 154. in censura editionis Welckerianae, versus ita legendos videri,

Μῶσ', ἄγε, Μῶσα λίγαια,
πολυμελὲς αἰοιδᾶς μέλος
νεοχμὸν ἄρχε παρθένοις αἰείδεν,

postremumque versum, et eum, quem huic addit Priscianus, hoc metro esse

υ' υ' υ' υ' υ' υ' | υ' υ' υ'

Eodem metro est ille, in quo recte praefers χερσόνδε. 401. Qui deinde Pindari et Bacchylidis versus commemorantur, hos numeros habent:

υ' υ' υ' υ' | υ' υ' υ' υ' υ'

In Hipponactis versibus, qui sequuntur, mihi quoque recte videtur Welckerus Κυλλήνεις coniecisse.

Pag. 253. Nondum persanavisti Eupolidis fragmentum, in quo ego quoque in Elem. d. m. p. 586. a vero aberravi. Bene factum, quod codex tuus πάνυ λεπτῷ praebuit. Sed quid tum γέ, non suo loco positum, omninoque non aptum? Scribe,

ἴν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ιδέαυ,
„ubi licet homini prorsus macilento et specie pravo.“

Vale, praestantissime Lindemanne, et me tui puta
amantissimum esse. Argumento tibi esto, quod sepositis
negotiis, quibus plurimis obrutus sum, statim tibi respon-
di, nec medio die, sed circa noctis meridiem, ut Varro
loquitur, et multis in mensa mea iacentibus epistolis, inde
a duobus mensibus acceptis, ad quas nondum responsum
est. D. 17. Decembr. CIOIOCCCXVII.

DE R. BENTLEIO EIVSQVE EDITIONE TERENTII DISSERTATIO *).

R. Bentleium quantopere admirer, Candidati humanissimi, quum in scriptis meis saepe declaravi, tum ii sciunt omnes, qui vel scholis meis vel familiari consuetudine uti sunt: habeoque eam admirationem quasi hereditariam a praeceptore meo, Frider. Volg. Reizio, qui numquam nominabat Bentleium, nisi cum aliqua reverentiae significatione, tantumque ei tribuebat, ut eum discipulis suis tamquam perfectissimum critici exemplum proponeret. Quod viri eximii iudicium quum mihi verissimum esse videatur, facio ego quidem idem, ut adolescentibus, qui antiquitatis studia consecretantur, Bentleium prae caeteris ducem commendem, verumtamen ita id facere consuevi, ut simul eos moneam, ne, si viam inveniendi veri rectam ab eo sibi monstrari videant, continuo etiam, quae inveniuntur ille hac via, vera esse credant, sed potius, conservata libertate iudicandi, eadem via, an ille aberraverit a vero, perspicere studeant. De qua re operae pretium putavi paucis exponere, praesertim quum videam Frider. Aug. Wolfium, qui in *Analectis litterariis* vol. I. egregie

*) Edita est a. 1819.

de Bentleio disseruit, illud, quod in primis a tali viro expectabatur, non fecisse, ut quid laudandum in Bentleio atque imitandum, quid autem reprehendendum et vitandum esset, ostenderet. Et quamvis putem causas illum quasdam habuisse, quare haec non attingeret, tamen quod p. 54. de Terentii editione iudicium posuit, eiusmodi est, ut tanto magis, quid mihi videatur, dicendum ducam, quo maior huius viri apud omnes auctoritas est. Ait autem etiam in huius scriptoris editione Bentleium aliquot audaces et temerarias coniecturas more illo parum sane laudando in textum intulisse, sed tamen, qui posthac ad Terentii emendationem accessuri sint, multo pauciora inventuros esse, quae reiicere debeant, quam in ullo alio, quem ille ediderit, scriptore. Ducem et auctorem huius sententiae, ut opinor, habuit vir summus Reizium, quem saepe memini dicere, multo aequius viros doctos de Terentio Bentleii iudicaturos esse, si ille, quas fecit adnotationes ad eum scriptorem, eadem cura ac diligentia, qua ad Horatium, perscripisset. Ego quidem aliter sentio, et, licet numquam non dicturus sim, quod semper professus sum, unicum Terentii sospitorem esse Bentleium, tamen vix paucas in toto eo libro paginas esse arbitror, in quibus non inveniatur, quod aut non satis recte, aut minus considerate dictum sit. Quae tamen res etiam augere debet admirationem viri, qui quamvis in tanta errorum copia immortale ac plane divinum opus condiderit. Sed priusquam exemplis, quae dixi, comprobem, paucis de ingenio viri dicendum est, ut appareat, quomodo summae eius virtutes saepe non potuerint non in vitium vertere.

Erat Bentleius vir infinitae doctrinae, acutissimi sensus, acerrimi iudicii. Et his tribus rebus omnis laus et virtus continetur critici. Ex quibus scientia antiquitatis idonea ordine primum tenet locum, ut quae et sensum nutriat atque excolat, et iudicio materiam praebet iudicandi. Ad eam sensus accedat necesse est, qui positus est in naturali quadam facultate statim animadvertendi,

quid quaque in re verum, aptum, decorum, venustum sit: cui etsi, ut dixi, nutrimenta et cultum praebet anti-
quitatis pervestigatio, tamen procreare eum, si cui non
est a natura datus, non potest. Est autem tam praeclara
haec atque eximia facultas, ut sola sit illud, quod ingenii
nomine appellare consuevimus. Qua qui praediti sunt,
etiam si careant illa, quam statim dicemus, iudicii subti-
litate, tamen saepe felicissime exercent artem criticam,
quatenus ea quidem in coniectandi facilitate consistit: sed
si res demonstratione indigēt, neque ipsi sibi rationes red-
dere possunt, neque alios quo ad suam sententiam per-
ducant, habent. Quamobrem tertia accedere debet iudicii
vis et subtilitas, quae caussis rerum investigandis, expli-
candisque rationibus, et doctrinae et sensui lumen afferat.
Atque huius demum accessio facit, ut quis vere dignus
appellatione critici cēseri possit, non secus ac militem
neque arma faciunt, nec fortitudo, si disciplina atque
exercitatio absit. Est autem haec uti praestantissima in
critico virtus, ita eadem etiam periculosissima, non quod
quis nimium habere iudicii queat, sed quod abuti eo pro-
clive est. Quum enim qui acri iudicio sunt, plerumque
severiore soleant et fervidiore ingenio praediti esse, facile
eo abripiuntur, ut sola iudicii vi omnia perfici posse existi-
ment, atque ita modo ea, quae discendo cognosci de-
bent, negligant, modo sensum admonitorem non audiant.
Non est autem obscurum, pro rerum, quas quis tractet,
diversitate, plus minus eum abuti iudicio posse. Sunt
enim, quae unice iudicio opus habeant: in quibus nullus
est abusus iudicii. Aliud est enim, perperam iudicare,
quod potest accidere etiam non abutenti iudicio; aliud,
abuti iudicio, quod facere potest etiam qui recte iudicat.
Sunt vero etiam, quae moderatorem iudicii sensum illum,
quem diximus, requirant: in quo genere proprius est iu-
dicii abusus, si quis, ubi sensum consuli oportebat, ab
iudicio auxilium petat. Ex illo genere, quod primum
posui, res sunt historicae: in quibus pervestigandis, si
materia omnis congesta est, nulla re nisi iudicio opus est.
Quare has, qui omnia ad iudicandi severitatem revocant,

recte tractabunt. Idque Bentleium in dissertationibus illis Phalarideis et epistola ad Io. Millium sic fecisse videmus, ut vix ullum perfectius cogitari artis criticae monumentum possit. Ad alterum genus scriptorum veterum interpretatio atque emendatio pertinet. Ea vero in primis sensu illo indiget, qui ex obscuris est notionibus compositus, quas attendita operis cuiusque lectione et contemplatione colligimus. Qui sensus quum ob id ipsum, quod obscuris notionibus continetur, quasi inermis sit, si ad iudicii strenuitatem comparetur: facile obmutescat necesse est, si quis, ubi examinare eum potius atque explicare debebat, statim rem ad rationis subtilitatem traducat, eoque disputationem non ad id, ad quod conveniebat, sed ad aliud quid conferat. Idque omnium facillime in poetis fieri potest: quorum quum omnis oratio ad sensum magis, quam ad severas quasdam cogitandi regulas composita sit, non recte interpretabitur eos, qui verba eorum, tamquam si mathematici aut philosophi essent, ad amussim exigat, et non potius quid senserint, quam quid argutando ex singulis verbis elici possit, consideret. Quod si hoc in genere qualem se praeberit Bentleius dicendum est, nullus est scriptor, quem ille adnotationibus instruxerit, quin innumerabilia exhibeat exempla disputationum, in quibus etsi subtilitatem iudicii admirari debeamus, tamen non possimus non abusum eius reprehendere. Etenim quum ille fervidius omnia atque haud raro etiam cupidius attrectaret, saepenumero elabi sibi passus est ea, quae si animadvertisset, longe aliter fuisset iudicaturus. Nam etsi sensu illo, quem diximus, minime carebat Bentleius, tamen saepe, fervidioris naturae impetu abreptus, dum explicare eum vel negligebat, vel ob rei difficultatem defugiebat, in iis retinebatur, quae ad primum adspectum non satis commode dicta videbantur, eaque tam cupide emendabat, ut suis ipse disputandi artificii captus, non videret illa, ex quibus nullam esse emendandi necessitatem intelligere potuisset. Ita factum est, ut hic tam eximius vir minime eandem in poetarum emendatione, quam in explicandis rebus historicis laudem meruerit. Verum-

tamen ut ille plurimos poetarum locos, si verum fateri volumus, corruperit magis, quam emendaverit, tamen ratio, qua in his disputationibus usus est, tam egregia, ut nihilominus exemplum haberi debeat, quod imitentur, qui diligenter, accurate, et perspicue de his rebus disceptare volunt. Qui ut et hoc discant, et simul temeritatem, quam in Bentleio multi notarunt, declinare adsuescant, mea sententia illud potissimum operam dare debent, ut has Bentleii disputationes, quibus ille locos sanos vexavit, aut affectos non recte restituit, eadem, qua ipse uti solebat, diligentia ac strenuitate refellant, quaeque neglecta sunt ab eo, ea in luce collocent, ut errasse eum iam dubitari amplius nequeat. 7 Nam illud quidem facillimum est, sensu monente improbare ac reiicere eius emendationes: idque permulti, immo plerique fecerunt editores Horatii Terentiique, quorum tamen nullus fuit, qui comparari cum Bentleio posset. Hoc vero, refutare eum, uti saepe difficillimum est, ita, si recte et plene fiat, simul et debitam tanto viro reverentiam prodit, et operam scriptoribus illis vere salutarem praestat, et exercitationem affert artis criticae utilissimam.

Sed non est praetereunda una res, in qua Bentleius singulari cum fructu litterarum sensui omnia, iudicio prope nihil tribuit. Dico autem rem metricam, in qua luculentissime apparet divinum viri ingenium, qui non alio duce, quam sensu suo, spretis inanibus magistrorum commentis, nova nullique tentata via ad veritatem perruperit. Nam quum omnis numerorum scientia a sensu originem ducat, naturam eorum autem rationesque explicare difficillimum sit: non est mirum, Bentleium, quae vera esse sentiret, quum ea explicare non posset, audacter ut certa in medium attulisse: quorum explanatione ut supersedere posset, arcanam rationem musices memorabat, bene gnarus, opinor, aliis eam non magis quam sibi ipsi notam esse. Ita evenit, ut, quum iudicium ab his rebus procul haberet, solumque sensum sequeretur, non incideret in erro-

res illos, a quibus aliter vereor ut immunis mansisset. Quod si in singulis quibusdam locis aut versibus Terentii ab recta metrorum ratione aberravit, haec non est eius metricae scientiae quaedam perversitas, sed de verbis ad metra accommodandis pravum iudicium.

Itaque ut paucis comprehendam, sic iudicabimus de Bentleio, in rebus historicis criticum eum esse perfectissimum; in scriptorum autem veterum, poetarum maxime, emendatione saepissime abusum esse iudicio suo, ita tamen, ut etiam ubi errat, in demonstranda defendendaque sententia sua admirabilis sit; denique, ubi eum rei natura ac necessitas quaedam ad solum sensum veri redegerat, nulla iudicio abutendi copia relicta, eximium conspici.

8 Iam vero quod ad eius editionem Terentii attinet, de qua quod ad rem metricam spectat quid sentirem, non uno loco in his, quae de metris scripsi, significatum est, de ea quod supra dicebam, multo me aliter iudicare, quam Fr. A. Wolfium, id ut non sine idoneis rationibus dictum ostendam, non hinc illinc aliquid decerpam, quod quaesitum potius esse, quam ultro se obtulisse videatur, sed prologis utar Andriae et Eunuchi, ut eiusmodi exemplis, in quibus aliquanto difficilius, quam in aliis, quod peccari potuerit, inveniri quis suspicetur. Et in Andriae quidem prologo, fateor, non nisi duo loci sunt, in quibus eum aberrasse a vero putem: plures in prologo Eunuchi. Erat ei autem praeter solitam illam audaciam alia in Terentio, eaque duplex ad errorem proclivitas, una, quod nimium festinabat hanc editionem, altera, quod, quum Fr. Harium inséctaretur, cupidius, quae huius viderentur negligentiam arguere, exquirebat. Sed accedam ad rem. In prologo Andriae v. 9. edidit:

*Menander fecit Andriam et Perinthiam.
qui utramvis recte norit, ambas noverit.*

*non ita dissimili sunt argumento, et tamen
dissimili oratione sunt factae ac stilo.*

In libris est *sed tamen*, quod quum metro repugnaret, emendandum fuisse, non est dubium. Posuit ergo *et tamen*, quod tribus confirmat argumentis. Eorum ultimum aperte argutius quam verius est. Nam quum Donatus scribat, *sed tamen, ἀνακόλουθον est: non enim supra posuit Quidem*, probat hoc, contenditque, si *sed tamen* scripsisset Terentius, debuisse eum etiam *quidem* ponere; nunc, quum non praecesserit *quidem*, consequens esse, ut *et tamen* sit vera lectio. At haec ratiocinatio falsissima est. Nam si verum est, ad *sed tamen* requiri *quidem*, in quam rem duo exempla affert, nihil aliud concludi potest, quam, ubi *quidem* desit, non potuisse *sed tamen* dici; non etiam, dicendum fuisse *et tamen*. At vero etiam prius illud falsum esse, vel sine exemplis apertum est. Quid autem si ipse Terentius etiam alibi sic loquitur? Ac facit in Adelph. IV. 4, 15.

*sensi ilico ad illas suspicari: sed me reprehendi
tamen.*

Aliud argumentum ab Eugraphio petit, apud quem, quod ipse coniecerat, *et tamen* scriptum sit ad v. 8. Et ita sane edidit Lindenbruchius. Sed editio Westerhoviana, in qua e duobus MSS. editus est Eugraphius, *sed tamen* habet: quamquam quum haec valde negligenter facta sit, non multum ei tribuam. Illud vero apparet, admodum levem esse tam corrupti scriptoris auctoritatem. Itaque tertium denique argumentum videamus, quod depromptum est ex duobus aliis Terentii locis, Andr. I. 1, 32.

*horum ille nihil egregie praeter caetera
studebat: et tamen omnia haec mediocriter.*

Et IV. 1, 9.

et timent, et tamen res premit denegare.

At quid probant hi loci? Inveniri *et tamen*: nihil amplius. Quin secundus eorum ne debebat *quidem* comme-

morari, ut in quo non *et tamen* coniuncta sint, sed duo et sibi respondeant. Prior vero locus etiam redarguit emendationem, quam fecit. Demonstrat enim, ubi dici possit *et tamen*. Est autem his oculis non nisi in primaria sententia locus. Atque hoc ibi vult Simo, nihil quidem istorum illum egregie studuisse, sed tamen omnia mediocriter, i. e. quantum satis esset. Atqui in prologo illud *et tamen* in secundaria sententia foret. Neque enim hoc dicit, esse quidem fabulas istas non ita dissimili argumento, sed tamen oratione ac stilo dissimili: ex quo simul apparet, cur *quidem* ibi poni non potuerit: sed hoc vult, etsi oratione ac stilo dissimili sint, tamen argumento non esse ita dissimili. Hinc primo eam, quae primaria sententia est, solam ponit: *non ita dissimili sunt argumento*. Ei recte deinde addet, *sed tamen oratione sunt dissimili*, quo paullum restringat, quod dixerat. Quod si *et tamen* diceret, non restringeret illud, sed plane elevareret et tolleret, ut iam non esset amplius primum. Est enim illud *et tamen* idem quod *nihilominus*. Itaque quum *sed tamen* metri causa, *et tamen* autem propter sententiam dici non potuerit, quid aliud, quam neutrum admittendum esse, sed aliam emendationem quaeri debere iudicabimus? Et quum tribus modis scribere potuerit Terentius, aut *tamen* solum, aut *attamen*, aut sic, *ut tamen dissimili oratione sint factae ac stilo*, nemo facile erit, quin, nisi *tamen*, *attamen* praefendum putet, quod non ita raro eadem potestate est, qua *verumtamen*, ut apud Cic. Ep. ad fam. VII. 26. Ac permutantur ab librariis *attamen*, *et tamen*, et *sed tamen*, ut apud Cic. de Fin. III. 15. §. 48. cuius loci propterea mentionem feci, quod interpretes neque disputationem illam, quae ibi est, satis commode explicuisse, et non recte istud *attamen* recepisse videntur, quod, quum longe maxima pars librorum *et tamen* habeat, in quod ibi vix quisquam librarius incidisset, magnam emendationis speciem prae se fert. Ego quidem si quid video, negligentia familiaris sermonis fecit, ut ista et intelligerentur male, et perperam interpungerentur. Quare sic ea interpungenda putem: *haec*

mirabilia videri intelligo: sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, et tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant, non idem facere eas in virtute, neque in caeteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest. Cohaerent haec ita: ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed non idem facere divitias in virtute censendum est: quod censendum est, quoniam latet in illo, non est dubitandum, omisit. Et sic etiam quae sequuntur, facilius videntur explicari posse.

Levius est alterum in prologo Andriae. Nam quod statim sequitur:

quae convenere, in Andriam ex Perinthia fatetur transtulisse atque usum pro suis, 11

„quis fatetur?“ inquit: „an Menander? is enim nominativus in proximo est: adde igitur in fine versus, *ex Perinthia hic?*“ At inane hoc argumentum est, quum recte pronomen omittatur, ubi res ipsa non sinit dubium esse, de quo sermo sit. Quare et hic isto additamento recte carebimus, et in Eunuchi prologo v. 31. ac Phormionis v. 4. Illud vero mireris, cur eam emendationem non fecerit in prologo Heautontimorumeni v. 11: ubi maiorem videri potest offensionem habere haec ommissio pronominis.

Sed videamus Eunuchi prologum, cuius statim primo versui manum emendatricem admovendam putavit. Ibi haec leguntur:

si quisquam est, qui placere se studeat bonis quam plurimis, et minime multos laedere, in his poeta hic nomen profitetur suum.

Hic *studeant* exhibuit. „Nisi enim *studeant* legeris,“ inquit, „inepte inferatur *in his*.“ Itane vero? Immo nihil putem inconsideratius dici potuisse. Nam si inepte inferatur *in his*, nisi *studeant* praecesserit, etiam *studeant* inepte inferatur necesse est, nisi *si quisquam sunt* praecesserit. Pergit autem: „*quisquam qui studeant*, plane „ut And. IV. 1, 3. *cuiquam ut gaudeant*.“ Recte sane: sed dicendum erat, quare haec similia essent, quum facile dissimillima videri possint, si inter se comparentur. Sic enim ibi:

*hoccine credibile aut memorabile,
tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
ut malis gaudeant, atque ex incommodis
alterius sua ut comparent commoda.*

Non hic simpliciter *quisquam*, sed *tanta quisquam vecordia* commemoratur. Quod contra, *si quisquam est, qui placere se studeant bonis*, videri potest sic dictum esse, ut sit, si quisquam est eorum, qui placere se bonis studeant. Sic vero deesset pars necessaria sententiae. De-
12beret enim tale quid dici: si quisquam est eorum, qui placere se studeant bonis, qui id recte, atque ex animo faciat, is est hic poeta. Sed, qui sic verba ista interpretaretur, vel erraret, vel argutaretur. Neque enim dubitandum videtur, quin recte illud dicatur, *si quisquam est, qui studeant*, ut id sit idem ac, *si quisquam student*, ideoque plane comparari possit cum illo, *cuiquam, ut gaudeant*. Nam *quisquam* etsi non est nomen collectivum, tamen sententia ut sit collectiva facit: quam plene si eloquare, talis est: si quisquam est, quales multi sunt, qui studeant: tantane cuiquam innata vecordia est, quanta sunt multi, ut malis gaudeant. Quamquam his omnibus nihil aliud efficitur, quam potuisse Terentium *studeant* scribere. Scripsisse vero, qui probabit? „Vbi Donatus,“ inquit, „cum dixisset *Cuiquam, intulit numerum pluralem: ut alibi: si quisquam est, qui placere se studeat bonis*. Ita quidem hodie editum est: sed luce „clarius est, Donatum hic legisse *studeant*. Priscianus

„p. 1099. *Construuntur, inquit, diversi numeri: Terentius in Eunuchis, Si quisquam est, qui placere se studeant bonis etc. Quisquam enim ad multos intellegitur: quomodo in Adelphis, Aperite aliquis actum. Vbi Putschius quidem studeat dedit, plane contra loci sententiam. At testor ego me in quattuor Prisciani exemplaribus studeant repperisse.*“ Indignum vero, tantum virum ob tantillam rem ita se passum esse cupiditate abripi, ut ne a fraude quidem et fallacia auxilium petere adspernaretur. Cur enim tacuit, et Donatum isto loco, quem affert, ad Andr. IV. 1, 3. et Priscianum, etiam illum versum adiecisse,

in his poeta hic nomen profitetur suum?

Ex quo aperte consequitur, ut potuerint legere *studeant*, tamen non solum non luce clarius, sed potius valde dubium esse, id eos in libris suis habuisse, quum, ut pluralem et singularem coniungi ostenderent, illud *in his* adiciendum duxerint, quo, si *studeant* legebant, carere certe potuissent. Cur autem hic illud, nisi decipiendi lectoris causa, tacuit Bentleius, et non ad Heaut. II. 4, 12. ubi plane ita, ut et Donatus et Priscianus videntur 13 voluisse, scribit: „mutatio est numeri, ut Eun. Prolog. „*si quisquam est — in his.*“ Ita omnis illa disputatio eo redit, ut nihil pro isto *studeant* protulerit, quam quattuor illos libros Prisciani, quorum non videtur permagna auctoritas esse, quum et postremum versum addiderit Priscianus, neque de isto *studeant* quidquam dixerit, et in his, quae de plurali dicit, verba *in his* potius spectasse videatur, ut qui Terentii locum cum hoc Sophoclis compareret in Antigona, v. 707.

*ὄστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
ἢ γλώσσαν, ἢν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
οὗτοι διαπτυχθέντες, ὠφθησαν κενοί.*

Sequitur statim apud Terentium:

tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimabit esse, sic existimet.

HERM. OP. II.

§

Edidit Bentleius *existimarit*, et hanc adscripsit parum consideratam adnotationem: „Plures ex nostris *existimavit*, unus *existimabit*. Sane sententia ipsa futurum potest stulat: *si quid in hoc prologo dicturus est inclementius*. Legendum tamen, *existimarit esse, sic existimet*. „*Si quis existimaverit*, ut v. l. *siquis studeat*. Donatus „ad locum: *Existimat, pro Existimavit*. Corrige, *Existimarit, pro Existimaverit*.“ Neque v. l. scriptum est, *si quis studeat*, neque, si esset scriptum, comparari cum eo posset *si quis existimarit*: quod verbum hic manifesto non est coniunctivus perfecti, sed indicativus futuri exacti. Donatum autem quis credat tam inutilem adnotationem fecisse, *existimarit pro existimaverit*? Immo scripsit hic: *existimat* (sic enim legebat, et est hoc in aliquammultis libris) *pro existimabit*. Hoc ipsum autem *existimabit*, pro quo multi librarii vulgari errore *existimavit* scripserunt, multo magis communi sermoni conveniens est, quam *existimarit*: ut appareat, nihil mutandum fuisse.

Mox dedit:

*qui bene vertendo et eadem scribendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.*

„*Ex Graecis bonis*. Sic,“ inquit, „Faernus: sed ex
14 „priori versui apponendum: ut infra V. 2. 20. *quin involem in Capillum*. Neque enim cum viro docto tam facile corripuerim syllabam cum positione, tum natura longam.“ Praepositionem istam priori versui iam G. Fabricium, Muretum, et alios addidisse, Reizius adnotavit. Et in his quidem nihil est quod hoc miremur. Bentleium vero nollemus, ut Hario contradiceret, fecisse, quod rectius, si quid video, non fecisset. Exemplum, quod affert, alienum est. Nam ibi cohaerent verba utriusque versus una perpetuitate. Hic vero interpunctio est in fine versus, et non cohaerent verba, ut ineptum videri debeat, praepositionem divelli ab nomine suo. Quod autem addit de correptione eius, in eo ipse sibi repugnat, qui in Heaut. II. 4, 17. admiserit hanc correptionem in hoc trochaico:

ut ex illius commodo meum compararem commodum.

Et recte sanè. Vnde scribendum erat, si quidem signis quibusdam et notis indicanda pronuntiatio est,

'x Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Eodem modo Ennii verba disponenda videntur apud Cic. de Or. I. 45.

*suarum rerum incerti, quos ego ope mea
'x incertis certos, compotesque consili
dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.*

In primo huius fragmenti versu, quum vulgo legatur *mea ope*, mutandum fuisse ordinem verborum vidit etiam Car. Reisigius in Coniect. in Aristoph. lib. I. p. 72.

Statim sequitur apud Terentium:

*Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
atque in Thesaurio scripsit,*

et reliqua. Ibi haec adnotavit: „Donatus: *apparet pronunciatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem, quam turpiter et imperite haec fabula scripta sit.* „Iterum: *Phasma: hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio; Thesaurum vero non totum, sed ex uno loco.* Recte quidem haec: sed tamen, ut nunc fertur, totus hic versus arena sine calce est: nec cum prioribus, nec cum sequentibus cohaeret. Equidem in 15 „Donato manuscripto hoc legi, quod in editis non reperitur: *item i. e. similiter.*“ Hinc edidit, *item ut Menandri Phasma*, et confirmandae ei coniecturae affert II. 2, 33. et Heaut III. 1, 8. Poterat multa afferre exempla: sed quo plura attulisset, eo facilius vidisset, frustra afferri. Nam *item* est aliud quam *ita*, et *item ut* aliud quam *ita ut*. Nam *ita* significat, eo modo; *item* autem, eodem modo. Vnde similia quum comparantur, recte dicitur *item*, ut Heaut V. 4, 12.

*non, si ex capite sis meo
natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove;*

non etiam, ubi exemplum affertur, comprehensum iam iis, quibus quia comprehensum est, est etiam simile. Cui rei significandae *ita* aptum est. Recte dicas: hic malas scribit fabulas: *ita* Phasma scripsit. Non recte dixeris: hic malas scribit fabulas: *item* scripsit Phasma. Contra non recte dices: hic male scripsit Phasma: *ita* Thesaurum; recte vero: hic Phasma male scripsit: *item* Thesaurum. Ex quo sequitur alienum esse ab illo Terentii loco *item ut*; nec minus *item sine ut*, quemadmodum est in illa Donati adnotatione. Sed mittamus hanc observationem Donati, quae fortasse ne est quidem huius, sed alius cuiusquam adnotatio, *item* in corrupto codice legentis: quid illud est, quod versum istum nec cum prioribus, nec cum sequentibus cohaerere ait Bentleius? Imperiose hoc dictum est; minime vere. Nam quis nescit, hoc vocabulum *idem* natura sua nectendae orationi inservire, ubi quidem de eodem diversa praedicantur? Horatius: *informes hiemes reducit Iuppiter: idem submovet*. Et sic Terentius hic aptissime hoc vocabulo usus est ad connectenda, quae de poeta isto refert. Bene vertendo, inquit, ex Graecis bonis Latinas fabulas fecit non bonas, i. e. ut recte Bentleius, oratione parum Latina scriptas: *idem* Menandri Phasma nunc nuper dedit, atque in Thesauro posuit quaedam valde absurda. In Phasmate quid peccaverit iste, nescimus. Aliud certe, quam orationem non satis Latinam notari, apparet ex ipsa illa voce *idem*. Loquitur autem ut de re nota cum quadam contemptus significatione, ut colligi possit, hanc fabulam aut non 16stetisse, aut certe valde displicuisse. In Thesauro autem apertum est non orationem, sed inventionem reprehendi. Itaque tantum abest, ut damnum sit *idem*, ut videatur potius unice verum iudicandum esse. Quin dubitari etiam illud potest, an ista Donati adnotatio, qua ad emendationem faciendam usus est Bentleius, etiam confirmet librorum scripturam: si quidem non inepte conicias, Donatum

sic potius scripsisse: *idem, i. e. similiter*. Quae non vocabuli, sed sententiae explicatio erit.

Versu 17. ita legebatur:

*habeo alia multa, quae nunc condonabitur:
quae proferentur post, si perget laedere.*

„Egredie,“ inquit, „codex C. C. *nunc quae condonabitur*, sic enim et *nunc* et *post*, quae opponuntur, in ictu „ambo sunt, et *quae* non inchoat utrumque colon, parum venuste.“ Codicis illius scripturam in textu posuit. At ea non egregia, sed pessima est. Illud quidem leve est et non dignum argumentum quod quis refutet, quod ait parum venuste utrumque colon a vocabulo *quae* incipere: quae res tanto minus offensionis habet, quod alterum *quae* in arsi, alterum in thesi est. Hoc vero, quod de oppositione verborum *nunc* et *post* dicit, tam est falsum, quam quod falsissimum. Re sane illa opposita sibi sunt: at pronuntiatione et forma orationis non sunt opposita. Essent, si sic dixisset, *nunc quae condonabitur, sed proferentur post*. Et tum omnino sic verba collocanda fuissent. At non est ita loquutus, sed multo venustius, multo convenientius familiari sermoni dixit, *quae nunc condonabitur*; nullo ictu excitans vocem *nunc*, et finiens his verbis orationem. Post demum ei in mentem venit etiam aliquid comminationis adiiicere: unde dicit: *quae proferentur post*. Hoc *post* vero omnino in ictu poni debebat, quia opponitur illi *nunc* quod ante dictum fuerat: sed *nunc* quum dicebat, nondum in animo habebat ei aliquid *post* opponere: quare non poterat *nunc* illud ictu erigi. Falsa ergo scriptura est codicis illius, et argutae potius exilitati rhetoris alicuius, quam purae et simplici elegantiae Terentii conveniens.

Versu 25. in libris est:

17

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam.

„Colax Plauti,“ inquit, „a Nonio Marcello citatur; Nae-
„vii Colax nusquam memoratur: nam quae superiore sae-

„culo apud Nonium et Priscianum ferebantur tamquam ex
 „Naevii Colace, ea iam ex vetustioribus codicibus Novio
 „tribuuntur. Mira vero locutio est, *esse Colacem Naevi,*
 „*et veterem fabulam Plauti.* Veterem modo fabulam!
 „an nullum ei nomen erat? et cur *veterem* de Plautinis,
 „cum Naeviani essent illis veteriores? Denique, si haec
 „vera lectio est, in eo quo accusat Luscius Terentium,
 „etiam excusat. Quippe si noster furatus sit personam
 „parasiti et militis et a Plauto et a Naevio, etiam Plautus
 „suam a Naevio sit furatus. Exemplo igitur ipso accusa-
 „tio diffilatur. Si haec displicent, de correctione cogi-
 „tandum erit. Codex bonus C. C. C. *Naevi Plauti* sine
 „coniunctione *et.* Fallor, an sic dedit Terentius:

„*Colacem esse nempe, Plauti veterem fabulam:*
 „*parasiti personam inde ablatam et militis.*“

Et hoc in textu posuit. Captiosa haec, sed valde infirma disputatio est. De Plauti quidem Colace hodie etiam per Frontonem constat, qui vol. I. p. 80. tres ex ea fabula versus affert. De Colace Naevii autem quod ait, superbius simul et incuriosius pronunciatum est. Operae pretium certe erat, nominatim indicare vetustos illos Nonii Priscianique codices, quorum auctoritate Novio ea fabula adscribenda esset. Nam Nonii editiones antiquae Naevium nominant, cui Novii nomen Ios. Mercerus ex coniectura substituendum censuit. Nunc quum Novius Atellanarum scriptor fuerit, cuius fabulae fere omnes Latina aut Osca nomina habent, ut de perpauca, quae Graecis nominibus sunt, quaerendum, an huius poetae sint, esse videatur; quum porro Terentii libri omnes aperte Naevii Colacem exstitisse testentur; denique quum eam fabulam sub Naevii nomine semel Priscianus, saepius Nonius afferat, in quibus sicubi variat nominis scriptura, non valet hoc continuo ad abiudicandam a Naevio hanc fabulam, siquidem Naevii, Novii, Laevii, Livii nomina ubique commutantur: omnia nos eo videntur adducere 18debere, ut non Novii, sed Naevii fabulam Colacem fuisse statuamus. Accedit quod fragmenta huius fabulae, ut a

Novii stilo non abhorreant, tamen ne quod a Naevio quidem alienum putari debeat, continent. Sunt autem haec. Apud Nonium in v. *prolubium* p. 64, 9. *Naevius in Colace*:

*et volo,
et vereor, et facere in prolubio est.*

Apud eundem in v. *collum* p. 200, 24. *Naevius: cor utrum scapulae plus an collus calli habeat nescio*. Corrigunt: *Naevius Colace: utrum*; recte, ut videtur. Versus, qui aut trochaicus fuit septenarius, aut iambicus octonarius, ita scribendus:

. . . *utrum scapulae plus an collus habeat calli
nescio.*

Apud eundem in v. *protinus* p. 376, 11. *Naevius in Colace*:

. . . *ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus
protinam
me dedi.*

Apud eundem in v. *multare*, p. 462, 32. *Naevius Colace: et asseri laudes ago quum votis me multatis meis quod praeterquam vellem audiebam hoc mihi eminus*. Sic ed. Veneta a. 1496. nisi quod pro *Naevius Colace*, ut postea scribi coeptum, habet *Neuius: Colar* cum lineola super littera *r*, quae *um* notat. Aliae edd. pro *eminus* dederunt *Ennius*. Mercerus, qui Novii nomen reposuit, miris coniecturis tentavit hoc fragmentum, quas satius est praeterire, quum facillima mutatione corrigi posse videatur. Scribe:

*et asseri
laudes ago, quum votis me multat meis,
quod, praeter quam vellem, audiebam hoc mi
eminus.*

Loquitur aliquis, qui quum per asserem parieti sarciendo insertum e longinquo plus etiam, quam voluerat, audivisset, laudat asserem, per quem compos voti factus sit. Denique apud Priscianum sub finem libri IX. p. 874. ita

legitur in ed. Putschii: *Naevius in Colace: qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi a publicando epulo Herculis decumas.* Et in Naevii quidem nomine omnes, quos ego sciam, libri consentiunt. Alter cod. Lips. *quid pro qui.* Fortasse ita scribendum hoc fragmentum:

- 19 *quid decumas partis? quantum mi alieni fuit, polluxi tibi iam publicando epulo Herculis decumas.*

Quae verba erunt exprobrantis beneficia in parasitum colata. Vide interpretes Plauti ad *Curc.* II. 3, 79. *Stich.* I. 3, 81. Sed satis mihi videor Naevio asseruisse fabulam Colacem. Itaque revertor ad Bentleium. Qui quod dicit, miram esse locutionem, *Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam,* et quae porro de his verbis disputat, neminem arbitror tam hebetem esse, quin videat, de industria eum calumniari. Nam quis sibi persuadeat, non vidisse eum, sic verba esse iungenda, *Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam.* Immo bene vidit: sed sciens dissimulavit, ut haberet, quo scripturam suspectam redderet. Nam in illis nihil erat, quod reprehenderet, quum Luscius dixit, Eunuchum Terentii non novam, sed veterem fabulam esse; esse enim Colacem Naevii et Plauti. Veterem enim fabulam nemo non videt, non tam eam dici, quae multos ante annos edita sit, quam hanc, quae non contineat novum aliquod et non ante in scena visum argumentum. Sed pergit alio artificio confutare librorum scripturam, quum in eo, in quo accuset Luscius Terentium, eundem simul excusare ait. Nam si Terentius furti accusetur, idem etiam Plautum fecisse, ut ab Naevio, qui se antiquior esset, argumentum istud furaretur. Esto vero, ut Naevium compilaverit Plautus: quid hoc ad rem? Furtum in Terentio reprehendit Luscius, qui, si idem etiam Plautus fecit, num laudabit hunc? immo aequè reprehendet, et non fuisse imitandum dicet: ut nihil hinc excusationis Terentio possit accedere. Omnino autem non de eo agitur, quid Plautus

recte aut male fecerit, sed de eo, quod Terentius fabulam ediderit non novam, sed veterem, iam a Naevio, iam a Plauto tractatam: quae tanto gravior est reprehensio, quod non unus, sed plures iam idem argumentum in scenam protulerant. Ex his apertum videtur esse, nihil ista correctione potuisse infelicius excogitari.

Versu 35. ita scriptum videmus:

*quod si personis isdem uti aliis non licet,
qui magis licet currentis servos scribere,
bonas matronas facere, meretrices malas, 20
parasitum edacem, gloriosum militem,
puerum supponi, falli per servom senem,
amare, odisse, suspicari?*

In optimo libro Bembino primi duo versus ita scripti sunt:

*quod si personis iisdem huic uti non licet,
qui magis licet currentem servum scribere.*

Faernus, quod in posteriore versu est, *currentem servum*, argumento valde infirmo amplectitur: ut facile assentiamur Bentleio, pluralem ex caeteris libris, ut concinniore, servanti, licet non ita eum tueamur, ut non etiam singularem illa si non grata, at certe ne ingrata quidem licentia defendi posse existimemus. In priore autem versu Faernus, utra melior lectio esset, non audebat statuere. Bentleius vero, „atqui,“ inquit, „facile erat, utra melior „esset, statuere. Recte *aliis*, quia multi tum una florebant poetae: non *huic*, quasi hic solus tum scriberet.“ Hic primo ipsum argumentum vituperamus, quia debile est; deinde, quod usus est eo argumento, quum aliud adesset melius. Ac debile est, quia qui de uno loquitur, ubi non opus est de aliis dici, non excludit eos. Atqui Terentius reprehensus fuerat, non alius. Itaque quidni interroget, cur sibi id non liceat? Sed meliore Bentleius argumento uti poterat. Nam repugnat quodammodo hoc pronomine *huic* sequentibus, quae quum aperte non de uno sint, sed de omnibus intelligenda, pronomine isto po-

sito, ad hunc unum referenda videbuntur: ex quo haec nascetur sententia: si huic non licet iisdem personis uti, qui magis ei licet currentes servos scribere? Quod ineptum esse apparet, quia, quid sibi liceat, non suo debet, sed aliorum omnium exemplo ostendere. Quamquam haec quoque speciosior, quam verior argumentatio foret. Adeo enim planum est, de omnibus poetis hic sermonem esse, ut, sive *huic*, sive *aliis* legatur, nemo haec verba aliter sit accepturus. Nisi paullo maior, si *aliis*, quam si *huic* legitur, orationis est partium convenientia. Sed huius convenientiae neglectio tam est propria familiaris sermonis, ut naturam eius contineat. Itaque vel propter hanc ipsam negligentiam dubitari potest, an praefendum sit

21 *huic*. Est vero aliud, quod mireris a Bentleio, qui diligentissime solet ad numeros attendere, non esse animadvertum. Nam in vulgata scriptura recte quidem et *isdem* et *aliis* in ictu est, *uti* autem extra ictum: sed quis tamen non sentiat, valde ineleganter hoc *uti* ita esse collocatum, ut, quum secunda syllaba elidatur, prima autem eum teneat locum, in quo brevius pronunciari debeat, totum verbum prope effugiat et vix aliquod sui relinquat vestigium? Contra, quod in libro Bembino est, plane exaudiri sinit verbum *uti*, quod nunc, ubi *alii* abest, recte sub ictum positum est, pronomine *huic*, uti debet, delitescente. Quod si huius libri scriptura ad familiaris sermonis consuetudinem valde est accommodata, ad numeros autem etiam aliquanto, quam vulgata, elegantior: recte dubitari poterit, an sit praefenda. Quumque haec dubitatio eo redeat, ut quaeratur, utra lectio facilius ab interpretibus ac librariis proficisci potuerit, non obscurum esse arbitror, si *aliis* scriptum fuisset a Terentio, non posse idoneam causam inveniri, quare quis, quod sponte intelligebatur, etiam Terentium his *aliis* comprehendere adnotaverit. At si ille *huic* scripserat, et tamen in sequentibus non de hoc solo, sed de *aliis* quoque poetis omnibus loquebatur, recte potuit observari, quum *huic* diceret, omnino eum intelligere poetas alios, quam qui iam personis illis usi fuissent.

Pergit Terentius v. 40.

denique

nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

„Quinque ex nostris,“ inquit, „*non sit dictum.* Credo
„poetam sic dedisse:

„*nullum est iam dictum, dictum quod non sit
prius.*

„ut supra v. 27.

„*si id est peccatum, peccatum imprudentia est.*

„In utroque loco prius nomen est, posterius partici-
„pium.“ Bene factum, quod hanc coniecturam non in
textum intulit; male factum, quod reliquit in textu, *quod
non dictum sit prius.* Et coniectura quidem ista non uno
nomine mala est. Primo, quod ista duo exempla non
possunt inter se comparari. Nam ut verbum in utroque
idem repetitum sit; ut id verbum utrobique primo nomen,
deinde participium sit: tamen in altero paucissima sunt²²
verba, quorum non nisi duplex cogitari collocatio potest,
aut illa, qua usus est poeta, aut haec, *imprudentia pec-
catum est.* Vterque planus est et commodus ordo verbo-
rum. In altero autem exemplo verba sunt multa, quorum
tres bonae sunt et aptae collocationes: *quod non dictum
sit prius: quod non sit dictum prius: quod non prius
sit dictum.* Ineptae autem sunt, quaecumque a verbo
dictum incipiunt, ut, *dictum quod non sit prius: dictum
quod prius non sit: dictum prius quod non sit.* Ratio
non est obscura. In principio enim collocatum hoc ver-
bum oppositionem aliquam indicat et comparisonem ad
ea, quae non sint in dicendo posita. Tale quid enim in-
telligere cogimur: nullum est dictum, dictum quod non
sit prius, sed cogitatum, sed factum. Atqui id alienum
est ab hoc loco. Quod si necessario a verbis *quod non*
initium fieri debet, cur, quod modo significabamus recte
dici, *quod non dictum sit prius*, id hoc loco non est
probandum? Propterea, quia, quum idem verbum iterum

ponimus, si id repetimus eodem modo, eadem vi, eadem mente, pronunciandum est etiam eadem vocis ratione: ut in *Adelphis* IV. 5, 62.

M. bóno animo es: ducés uxorem. AE. hem.
M. bóno animo es, inquám. AE. pater.

Sed ubi repetiti verbi vel maior est, vel minor vis, vel quocumque denique modo alia ratio, etiam pronunciari debet aliter. Vt in illo,

si id ést peccatum, péccatum imprudentia est.

In *Eun.* I. 2, 122.

et quicquid huius féci, caussa virginis feci.

In *Heaut.* I. 2, 28.

paterétur: nam quem férret, si paréntem non ferrét suum.

V. 2, 23.

nil succénseo
néc tibi, nec tibi: nec vos est aéquom, quod fació mihi.

Eodemque modo, si alia persona id verbum repetit: ut *Adelph.* IV. 5, 65.

M. ábi domum, ac deos cómprecare, ut úxorem accersás: ábi.

23 *AE. quíd? iam uxórem? M. iam. AE. iam.*
M. iam quantúm potest. AE. dí mé pater.

Quod si nomiulla in contrariam partem exempla videntur afferri posse, reputandum est, etiam eodem ictu pronunciata vocabula tamen sibi dissimilia reddi, si alterius ictus prior, alterius posterior sit dipodiae, ut in *Andr.* III. 5, 11.

*miserum impeditum esse? D. út iam expédiam.
P. expédies? D. certe, Pámphile.*

Illud vero perperam, quod in eadem scena suo iudicio Bentleius dedit v. 8.

*nec quíd me nunc faciám, scio. D. nec quíd me,
atque id ago sédulo.*

Vulgo in Davi verbis, *nec quidem me*. Eleganter codex Lipsiensis:

*nec quíd nunc me faciám scio. D. nec mé quidem,
atque id ago sédulo.*

Iam ut redeam ad illud, *nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius*, non potest haec verborum collocatio reprehendi, si haec sine metro tamquam prosa oratio proferuntur: quia tum repetitum hoc *dictum* sine ullo ictu pronuntiatur, et potius in ultimo vocabulo vox erigitur. In versu vero eadem prava erit dispositio, quia in utroque membro eadem huius verbi *dictum* syllaba non modo ictum, sed etiam eundem ictum dipodiae habebit. Ex quo intelligitur, recipiendum fuisse, quod quinque illi codices praebuerunt, quibus noster accedit Lipsiensis liber, *quod non sit dictum prius*.

Denique ne postremi quidem versus huius prologi sine levi quadam animadversione dimitti poterunt.

*Date operam et cum silentio animum attendite,
ut pernoscatís, quid sibi Eunuchus velit.*

Observat Faernus, in antiquis libris non esse copulam *et*, quae est etiam in cod. Lips. ommissa. Bentleius servavit eam: libri ipsius utrum haberent, an non haberent, non indicavit. Fateor non multum interesse. Attamen non temere spernenda est librorum auctoritas, praesertim si alia eam similia exempla confirmant. Videtur autem haec locutio, *operam dare*, adiecto sine copula alio verbo, 24

non per se esse intelligenda, sed cohaerere cum his, quae sequuntur, unamque cum iis sententiam efficere, ut *date operam, animum attendite* sensu idem sit, ac, *date operam, ut attendatis animum*. Ita in prologo Phormionis v. 30.

date operam, adeste aequo animo per silentium.

In Eunucho II. 2, 50.

*tum tu igitur paululum da mi operae, fac
ut admittar*

ad illam.

Et apertius II. 3, 71.

*faciam sedulo, ac
dabo operam, adiutabo.*

Quae ibi omnium est librorum scriptura. Sed Bentleius, qui ad hunc usum non attendisset, ut per asyndeta fortius incederet oratio, ex coniectura posuit: *faciam sedulo, dabo operam, adiutabo*.

Videtis, Candidati humanissimi, quam multa sint in Bentleii editione Terentii, quae confirmant nostrum illud de ea, quod supra posuimus, iudicium. Attulimus autem haec eo fine, ut, si nemo est, quem iis, qui recte antiquitatis studia tractare volunt, magis tamquam exemplum, quod imitari debeant, proponi posse existimamus, tamen simul eos moneremus, ne temere tanti viri auctoritatem sequuti in eos errores inciderent, ad quos vitandos idem, si quis eum recte et cum iusta libertate iudicii imitetur, optimus esse et certissimus dux reperiatur. Id igitur ut faciatis, speramus vos operam daturum. Iam vero accipite illud, quod nobis hanc scribendi occasionem praebuit. Constituit enim Ordo Philosophorum, ut qui antiquo ritu Artium liberalium Magistri ac Philosophiae Doctores creari cuperent, die XVI. Ianuarii ad sollemnem petitionem in conclavi nostro convenirent, ut admissi ad

usitata colloquia, si idoneos in litteris profectus nobis approbassent, deinde honoribus nostris ornarentur. Hos igitur, qui honores illos consequi cupiunt, rogo ut ante eum diem, quem dixi, me, qui Procancellarii munere nunc fungor, conveniant, litterasque petitorias, ut mos est, ad me deferant. Me quidem, Ordinemque Amplissimum, si quid sit, in quo eos adiuvere possimus, omni studio ac voluntate paratissimos invenient.

DE MUSIS FLUVIALIBVS EPICCHARMI ET EVMELI *).

3Est quaedam etiam nesciendi ars et scientia. Nam si turpe est nescire, quae possunt sciri, non minus turpe est, scire se putare, quae sciri nequeunt. Alterum enim segnitiam aut inertiam, alterum assentandi levitatem aut temeritatem coniectandi arguit. Posita est autem haec, quam dico, ars in eo, ut quis cognito, quousque progredi sciendo liceat, quod citra est, strenue persequatur; quod autem ultra est, ab eo sese abtineat. Volo hanc rem exemplo illustrare, quod suppeditant ea, quae veteres de Musis retulerunt. Nam neque qui olim doctum de his syntagma scripsit, Lilius Gregorius Gyraldus, nec nuper Frider. Christ. Petersenius, cuius dissertatio de Musarum apud Graecos origine, numero, nominibusque in Miscellaneis Hafniensibus tom. I. fasc. I. edita est, aut alii, qui hunc locum attigerunt viri docti, illud, quod omnium difficillimum in hac disputatione est, satis commode videntur explicuisse. Ac de numero Musarum, quas alii tres **), alii quattuor, alii septem, quidam octo, pleri-

*) Edita est a. 1819. Ingeniosae Buttmani de hac dissertatione animadversiones insertae sunt Friedemanni et Seebodii Miscellaneis criticis vol. II. part. III. p. 487. seqq.

***) Fuerunt etiam, qui duas tantum esse dicerent, ut ex Eudocia observavit Buttmannus.

que novem esse dixerunt, e Graecis scriptoribus mentionem fecerunt Diodorus Siculus IV. 7. exscriptus ab Eusebio Praep. Eu. II. 2. p. 54. Plutarchus Q. Symp. IX. 14. et de animae creatione in Timaeo p. 1029. D. Pausanias IX. 29, 2. et 30, 1., de quo loco recte iudicavit Petersenius p. 93. Comparandus Antipater Sidon. ep. 35. (in Iacobsii nova Anthol. t. II. p. 692.) Porro Cornutus c. 14. scholiastes Apollonii Rhodii ad III. init. Tzetzes ad Hesiodi O. et D. p. 6. quocum consentiunt Eudocia p. 294. et fragmentum de Musis in Catal. bibl. Matritensis p. 320. et apud Ruhnkenium Epp. crit. p. 222. (309. ed. tert.) Ex Latinis autem Varro apud Augustinum de doctr. Christ. II. 17. Cicero de N. D. III. 21. Arnobius adv. gent. III. p. 121. ed. Antv. 1582. Servius ad Virg. Ecl. VII. 21. et ad Aen. I. 8. Sed quae ab his scriptoribus tradita sunt, in his nihil tam mirum est, quam quod a Tzetzam et Eudocia et in fragmento illo de Musis his verbis perscriptum est: *Εὐμηλος μὲν· τοι ὁ Κορινθίος τρεῖς φησὶν εἶναι, θυγατέρας Ἀπόλλωνος, Κηφισοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βορυσθενίδα. Et paullo post: Ἐπίχαρμος δὲ ἐν τῷ τῆς Ἥβης γάμῳ ἑπτὰ λέγει, θυγατέρας Πιέρου καὶ Πιμπληίδος νύμφης· Νειλοῦν, Τριτώνην, Ἀσωποῦν, Ἐπταπόρην, Ἀχελῶίδα, Τιτόπλουν, καὶ Ῥοδίαν.* Sic est apud Tzetzam et Eudociam. Sed in fragm. ap. Iriart. Musarum nomina sic scripta: *Νιολοῦν, Τριτώνην, Ἀσωποῦν, Ἀχελῶίδα, Τιτόπλουν, Ἐπταπόρην, καὶ Ῥοσίαν.* Facile apparet, haec nomina, si non omnia, certe maximam partem a fluviis repetita esse. Mittamus nunc Eumelum, et videamus illa, quae Epicharmus posuit. Ac mirum foret, si, quum Nilo, Tritone, (haec enim genuina nominis scriptura est,) Asopo, Achelois, aperte a fluviis nominatae sint, non idem factum esset in caeteris nominibus. At horum duo non minus, quam illa, quae diximus, a fluviis ducta esse, Homeri versus docet Iiad. μ. 20.

*Ῥήσός θ', Ἐπτάπορός τε, Κάρησός τε,
Ῥοδῖός τε.*

HERM. OP. II.

T

quem sequutus Hesiodus in Theog. 341. scripsit,

*Νέεσον τε, Ῥοδίον θ', Ἀλιάκμονά θ', Ἐπτά-
πορόν τε.*

Ex quo intelligitur, recte in fragmento illo *Ἐπταπόρον*, apud Tzetzam autem et Eudociam *Ῥοδίαν* legi. Hoc minus dubitari poterit, quin etiam quod solum reliquum est, corruptum nomen *Τιτόπλου* vel *Τιτόπλου*, ab aliquo fluvio ductum sit. Emendationem eius aliis relinquam. Mihi verisimillimum videbatur, ex *Πακτωλοῦν* depravatam esse.

Sed sublata quae in ipsis nominibus erat difficultate, videamus, quae causa fuerit, quare a fluviis haec nomina omnia repeterentur. Ac Petersenius acquievit in Creuzeri sententia, viri in omni antiquitate versatissimi. Is in doctrina symbolica vol. III. p. 288. nymphas omnes dictas esse Musas contendit: in quam rem primo Stephani Byzantini auctoritate utitur, cuius haec verba sunt: *Τοῦρῆβος, πόλις Ἀυδίας, ἀπὸ Τοῦρῆβου τοῦ Ἄττος. τὸ ἔθνικόν, Τοῦρῆβιοι· καὶ θηλυκόν, Τοῦρῆβις. ἐν δὲ τῇ Τοῦρῆβιδι ἔστιν ὄρος Κάριος καλούμενον, καὶ ἱερόν τοῦ Καρίου ἐκεῖ· Κάριος δέ, Διὸς παῖς καὶ Τοῦρῆβίας, ὡς Νικόλαος τετάρτῳ· ὃς πλαζόμενος περὶ τινα λίμνην, ἣτις ἀπ' αὐτοῦ Τοῦρῆβία ἐκλήθη, φθογγῆς νυμφῶν ἀκούσας, ἃς καὶ Μούσας Ἀυδοὶ καλοῦσι, καὶ μουσικὴν ἐδιδάχθη, καὶ αὐτὸς τούτῳ Ἀυδοῦς ἐδίδαξε· καὶ τὰ μέλη διὰ τοῦτο Τοῦρῆβία ἐκαλεῖτο.* Sic scribendus hic locus *), qui neque in editionibus satis recte scriptus est, et aliter tentari debebat a Creuzero in fragm. histor. Gr. p. 156. Porro scholiasten Theocriti affert Creuzerus ad V. 149. et VII. 92.

*) *Ἀκούσας* pro *ἀκούσαι* iam Gronovius coniecit. Pro vulgato *καὶ αὐτὸς Ἀυδοῦς* Buttmanus p. 489. *καὶ αὐτὸς αὐτὸς Ἀυδοῦς* scribi malebat, sed acquiescendum iudicavit in scriptura codicum *καὶ αὐτὸς Ἀυδοῦς*. Ac probe *αὐτὸς*, sed adiciendum esse etiam ad *Ἀυδοῦς* articulum, linguae leges certissimae docent.

In priore loco nihil de Musis aut nymphis: in altero haec inveniuntur: *νύμφαι· ἐν εἰρωνείᾳ, ὡς πρὸς αἰπόλον· ἐχρῆν γὰρ εἰπεῖν, αἱ Μοῦσαι. εἰ μὴ τις περιέργως* (sic scribendum pro *παρέργως*) *τὰς νύμφας ἀκούει Μοῦσας. οὕτω γὰρ αὐτὰς οἱ Ἀνδοὶ καλοῦσιν.* Tum Suidam in v. *νύμφαι: καὶ αἱ Μοῦσαι δὲ ὑπὸ Ἀνδῶν νύμφαι,* quae iisdem verbis apud Photium leguntur. Et Hesychium, qui in v. *νύμφαι* ita: *καὶ Μοῦσαι θεαί,* et in v. *νύμφη* sic, *καὶ ἡ Μοῦσα.* Denique ut ostendat, proprium hoc fontium creditum esse, ut divino quodam spiritu animos afflarent, iis utitur, quae I. H. Vossius ad Virgilio Ecl. VII. 21. attulit, et illo quidem potissimum loco, quem is ex hymno quodam Apollinis apud Porphyrium de antro nympharum cap. VIII. p. 8. adscripsit. Verba Porphyrii haec sunt: *ὅτι δὲ καὶ ταῖς νύμφαις ἀντιθέσαν ἄντρα, καὶ τούτων μάλιστα ταῖς Ναΐσιν, αἱ ἐπὶ πηγῶν εἰσὶ, καὶ τῶν ὑδάτων, ἀφ' ὧν εἰσὶ ῥοαί, Ναΐδες ἐκαλοῦντο, δηλοῖ καὶ ὁ εἰς Ἀπόλλωνα ἕμνος, ἐν ᾧ λέγεται· σοὶ δ' ἄρα πηγὰς νοερῶν ὑδάτων τάμον ἄντροις, μίμνουςαι, γαίης ἀτιταλλόμεναι πνεύματι, Μούσης θέσπιν ἐς ὄμφην, ταὶ δ' ὑπὲρ οὐδας διὰ πάντα νάη ῥήξασαι, παρέχουσι βροτοῖς γλυκερῶν ρεΐθρων ἀλιπεῖς προχοάς.* Hymnus hic, nisi forte ipsius est Porphyrii, certe alius est ex recentiorum Platoniorum schola, ut et metrum anapaesticum, quo veterum nullus in tali genere poematis usus est, et epitheton illud aquarum *νοερῶν*, quo Platonici illi nimis delectabantur, ostendit. Videtur autem sic scribendum esse hoc fragmentum:

σοὶ δ' ἄρα πηγὰς νοερῶν ὑδάτων 6
 τάμον, ἄντροις μίμνουςαι, γαίης
 ἀτιταλλόμεναι πνεύματι Μούσης
 θέσπιν ἐς ὄμφην· ταὶ δ' ὑπὲρ οὐδας
 διὰ πάντα νάπη ῥήξασαι, ἀεὶ *)

*) Buttmano p. 490. non addendum fuisse videbantur *ἀεὶ*, quod versus esset parqemiacus. Fortasse: modo constaret, quas hic poeta metri leges esset sequutus.

*παρέχουσι βροτοῖς γλυκερῶν ρεΐθρων
ἀλιπεῖς προχοάς.*

In quibus versibus notandum verbum *ἀλιπεῖς* a *λείπειν* deductum, quod neglectum est in lexicis. Accedant ad haec Servii verba ad Virg. Ecl. VII. 21. *ut autem poetae invocent nymphas, sicut hoc loco, item in fine, extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem, haec ratio est, quod secundum Varronem ipsae sunt nymphae, quae et Musae, nec immerito: nam aquae motus musicen efficit, ut in hydraulia videmus. Sane sciendum, quod idem Varro tres tantum Musas esse commemorat, unam, quae ex aquae nascitur motu; alteram, quam aeris ictu efficit sonus; tertiam, quae in mera tantum voce consistit. Iam vero quid his omnibus efficitur? Nihil amplius, quam haec duo: unum, Musas ab Lydis etiam nympharum nomine appellatas esse; alterum, nymphas fontium, ut quae mentes divino afflatu impleant, nonnumquam Musarum loco a poetis invocari. Et ad Lydos quidem quod attinet, non nymphas apud illos Musarum appellationem, sed Musas nympharum habuisse, scholiastes Theocriti, Hesychius, Suidas, Photius apertissime significant: idemque voluisse Stephanum, res ipsa docet: sed epitomator negligenter scripsit, *ἀς καὶ Μούσας Λυδοὶ καλοῦσι*, quum deberet ita, *νύμφας δὲ τὰς Μούσας Λυδοὶ καλοῦσι* *). Eadem negligentia Servius de Varronis sententia loquitur. Recte autem Lydi. Nam generale nomen nympharum est, ut Musae omnino sint in nymphis numerandae, sed non contra, ut nymphae omnes etiam sint Musae. Et sic scriptores antiqui omnes his nominibus utuntur: v. c. Lycophron v. 275. nymphas nominans, *αἱ φίλαντο Βηφύρου γάνος, Λει-**

*) Buttmannus p. 501. defendere studuit epitomatores: qua defensione si hoc voluit, Lydos musicam ab nymphis repetisse, non repugno, sed ut Musarum nomine nymphas appellasse credam, non vincet, nisi caeteros quos dixi auctores, qui contrarium affirmant, errasse ostenderit.

βηθρίην θ' ὑπερθε Πιμπλείας σκοπήν: ubi Tzetzes: θρηνηθεῖς ταῖς νύμφαις, ἤτοι ταῖς Μούσαις, αἵτινες περὶ τὴν Πιμπλείαν καὶ Λειβηθρίαν, καὶ τὸν Βήφυρον οἰκοῦσιν. De iisdem distincte Pausanias IX. 34, 3. ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ Μουσῶν τε καὶ νυμφῶν ἐπέκλησιν ἐστὶ Λειβηθρίων. Quoniam enim nymphae deae sunt ubique latentes, quarum aliae fontes, aliae montes, aliae arbores habitant, occulto earum numine corripī putabantur homines, quicumque insolenti aliquo animi motu, cuius causa non appareret, capti viderentur, qui *νυμφόληπτοι* dicebantur: unde etiam Musae, quarum eadem vis esset, nympharum nomine comprehendi solebant. Nugatur de hac nympharum potestate more suo Hermias ad Plat. Phaedr. p. 75. 87 seq. 91 seq. Itaque quod Creuzerus existimat, nymphas Musas esse, unde concludit, quod repetiit etiam ad Cic. de N. D. p. 591. b. Maiam, quoniam nymppha sit, esse etiam Musam, id haud recte conclusum esse, non opus est ut demonstrarem. Sed huiusmodi ratiocinationibus maxima pars nititur eius quam hodie plerique probant mythologiae. Illud in hac re non possum silentio praetermittere, non debuisse Creuzerum in doct. symb. vol. III. p. 287. ex eo, quod Scaliger ad Festum in v. *corniscarum* ex Hygino attulerat, *ex Iove et Moneta Maia*, aliquod suae sententiae firmamentum petere. Nihil enim aliud Scaliger, quam de sola Moneta cogitans, per negligentiam posuit Maiam, quum Musas, quas nominat Hyginus, dicere vellet. Ac saepius ille, ut qui nimium fideret memoriae, ita erravit. Aliud exemplum infra videbimus.

Revertor ad Epiccharmum, de cuius Musis quae mota erat dubitatio, tantum abest, ut his, quae modo disputavimus, sublata sit, ut magis aucta esse videatur. Nam si ille, quod nomina, quae posuit, prodere videntur, nymphas fluviatiles dicere voluit, non potuit eas Musas vocare: quia Musae quidem nymphae, non autem etiam nymphae Musae sunt. Sin, quemadmodum eas nominavit Musas, etiam intelligi Musas voluit, absurdum videatur

necesse est, quod nomina earum ab eo, quod nymphis convenit, non ab eo, quod Musarum proprium est, repetenda iudicavit. Repugnat hoc quum universae rationi, Siquam Graeci in mythologia sequuti sunt, tum iis, quae alii scriptores de Musis retulerunt. Antiquissimae tres perhibentur Musae fuisse, quae alia alibi nomina, sed omnia a muneribus suis et officiis habuerunt. Quas Aloïdae in Helicone constituerunt Musas, eae, ut Pausanias IX. 29, 2. dicit, Melete, Mneme, Aoede vocabantur. Tres colebant etiam Sicyonii, quarum uni nomen Polymathiae fuisse narrat Plutarchus Symp. Q. IX. 14. p. 746. E. Ex eodem Plutarcho ibidem p. 744. C. intelligitur, Delphos, harmoniam respicientes, tres, quas colebant Musas, Necten, Mésen, Hypaten dixisse. De quattuor Musis, quas alii statuiebant, Ciceronis testimonium exstat in III. de N. D. c. 21. his verbis: *iam Musae primae quattuor, natae Iove altero, Thelxiope, Aoede, Arche, Melete. De iisdemque Tzetzes et Eudocia: "Αρατος δὲ ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἀστρικών τέσσαρας λέγει, Διὸς τοῦ Αἰθέρος, καὶ Πλουσίας νύμφης, Ἀρχήν, Μελέτην, Θελεϊοπην, καὶ Αἰοιδήν. Matris nomen apud Ciceronem excludisse putabat Heindorffus, quum libri post vocabulum altero addant nata vel natae vel nece: et est haec sane valde probabilis coniectura. Quamquam Creuzero non assentiar, qui Nedam, quae nutritrix fuit Iovis, a Cicerone nominatam suspicatur p. 592. Quae coniectura non alio nititur fundamento, quam his verbis Pausaniae VIII. 47, 2. εἰργασμέναι δὲ ἐπὶ τῷ βωμῷ Πέα μὲν καὶ Οἰνόη νύμφη παιδα ἔτι νήπιον Δία ἔχουσιν· ἐκατέρωθεν δὲ εἰσι τέσσαρες ἀριθμόν, Γλανή, καὶ Νέδα, καὶ Θεισόα, καὶ Ἀνδρακία, τῇ δὲ Ἰδη, καὶ Ἀγνώ, καὶ Ἀλκινόη τε καὶ Φοῖβα. πεποιήται δὲ καὶ Μουσῶν καὶ Μνημοσύνης ἄγαλμα. Scilicet ita colligit: non abhorrere a fabularum usu, alumnum cum nutrice sua concumbere; eo honore dignissimam fuisse Nedam, quae Callimacho *πρεσβυτάτη νυμφέων* dicatur; ex nutrice nasci Musas, valde esse consentaneum, quia Iovem nutrices eius *μαιώσαντο*, quod est verbum Callimachi ea de re, *μαῖα* autem et *Μούσα**

teste Etymologo a communi radice, verbo *μῶσθαι*, dictae sint; Plusiae porro nomen, quo alii hanc matrem Musarum nominent, non esse a Musarum, quae eadem nymphae sint, appellatione alienum, ut eo nomine etiam Neda, quae ipsa pluribus officiis fungatur, quum et nutrix Iovis et fluminis nympha sit, vocari potuerit; denique Pausaniam statim a Neda reliquisque Iovis nutricibus nymphis ad Musarum et Mnemosynes, a qua alteram Cicero Musarum progeniem ducat, mentionem transire. Haec si quis paullo attentius considerabit, videbit ratiocinationem ita procedere: quia potuerit Iuppiter cum maxima natu nutricum suarum concumbere, concubuisse cum ea; nutrices illas quia Callimachus Iovem dixerit *μαῖώσασθαι*, quod verbum communem habeat cum nominibus *μαῖα* et *Μοῦσα* originem, partum illum nutricis istius, de qua non constat an concubuerit cum quoquam, Musas fuisse videri; Musarum istarum mater quia Plusia ab aliis, propter multiplicem vim suam, dicta sit, potuisse id nomen Nedae, quae duplici et nutricis et nymphae fluviatilis munere fungatur, tribui; denique credibile esse, coniunctionem quamdam istius nymphae cum Musis fuisse, quia in eodem templo cum simulacris nympharum nutricum Iovis, infantem cum manibus gestantium, quarum in numero Neda sit, posita fuerint etiam Musarum simulacra, etsi non harum, quas Plusia illa sive Neda peperisset, sed aliarum, filiarum Mnemosynae, ut huius simulacrum ostendere. Haec cur me a Nedae nomine apud Cicero- nem reponendo deterreant potius, quam perducant ad illam sententiam, non opus videtur ut pluribus ostendam. Illud adiciam, apud Pausaniam reponendum esse nomen Nedae VIII. 31, 2. *κεκοινηται δὲ ἐνὶ τῶν ἐξῆς καὶ νῦν- φαι· Νέδα μὲν Δία φέρουσα ἐστὶ νῆπιον παιδῶν*: commemorat autem simul cum ea Anthraciam et Hagne, quas etiam illo loco, quem supra attulimus, nominavit. Vulgo *Nat̄s* legitur, pro quo cod. Mosc. *Naída* praebet, aperte ex *Néda* corruptum. Caeterum si esse Nedam matrem Musarum aliquis demonstrare volet, debebit is etiam nomen illud ita explicare, ut matri Musarum conveniat. In

quo genere lapsus est etiam Petersenius p. 111. Musas et Horas a Pausania I. 19, 4. Thestii filias perhiberi dicens: quod nec potuit dicere Pausanias, nec dixit. Aptius alii cum Euripide Harmoniam dixerunt Musarum matrem esse: 10 v. schol. ad Eurip. Med. 825. ed. Matth. et P. Elmsleium in ed. Medeae p. 208. Ciceronis quidem locum ego non puto ex his, quas nunc quidem habemus, aut codicum aut aliorum auctorum copiis emendari posse. Nam quod facile cuiquam in mentem veniat, Monetam ab eo nominatam esse, quam Musarum matrem et Livius Andronicus et Hyginus perhibent, quod nomen etiam apud Isidorum Orig. III. 14. ubi is Musas Iovis et Minervae filias dicit, reponendum videtur: id propterea parum est verisimile, quod illi omnes Monetam Latine dixerunt, quae Graece est Mnemosyne, commemorata illa a Cicerone ut aliarum Musarum mater. Atque has quoque Mnemosynae novem filias, ut tandem in viam redeam, a muneribus quibusdam suis appellatas esse, satis notum est, explicueruntque ea de re permulti veterum.

Quae quum ita sint, quid tandem fuisse dicemus, quod Epicharmus quas septem Musas enumeravit, iis appellaverit nominibus, quae non Musis, sed nymphis fluviorum convenirent? Ad coniecturam, deficientibus testimoniis, confugiendum esse apertum est. Ac profecto vereor ne ludificari se passi sint mythologi inepta sive Tzetzae doctrina, sive quis alius fuit, a quo hoc ille acceperat. Quid enim? Nemone cogitavit, Epicharmum, poetam comicum, non etiam alium quemquam huius fabulae auctorem commemorari? et ea quidem in fabula hoc ab illo scriptum esse, cuius iteratae editioni hunc ipsum titulum Musarum fecerit? Athenaeus III. p. 110. B. *Ἐπίχαρμος δὲ ἐν Ἡβης γάμῳ καὶ Μούσαις (τοῦτο δὲ τὸ δράμα διασκευὴ ἐστὶ τοῦ προκειμένου) ἄρτων ἐκτίθεται γένη.* In ea fabula deos in nuptiis Hebes convivantes traductos fuisse, vel nomen primae editionis indicat: apertius autem declarat fragmentum, quod ex Musis attulit Athenaeus VII. p. 282. D. Quod fragmentum, foede corruptum, ita restituendum videtur:

τόν τε πολυτίματον ἔλοφ', (ὁ δ' αὐτε κάλλος
ῶνιος)

ἔνα μόνον, καὶ κῆνον ὁ Ζεὺς ἔλαβε, κηκελήσατο
κατθέμεν γ' αὐτῷ τέ οἱ καὶ τῷ δάμαρτι θωτέρω.

i. e. *pretiosum elopem, (est autem hic adhuc alius venalis) unum tantum, et illum Iuppiter accepit, iussitque 11 pecuniam certe numerare in suum uxorisque usum pro altero. Videtur vel piscator loqui, vel Iovis dispensator, non plures quam duos elopes venales narrans, quorum unum tantum, quod valde pretiosum hoc genus esset, Iuppiter accepisset, pro altero autem, ut is sibi Iunonique servaretur, neque emeretur ab alio, pretium iussisset solvi. Enumerabatur autem in ea fabula fere quidquid usquam piscium inveniretur: unde ea saepissime ab Athenaeo propter hanc causam citatur. Et planissime arguunt verba Athenaei VII. p. 282. D. Ἐπίχαμος δ' ἐν Μούσαις τὸν μὲν ἔλοπα καταριθμεῖται τὸν δὲ κάλλιχθον ἢ καλλιῶνυμον, ὡς τὸν αὐτὸν ὄντα, σειρήην. Iam quid credibilis est, quam poetam, qui ita piscium appetentes deos introduceret, quum omnino de diis multa attulisse ridicula, tum maxime Musas, a quibus nomen repetitae editioni fecit, risui voluisse exponere? Quod si et ipsarum quae posuit nomina, et parentum, quos iis tribuit, consideramus, non multum a vero, ut opinor, aberrabimus, si eum id egisse coniciamus, ut hasce Musas non eruditarum artium praesides, sed unice rei piscariae, quae summa apud gulosos istos deos sapientia haberetur, magistras exhiberet. Ita nihil apparet magis fuisse consentaneum, quam ut et ipsas a piscosis fluminibus dictas faceret *)*, et

*) Buttmanno p. 503. visum est multo venustius multoque ad confirmandam hanc interpretationem aptius esse, si statuamus, eo ipso datam esse huius inventi ansam Epicharmo, quod nymphas fontium pro Musis haberi sciret. Id haud sciam an secus sit in poeta comico. Sed de hac re non puto coniecturam fieri posse, nisi vel integra Epicharmi fabula reperitur, vel certius quid de ea constet.

parentes earum ex historia Musarum eos eligeret, qui ad hunc finem aptissimi viderentur, Pierum et Pimpleidem, quos Latine Pinguinum et Impletrinam dici licet. Nam haec duplex est piscosorum fluminum laus, si et pinguitudine piscium et copia excellunt: vide Herodotum IV. 53. Ne quis rideat hanc citationem, meminerit philologis haec scribi, aliter haud facile crediturís. Consuetudinem piscium gregatim migrandi nescio an etiam in nominis Musarum explicatione spectaverit Epicharmus. Servius ad Aen. I. 8. dicit: *has Musas Siculus Epicharmus non multas, sed ὁμωνούσας dicit.* Scribendum: *has Musas Siculus Epicharmus non Musas, sed ὁμοῦ οὔσας dicit.* Haec derivatio placuit etiam aliis, ut serio Musas quasi ὁμοῦ οὔσας dictas putarent. Vide exempli caussa 12 Plutarchum de amore fraterno p. 480. F. Nisi forte ὁμοῦ ναούσας Epicharmus. Nihil addo. Satis est, si cavebunt posthac mythologi, ne nymphas fluviales Musas esse contendant.

Vellem vero etiam Eumeli Musae tam faciles sese praeberent. Sed in his illud, quod initio dicebam, faciendum erit, ut non inscienter nescire nos, quid istuc rei sit, confiteamur. De hoc Eumelo videndi Scaliger ad Euseb. Chron. p. 71 seq., Salmasius in Exerc. Plin. p. 602 seq., Groddeckius in Bibliotheca veteris litteraturae et artis Parte II. p. 94 seq. qui quos auctores affert, iis addendi van Goens ad Porphy. de antr. nymph. p. 104. b. Gesn. ad Varr. de R. R. II. 5, 5. Mellmann. de caussis et auctoribus narrat. de mut. form. p. 61. Scripsit is *προσόδιον* in Delum, quod solum genuinum esse iudicat Pausanias IV. 4, 1. cui V. 19, 2. propter hoc carmen etiam epigrammata in arca Cypseli iure Eumelo adscribi posse videbantur. Non dubito ~~eam~~ propterea ita sentire, quod haec epigrammata, quorum quaedam affert et in illo et in praecedente capite, pariter ut illud *προσόδιον*, ex quo duos versus protulit IV. 33, 2. Dorica dialecto scripta erant, quum caetera, quae Eumelo tribuebantur, epicam dialectum haberent. Sunt autem

illa Euepia, Bugonia, *Nόστοι*, quorum qui mentionem facit scholiastes Pindari ad Ol. XIII. 31. apud eum male Eumolpum pro Eumelo nominari iam Gyraldus aliique viderunt; tum Titanomachia, quam Athenaeus VII. p. 277. D. dubium esse indicat, utrum Eumelus an Arctinus fecerit. Porro prosa oratione scriptus liber de rebus Corinthiis, quem Pausanias II. 1, 1. dubitat an non sit Eumeli. Theogoniam Hesiodi ab Eumelo in orationem prosam translata esse ait Clemens Alexandrinus Strom. VI. p. 629. A. qui eum cum Acusilao consociat, et ambos vocat historiographos, ut dubitatum sit, an diversum ab illo Corinthio Eumelo voluerit intelligi. Salmasius quidem aperte erravit, quum hoc testimonio fretus Bugoniae nomen corruptum esse ex nomine Theogoniae contendit. Iam quum tot diversa, et, ut videtur, auctorum etiam diversorum scripta Eumelo tribuantur, facile intelligitur, valde incertum esse iudicium de eiusmodi re, quae neque in quonam illorum librorum scripta fuerit, constet, neque ipsis verbis Eumeli, quisquis ille sit, referatur. Id videmus autem factum in his, quae Tzetzes et Eudocia et fragmentum illud Hispanicum de Musis tradunt: *Εὐμηλος μέντοι ὁ Κορίνθιος τρεῖς φησὶν εἶναι τὰς Μούσας, θυγατέρας Ἀπόλλωνος, Κηφισσοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βαρυσθενίδα*. Itaque parum considerate Ruhkenius in Epp. crit. p. 222. eundem Eumelum ait vulgarem Musarum genealogiam sequutum esse apud Clementem Strom. VI. p. 742. (621. D.)

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἐννέα κοῦραι.

Nam unde constat, eundem hunc esse Eumelum, quum tam incertum sit, quae genuina sint scripta Eumeli? Caeterum Scaliger ad Eusebium p. 71. memoriae errore hunc versum ita scriptum affert, repositis, quas genuinas esse ex Pausania collegerat, Doricis formis:

Μνημοσύνας καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἄγλαα τέκνα.

Igitur quid de tribus illis Eumeli Musis statuemus, quum neque verba ipsarum habeamus, nec sciamus, quo in

opere de iis scriptum fuerit? Non exstat enim, quod ego sciam, aliquod Eumeli fragmentum, unde coniecturam capere liceat, nisi forte illi octo versus, quos Ruhnkenius l. l. tractavit: qui non debebat Tzetzam ad Lycophronem v. 1024. et multo minus Pausaniam II. 3, 8. negligere, qui eosdem Eumeli versus respexerunt. In quibus versibus quum Aloi mentio fiat, Aloidae autem eodem Pausania auctore IX. 29, 2. trium Musarum cultum in Helicone constituerint, coniecere quis possit, has ipsas Musas, quas Meleten, Mnemen, et Aoeden appellatas scribit Pausanias, aliis nominibus ab Eumelo insignitas esse. Verum et plane incertum hoc est, nec, si verum esset, ullum inde lucrum faceremus. Itaque nihil nobis nisi ipsa illa de Musis istis narratio, quam consideremus, relicta est. In qua ante omnia videndum, an reete se habeant 14 nomina ista Musarum. Et apud Tzetzam quidem atque Eudociam legitur, *Κηφισοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βορυσθενίδα*. In fragmento de Musis autem, *ἰφισοῦν· πολλωνίδα· καὶ βορυσθενίδα*. Codex Paris. apud Ruhnkenium, *Κιφισιοῦν, Ἀπολλωνίδα, καὶ Βορυσθενίδα*. Hinc docti consentiunt, nomina Musarum fuisse *Κηφισοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βορυσθενίδα*. Mihi vero hoc minime satisfacit. Quid est enim, quare duae tantum Musae a fluviis nominatae sint, non etiam tertia? Id non modo mirum, sed ineptum est. Nam quae origine, muneribus, officiis coniunctae sunt, etiam nominibus debent cognatis appellari, nisi casu indita fuisse nomina putandum est, quod ab omni ratione mythologiae abhorret. Deinde vero tertia illa cur Apollonis dicta est, quod nomen etiam per se ineptum esse intelligitur? Filiam enim Apollinis significat. Atqui omnes hae tres Musae Apollinis filiae erant, ut non una earum, sed omnes dici Apollonides debuerint *).

*) Quae his opposuit Buttmanus p. 504. non videntur mihi infirmare meam sententiam. Nam quod ait, e Cyclopius non veri simile esse Bronten nil nisi tonitru, Steropen nil nisi fulmen esse

Quae quum ita sint, non videtur mihi dubitandum esse, quin nomen illud *Ἀπολλωνίς* corruptum sit, Musa haec autem, ut reliquae duae, ab aliquo fluvio fuerit appellata. Quam appellationem puto *Ἀχελωῖδα* fuisse, quod nomen et litterarum magnam cum illo altero similitudinem habet, et eo quoque videtur confirmari, quod sic etiam Epiccharmi Musarum una nominata fuit.

Quod si etiam Eumeli Musae omnes a fluvii dictae sunt, quid hunc quem non est credibile similiter, ut Epiccharmum, lusisse, in mente habuisse censebimus? Ac profecto non dubito fore, qui tam manifesto nymphas fluviales istis nominibus significari putent, ut, etiam si alia argumenta omnia eripiantur, tamen vel sola Eumeli auctoritate fluviorum nymphas Musas dictas esse sibi persuadeant. Sed hi velim cogitent, aliquem tamen in ea fabula probabilem sensum inesse debere. Atqui si de nymphis fluviorum loquutus esset Eumelus, easque filias esse Apollinis dixisset, quid esset tandem, quare tres tantum commemorasset? Nam quidquid fuisset, quod eas ab Apolline procreatas diceret, certo non hos tantum fluvios,

fabricatum; neque Gratiarum Euphrosynen prae sororibus hilari fuisse animo: id etiam corroborat ea quae dixi. Cyclopum enim nomina nemo non videt tonitru, fulmen, et fulgurationem significare, quae res ita sunt discretae, ut nec tonitru sit fulmen aut fulguratio, nec fulguratio fulmen aut tonitru; eodemque tria nomina Gratiarum tres diversos notant voluptatis gradus, hilaritatem, laetitiam, gaudium. Non plus ponderis habet, quod Parcarum unius proprium nomen ad omnes translatum commemorat, ut *Κλωθῶες* vel *Κλωθῆς* vel *Κατακλωθῆς* dicerentur. Nam quod uni convenit, recte trahi potest ad omnes, si omnium consimilis ratio est; non autem quod commune est omnium, uni potest a caeteris distinguendo inservire. Horatius quum dixit, *quem tu, Melpomene, semel nascentem placido lumine videris*, poterat pro Melpomene Musam dicere: non potuit pro Euterpe vel Polyhymnia, quo loco scripsit, *si neque tibias Euterpe cohibet, nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton*.

Cephissum, Acheloum, Borysthenem illo patre natos retulisset, in quibus plane non invenitur, quo ab aliis fluvii differant, sed comprehendisset omnes fluvios, ingentemque dixisset numerum esse istarum Apollinis filiarum, eo modo, quo Hesiodus fluvios multos, idemque et alii omnes Nereidum et Oceanidum non tres, sed quinquaginta numerant, ut ea magnitudine numeri infinitam multitudinem significant. Itaque vel propter numerum, quem posuit Eumelus, non possunt hae Musae fluviorum nymphae intelligi. Quod si Musas, non nymphas fluviorum esse putabimus, non video, quid aliud illa nomina indicare possint, quam cultum quemdam artis musicae ad Cephissum, ad Acheloum, ad Borysthenem, similiter ut Leonidae Alexandrino carmina sua dicuntur *Νειλαίη Μοῦσα Αεωνίδεω*, in Anthologiae ed. noviss. vol. I. p. 291. epigr. 321. At quis unquam quidquam inaudit de praecipua quadam vel Musarum vel postarum sede ad hos fluvios, praesertim ad Borysthenem? Quamobrem, ut ego quidem arbitror, si sapimus, non dubitabimus fateri, nescire nos, quid his tribus Musis voluerit Eumelus: sed simul tamen de eo nobis persuasum habebimus, idoneas ei rationes fuisse, quare et Musas eas vocaret, et earum patrem Apollinem perhiberet, et numero eas tres esse diceret, et illa, quae vidimus, nomina iis imponeret.

Sed ne sic ab hac re discedam, ut non saltem aliquam coniecturam in medium afferam, dicam, quid mihi hac de re cogitanti in mentem venerit: non qui id verum esse contendam, sed si forte aliis haec ansam praebere possint vel confirmandi suspicionem nostram, vel melius quid inveniendi. Apollinem, quisquis ille est, in primis apud Hyperboreos cultum, et ab his eam religionem in Graeciam traductam esse, satis notum est. Satis sit auctorem nominasse Pausaniam, V. 7, 4. X. 5, 4. De hoc Hyperboreorum Apolline Aelianus in Hist. Anim. XI. 1. ex Hecataeo Abderita haec scribit: *ἱεροί εἰσι τῶδες τῶ δαίμονι Βορέου καὶ Χιόνης νιέες τρεῖς τὸν ἀριθμὸν,*

ἀδελφοὶ τὴν φύσιν, ἑξαπήχεις τὸ μῆκος. Male legitur Χιόνος. Chionem filiam Boreae memorat Apollodorus. Hi igitur tres fratres, ut refert Aelianus, quum consueto tempore solemnia sacra instituunt, ex Rhipaeis montibus immensa advolat multitudo cycnorum, considuntque in septo 16 templi, atque ubi cantorum et citharistarum chorus hymnum deo canit, tam accurate hi cycni concinunt, ut si a praecentore indicatum vocis temperamentum exciperent. Non est obscurum, sacra haec Apollinis, consueto tempore a Boreae et Nivis filiis cum solempni cantu celebrari solita, nihil esse nisi veris reditum, qui quum homines, tum omnes animantes ad gaudium laetis vocibus exprimendum invitet. Nam tres illos ingentis staturae filios Boreae et Nivis, etsi eorum nomina non affert Aelianus, tamen facile colligi potest copiam aquarum intelligi, quae tabescente nive, soluto gelu, rupta et fluitante glacie profundantur. Eandem rem alia fabula Eumelum expressisse suspicor, si quidem et Apollinis nomen, et Musarum appellatio, et numerus earum, et nomina etiam ita ad hunc finem conspirant, ut nihil, quod non aptissime conveniat, relinqui videatur. Et Apollinem quidem non dixerim, quod fortasse quis opinetur, solem esse: licet non contendam, non esse solem. Consistendum est enim in Graecae mythologiae finibus, in qua Apollo interemptor deus est, quidquid illud sit, in quo ea vis interimendi sit posita. Itaque ubi de hieme finienda sermo est, nihil attinet quaerere, quid sit, quod hiemem removeat, dummodo aliquis eius sit interemptor. Huius filias apertum est recte et apte Musas appellari, quum reversa lactiore anni tempestate ad hilaritatem et cantum omnia provocentur. Sunt autem illae numero tres, propter eandem rationem, propter quam tres sunt Boreae et Chiones filii. Nam verni teporis vi et nives tabescunt, et gelus solvitur, et disiectam glaciem protrudunt flumina: hisque tribus in rebus ubi conspicua facta est vis peremptoris dei, sublata hieme iam ver adesse intelligitur. Has ipsas autem res etiam nomina illarum Musarum haud obscure significant. Nam *Κηφισσὸς* ab eadem radice dicta est, a qua est

κάμπτειν, et simile nomen *Κηφεύς*, quod alibi a nobis Latine Flexius dictum est. Indicat autem, si recte interpretamur Eumeli fabulam, torrentes, qui liquefacta nive tortuosis flexibus per declivia feruntur. Ab iisdem flexibus etiam fluvius Cephissus dictus est, de quo sic scribit
 17Strabo IX. p. 649. (424.): *καὶ Ἡσίοδος δ' ἐπιπλέον περὶ τοῦ ποταμοῦ λέγει καὶ τῆς ῥύσεως, ὡς δὲ ὄλης ῥέοι τῆς Φωκίδος σκολιῶς καὶ δρακοντοειδῶς*.

*ὅς παρὰ Πανοπίδα Γλήκωνά τ' ἐρμυνήν,
 καὶ τε *) δι' Ὀρχομενοῦ εἰλιγμένος εἴσι δράκων ὡς.*

Altera Musa, ut coniecimus, *Ἀχελῷς* appellata fuit, quod nomen cognatum est cum vocabulis *χέλυσ* et *χελώνη*: quae quum testam significant, indicari illo nomine videtur aqua viva, quae fit soluto tegmine glaciei. Atque hinc intelligitur etiam, qui factum sit, ut *Ἀχελῷος* apud Graecos de omni fluviorum et fontium aqua dici soleat: cuius rei qui hanc rationem reddunt, quod ante alios insignis hic fluvius sit, ipsi fateantur necesse est, aptae explicationis desperatione hoc commentum sibi extortum esse. Multi enim sunt alii longe maiores atque illustriores fluvii, a quibus aqua, si claritas fluviorum respicienda esset, appellari potuisset. Et vel sic eiusmodi appellatio non minus fuisset ineptā, quam si quis, quod inter homines Hercules excellisset, quemvis hominem Herculem dicere vellet. Denique tertia Musa si *Βορυσθενίς* ab Eumelo vocata est, vix puto dubitari posse, quin ille, ut impetum aquarum magnas glaciei moles secum auferentium indicaret, ad comparisonem reliquorum duorum nominum eum respexerit fluvium, cuius nomen huic rei significandae accommodatissimum videretur, quum id more eo,

*) Non debebam admittere hanc virorum doctorum correctionem. Rectius apud Strabonem legitur *καὶ δέ*. Quamquam nescio an praestet *ἡδέ*.

quo Graeci in originibus vocabulorum explicandis luxuriantur, a robore Boreae ductum existimaret *).

*) Aliam, ingeniosam quidem illam, sed, ut mihi videtur, parum veri similem explicationem protulit Buttmannus p. 505. Is, quod omnis poesis caelestem habeat originem, Olympicam quamdam Musam ab ipso Musarum patre Apollonidem dictam esse coniicit; ei additas esse Borysthenidem, quae significaret poesin Septemtrionalem; ab Hyperboreis enim et Thracibus eam artem Graecos accepisse; et Cephissidem, quae sit Graeca poesis, quod is amnis Parnassum caeterosque Musis sacros montes praeterfluat. Id in iis rebus est, quas nostris hominibus facile quis persuadeat; Graecis inauditum accidisset, Borysthenem et Cephissum barbariae et Graeciae, vel Thraciae et Boeotiae distinguendis adhiberi.

DE COMPOSITIONE TETRALOGIARVM TRAGICARVM *).

3 **Ex** tam ingenti numero tragoediarum, quae Athenis et scriptae olim et editae sunt, tam paucas hodie superstites habemus, ut quum universe de tragoedia Graecorum, tum de singularum partium proprietatibus iudicare difficillimum sit. Quare licet ex aliquot annis et apud nostrates et apud exteros viri docti certatim studia sua ad hoc genus scriptionis considerandum atque explicandum contulerint, tamen non est mirum, multa adhuc esse, de quibus aut non sit omnino, aut non satis accurate disputatum: praesertim quum alii ad ea potissimum attendant, quae quivis etiam sine diligenti totius rei pervestigatione invenire possit, alii autem unice in sermonis usu illustrando occupentur, qui fere, dum sedulo exempla exemplis cumulant, nonnullas bonas, plurimas etiam inanes regulas confingunt. Quorum neutri mea sententia illud satis meminerunt, di-

*) Edita est a. 1819. De trilogiis Aeschylis prolixè disputatum est a Welckero in libro quem de Aeschylis trilogia Prometheus scripsit, et in appendice eius libri, quam edidit ut prioris libri censuram quam scripsi refutaret: de qua appendice quid sentirem, dixi in diariis litterariis Lipsiensibus a. 1827. m. Januar. fol. 13. 14. 15.

scere prius, qui docere velit, debere; disci autem, quale quid sit, non posse, nisi altius repetendo, et inde quidem, unde simul et de his paucis, quae habemus, et de plurimis illis, quae amisimus, coniecturam facere liceat. Vnum promam, data scribendi opportunitate, huius generis exemplum, quod positum est in compositione tetralogiarum.

Ac nemo ignorat, tetralogiis certavisse tragicos, quae ex tribus tragoediis et una fabula satyrica constabant. Id quo tempore institutum fuerit nescimus: veri simile est, Satyros etiam antiquiores tragoediis fuisse: sed Sophoclem primum coepisse una tragoedia certare, Suidas auctor est *): quamquam etiam post Sophoclis tempora tetralogias in scenam produci solitas novimus: de qua re dixit Lessingius in Vita Sophoclis p. 123. seqq., qui quidem quod conieciat, post Sophoclem demum introductas esse tetralogias, et Suidae verba falsum esse arguunt, animadvertitque ipse, repugnare ei coniecturae exempla quaedam. Sed etsi quae caussa huius instituti fuerit nescimus, tamen recepto quid in componendis tetralogiis spectari vel potuerit vel debuerit, quaerere operae pretium videtur. Continetur id autem his duabus rebus, argumento et tractatione.

Atque ad argumentum quod attinet, aut una eiusdem argumenti perpetuitate vel omnes fabulae, vel duae earum tresve cohaerebant, aut singulae diversum habebant a caeteris argumentum. Nihil horum est, quod exemplo carere videatur. Ac diversa in singulis fabulis argumenta tractavit Aeschylus, quum Phineum, Persas, Glaucum Potniensem, Prometheum igniferum una tetralogia comprehendit: de qua testem habemus grammaticum, qui de

*) Aliter Suidam intellexit Welckerus in Tetralogia Aeschylea p. 508. seqq. cui videnda quae opposuit Süvernus in dissertatione quam inscripsit *über den historischen character des drama* p. 44.

argumento Persarum scripsit. Idem fecit Euripides, quum Medeam, Philoctetam, Dictyn, Messores consociavit: de quibus scriptum in argumento Medeae: et Xenocles, coniunctis Oedipo, Lycaone, Bacchis, Athamante, ut refert Aelianus V. H. II. 8. Eadem fuisse ratio videtur duarum Euripidis tetralogiarum, quibus quas satyricas fabulas addiderit nescimus, unius, quae Hypsipylen, Phoenissas, Antiopam; alterius, quae Iphigeniam in Aulide, Alcmaeonem, vel potius, ut probabiliter coniicit Musgravius, Alcmenen, et Bacchas complectebatur. Vna perpetuitate argumenti Aeschylus scripsit Agamemnonem, Choephoros, Eumenides, quibus quae accedebat satyrica fabula, Proteus, ea, ut coniiciunt viri docti, affine argumentum tractabat, Menelai profectiōnem Aegyptiacam. Testes de hac tetralogia sunt is, qui scripsit argumentum Agamemnonis, et scholiastes Aristoph. ad Ran. v. 1155. Vsitatum fuisse, ut etiam in Satyris eadem personae, quae in praegressis tragoediis fuerant, introducerentur, fuerunt qui ex his colligerent versibus Horatii in A. P. 225. vereor ne non satis recte:

*verum ita risores, ita commendare dicacis
conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscenas humili sermone tabernas,
aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.*

Quod si ex nomine coniecturam facere licet, quattuor fabularum in eodem argumento versantium indicium habet, quae a scholiasta Aristophanis ad Aves v. 282. commemoratur Philoclis Πανδιονίς tetralogia. Euripidis vero tetralogiam Ἀλκμαιωνίδα Butlerus ad Aeschyli fragm. Prom. p. 214. T. I. commentus est, qui si accuratius inspexisset Bentleium, quem auctorem nominat, vidisset, hunc istam Euripidis Ἀλκμαιωνίδα aegri somnium appellare. Non magis ex eo, quod Aristophanes Thesm. 141. Lycurgiam Aeschyli nominat, quum Lycurgus fabula satyrica fuerit, ausim colligere, tetralogiam fuisse

Lycurgiam, licet hoc nomen de rebus Lycurgi etiam scholiastes ad Iliad. ζ. 129. qui tragicum aliquem respexisse videtur, posuerit *). Nam ne *Ὀρεστεία* quidem tota illa Aeschyli trilogia, sed tantum Choephoris et Eumenides dictae videntur. Illud vero non puto dubitandum esse, Satyros, etiam si tragoediarum trilogia in uno argumento consisteret, fere aliud habuisse argumentum. Quamquam Euripidem id fecisse, quum, ut Aelianus l. c. refert, certaret *Ἀλεξάνδρω, Παλαμήδῃ, Τρωσί, Σισύφω*, ubi recte, ut videtur, *Τρωάσι* scribendum putat Musgravius, haud facile credam. Nam etsi tragoediae illae omnes ex rebus Troicis depromptae sunt, tamen, nisi permultum sibi licentiae sumpsit Euripides, vix potuit eas factorum quadam perpetuitate coniungere. Trilogiam tragoediarum unum deinceps argumentum explicantium Lessingius in Vita Sophoclis p. 152. indicatam putabat a Clemente Alexandrino in Protreptico his verbis p. 19. A. *Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγωδίαις ἱστορεῖται τοῖν Διοσκουροῖν πέρι.* Sed hoc valde incertum est, neque, ut vera sit illa coniectura, ex silentio quidquam de Satyris adiunctis colligi poterit. Multo inconsideratius de trilogiis et tetralogiis idem argumentum persequentibus disseruit I. Chr. Genellius, vir perelegantis iudicii, sed magnae et levitatis in pervestigandis rebus historicis, et in coniectando temeritatis. Is quod in libro, quem scripsit de theatro Attico, p. 21. ait, Supplices Aeschyli medias fuisse inter Aegyptios et Danaides, quo tandem argumento dixit, quum nec testis eius rei ullus exstet, neque de Aegyptiis quidquam praeter nomen supersit? Aut quod Prometheum vinctum medium fuisse vult inter duas alias de Prometheo fabulas, quibus adiectum fuisse igniferum Prometheum ut fabulam satyricam coniicit, cui persuadebit de hac re,

*) Scholiastes Aristophanis MS. apud Seidlerum: *τὴν τετραλογίαν λέγει Λυκουργίαν Ἠδωνούς, Βασσαρίδας, Νεανίσκου, Λυκούργου τὸν σατυρικό.*

quum nec de primo illo, quem commentus est, Prometheo res certa sit, igniferum autem alii trilogiae additam fuisse constet? Non cautius, immo etiam aliquanto inconsideratius illud scripsit, Septem ad Thebas medium cuiuspiam trilogiae locum tenuisse, in qua sint qui tertium locum Epigonis tributum fuisse putent. Verius illud, sed non satis explicate et isto loco et p. 78. dixit, Psychostasiam partem fuisse trilogiae in eodem argumento versantis.

Quaerendum erat enim, an etiam duas tragoedias, quae argumento cohaerent, iunxissent poetae, tertiam autem addidissent nulla cum illis argumenti communitate nexam. Ac potuisse id eos facere, quis neget? Sed si fecerunt, lubentius eos et saepius credam secundam et tertiam tragoediam, quam primam et secundam cohaerere voluisse. Primis enim duabus tragoediis in eodem argumento versantibus, spectatores etiam tertiam de eadem re futuram expectant: quibus non potest gratum esse, si falli se videant. Secunda vero et tertia tragoedia si cohaerent, non falluntur, quia nullam amplius expectandam sciunt. Quamquam non contenderim, pro argumentorum conditione non potuisse interdum etiam illud aptius videri, si tertia tragoedia novam rem in scenam afferret. Videntur autem, nisi quidem indicia fallunt, inveniri exempla quaedam argumentorum per duas tantum fabulas continuatorum: cuiusmodi sunt ex Aeschyleis duo Promethei, ac Supplices et Danaides. Sed de his infra.

7 Veniendam est enim ad tractationem. Et quamquam, quod singulae seorsum tragoediae habebant argumentum, ita debebat comparatum esse, ut etiam ipsum per se animos spectatorum retineret: tamen, nisi mea me coniectura fallit, etiam aliud quid requirebatur, ut tres tragoediae sese deinceps excipientes ea cum attentione ac voluptate spectari possent, cui excitandae operam dedisse poetas, praesertim qui de victoria concertarent, maxime consentaneum est. Id autem, si quid video, in eo debe-

bat positum esse, ut eae tragoediae, quae una trilogia comprehenderentur, quam maxime inter se essent dissimiles: eodem modo, ut hodie musicos in iis, quas symphonias vocant, quae ex tribus plerumque partibus constant, id curare videmus, ut apta dissimilitudine earum partium, ne refrigeretur et languescat studium audiendi. Erat vero in tragoediis triplex omnino fons, ex quo peti ista dissimilitudo posset. Nam et animis, et auribus, et oculis prospicere debet poeta scenicus. Itaque et inventionem fabulae atque compositionem, et canticorum temperamento, et apparatu rei scenicae differre tragoedias oportebat. Et profecto quae sola nobis, quod quidem certo sciamus, trilogia superest, egregie huic rei fidem facit. Agamemnon magna est et gravis fabula, tota ad epici carminis severitatem composita, stasima habens longa et gravia, aliquot brevia cantica de scena, aliquot etiam *κόμμοις*; ad scenicum autem apparatus nihil insigne aut novum. Excipiunt hanc Choephoris, plane diversi coloris fabula, in qua actionis non multum, cantica chori minus longa, sed de scena tanta tamque admirabilis cantionum varietas, eique congrua etiam diverbiorum alternatio, ut tota fabula lyricam indolem spiret, cantusque in ea primariam locum tenere videatur. Mirum quantum ab hac differt tertia fabula, Eumenides, quae tota, ut in capitalis iudicii disceptatione versans, austera est ac pene aspera. Nihil in hac de scena canitur, nulli *κόμμοις*; sed chori cantica vehementissimi motus plena. Fere omnia in hac eo tendunt, ut oculis nova, insolens, terribilis species obiciatur. Agitur res in templis deorum: numina conspiciuntur Apollinis, Mercurii, Minervae; Pythias sacerdos, umbra Clytaemnestrae, sanctissimus consessus Areopagi; tum chorus Furiarum, pullis vestibus indutarum, capita anguibus redimitarum, dormiens in vestibulo templi Delphici; mox paullatim expergiscens, sine ordine prorumpens, horrendis motibus choreas ducens, prae implacabili irae obstinatione idemtidem eadem dicta iterans, postremo, aegre lenita ferocia, comitante alio cum facibus et sollemni pompa choro orchestram relin-

quens. Et huius tantae inter has fabulas diversitatis nos exiguam tantum partem animo concipimus: quid illos censeamus, qui audiebant ipsi voces et concentus musicos, omnemque illum scenae apparatus oculis suis videbant?

Non sum nescius, unum hoc exemplum esse. Temerariumque sane foret, quod in hac trilogia factum est, in omnibus factum contendere, praesertim quum in tanta tragoediarum scribendarum concertatione alii semper alios novitate inventorum superare studuerint: sed tamen tantam haec ratio probabilitatis speciem habet, ut quaerendum saltem esse videatur, an confirmari etiam aliis exemplis queat. Nec fortasse multum a vero aberraverit, qui, hoc tam illustri exemplo indicium praebente, certe in antiquiore tragoedia quasi legitimam fuisse rationem illam coniecerit. Similiter legem quamdam Aeschyli artis tragicæ sagaciter reperit Heerenius in Bibliotheca Göttingensi veteris litteraturæ et artis P. VIII. Videamus igitur, si quid sit, quod confirmet suspicionem nostram.

Vt Aeschyli, ita Euripidis fabularum magna diversitas est: minor in Sophocleis invenitur, casu ut opinor servatis, quae similiores inter se sunt. Sed Euripidis tragoediarum duplex dissimilitudo est, una a tempore, quo factae sunt, repetenda, quum, quae ab Olymp. LXXXIX. scriptae sunt, et numeros minus elaboratos, et metra tunc maxime usitata, in quibus Glyconeum eminent, habeant: cuiusmodi etiam Sophoclis Philoctetes est; altera, quae est inventionis, compositionis, tractationis. Hanc nunc solam respicimus et in Euripide, et, in quo altera nulla est, in Aeschylo. Atque ex Aeschyli tragoediis quattuor habemus, quarum permagna similitudo est, Septem ad Thebas dico, Persas, Choephoros, Supplices: Quarum qui comparisonem instituet, facile puto adducetur, non tam id egisse poetam, ut actionem aliquam strenue explicaret, quam ut, quaequae actio esset, ea melicis carminibus aptam praeberet materiam, in iisque praecipue fieret conspicua. Ab hoc quasi lyrico et, ut ita dicam, can-

tabili genere tragoediae mirum quantum differunt Prometheus, Agamemnon, Eumenides: quarum hoc commune est, quod actionis explicatae ad finem perductio, cum magna severitate coniuncta, primum est; maximeque in Agamemnone, quae ut longissima, ita etiam perfectissima tragoedia est. Simillima huic Prometheus est, nisi quod *κόμμος* nullos habet. Ab utraque differunt Eumenides insolentia spectaculi. Sed illa similitudine Agamemnonis et Promethei moneo ne quis ita abutatur, ut eas fabulas eodem fere tempore scriptas putet, quod nuper fecit Franc. Passovius in Meletematis criticis in Persas Aeschylī p. 2. eo usus argumento, quod par in Prometheo atque in trilogia ista ars esset poetae conspicua. At neque una fabula recte cum trilogia comparatur, neque necessarium est, ut, quae arte elaboratior est fabula, etiam posterior sit tempore. Et Prometheus quidem cur mihi multo ante Agamemnonem videretur editus esse, alio loco indicavi. Quod si ea, quae supra de compositione illius, quam adhuc habemus, trilogiae dixi, vel vera sunt, vel certe similia veris, ut ex iis tamquam legitimum sumi debeat, primam trilogiae fabulam mentis potissimum atque animi oblectationi actione gravi plene atque explicatae ad finem perducenda inservire; secundam canticorum modulatione ac multiplici varietate aures permulcere; tertiam denique oculos novo atque insolenti spectaculo percellere ac retinere: experiamur, an etiam caeterae, quas habemus, Aeschylī fabulae hanc rationem confirmare videantur: modo ne credamus, quem illa trilogia variationis ordinem habet, constanter servari in omnibus debuisse: id quod ne argumentorum quidem omnium conditio permisisset. Magnam tamen commendationem etiam ab eo habere iste ordo debuit, quod aptissimus esset ad placendum multitudini: quae quum orationis gravitate facile satietur, retinenda est aliis artificijs, et primo quidem cantus suavitate, postremo novitate spectaculorum, quae maxima vulgi oblectatio est.

Ac profecto confirmare videntur coniecturam nostram primo Persae: quae fabula, quam similem Choephoris

esse diximus, eundem, quem haec, in trilogia locum tenuit. Prima enim Phineas, secunda Persae, tertia Glaucus Potnicensis fuit.

Confirmare videntur etiam Supplices: cui quidem fabulae dubito an non praecesserit alia, quae argumento cum ea cohaereret, quum quae sint istae puellae et unde venerint Argos, et qua caussa, tam accurate explicetur, ut nunc primum eam rem in scena agi appareat. Sed sequentem esse aliam fabulam, quae continuaret argumentum, quod in Supplicibus imperfectum relinquitur, valde est verisimile. Eamque fabulam Danaides fuisse, facile ex fragmentis conicias, ut quae aperte ad nuptias Danaidum spectent. Habent ea quidem tam singularem colorem, ut non sim miraturus, si quis hanc fabulam satyricam fuisse coniciat. Sed nihil est tamen in iis, quod non etiam in tragoedia recte et magna cum vi dici potuerit: nec facile est intellectu, quomodo Satyris hoc argumentum conveniat. Quodsi tragoedia fuit, novum etiam accedet opinioni nostrae firmamentum, siquidem, ut Supplices ad cantum potissimum factae sunt, ita in Danaidibus, quod spectando maxime populum retineret, fuisse, non modo ex ipsa undequinquaginta sponsorum atrocissima caede, sed etiam ex eo videtur colligi posse, quod Veneris in ea fabula personam introductam legimus.

Paullo aliter statuendum videtur de Septem ad Thebas. Haec quamvis similis sit Choephoris, tamen nescio an mutato variationis ordine non secundum, sed tertium trilogiae locum habuerit. Praegressam quidem ei esse aliam tragoediam coniuncti argumenti, ex ipsa intelligi potest, ut in qua somnii cuiusdam, quasi noti spectatoribus, mentio fiat, de quo tamen in illa quidem fabula nihil dictum erat. Locus est hic v. 707.

- 11 ἄγαν δ' ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων
ὄψεις, πατρῶων χρημάτων δατήριοι.

Hoc itaque somnium in praegressa fabula narratum fuerit necesse est. Atque quum in fabulis Aeschyli et Laius et

Oedipus nominentur, veri simile est, ita eas una trilogia coniunctas fuisse, ut Laium Oedipus, Oedipum Septem ad Thebas exciperent.

Plus negotiū facit Prometheus. Nam quum praeter Prometheum *δεσμώτην* commemorantur *πυρφόρος*, *πυρκαεύς*, *λύόμενος*, in diversa discesserunt viri docti, alii tres Prometheos ab Aeschylō scriptos esse existimantes, alii quattuor. Atque in his fuit T. Hemsterhusius ad Pol- lucem IX. 156. Sed hīc illud tantum spectavit, si quat- tuor sint fabulae, omnem iis historiam Promethei con- tineri: non cogitavit etiam, in indice fabularum Aeschylī tres tantum commemorari; *πυρφόρον* et *πυρκαέα* nomina esse adeo similia, ut facillime unius fabulae appellationes esse potuerint; *πυρφόρον* semel tantum citari, quique ex eo proferatur versus, eum nihil de argumento fabulae prodere; denique, si tragoedia hoc nomine fuit, certe eam non potuisse cum Prometheo victo eadem trilogia coniunctam esse. Huic enim nullam de Prometheo aliam fabulam praecessisse, illud certissimum argumentum est, quod in eo diligentissime, cur victus sit Prometheus, exponitur. Sequutam vero esse aliam, non minus certam est, quum solutum se iri ipse ille in vinculis Prometheus dicat, neque ita ea fabula finiatur, ut non, quid porro futurum sit, spectatores requirant. Quin scholiastes ad v. 510. verbis minime dubiis significat, exceptam hanc fabulam esse a Prometheo soluto: *λύεται. γὰρ ἐν τῷ ἑξῆς δράματι*. Sed sive primum, sive secundum in trilogia lo- cum habuit victus Prometheus, non mediocriter hae duae fabulae labefactare coniecturam nostram videntur, eo, quod, quantum ex fragmentis alterius colligi potest, simillimae fuerunt. In utraque rupi affixus cernebatur Prometheus, nisi quod in posteriore etiam aquila, quae ei iecur exederet, accedebat. In utraque chorum age-12- bant dii inferioris ordinis, in priore Oceanides, in poste- riore Titanes. In utraque Prometheus, ubi chorus adve- nerat, de cruciatu suo fere eodem modo querebatur. In utraque adveniebat aliquis ex heroum genere, in priore

Io, in posteriore Hercules, cui utrique Prometheus longis orationibus, quanta iis per orbem terrarum itinera facienda, quantaque subeunda pericula essent, explicabat: ut, si in aliis trilogiis varietatem rerum consecrari studuit Aeschylus, in his duabus fabulis similitudinem videri debeat etiam dedita opera quaesivisse. Quid igitur dicamus? Num similitudinem illam fabularum magis, quam dissimilitudinem spectatoribus placuisse? Non putem. Aut voluisse Aeschylum ostendere, magnum ingenium etiam ea via feliciter incedere, qua aliis prosperum successum sperare non esset licitum? Fortasse: et veri similius certe hoc est, quam non vidisse eum, quam periculosum esset, similitudine rerum fatigare spectatores. Duo tantum sunt, nisi fallor, quae responderi ad removendam hanc dubitationem possint. Si hae fabulae tanta, quantam indicavimus, similitudine fuerunt, credibile est eas primas in trilogia fuisse, tertiam autem successisse talem, quae, quam illae similes inter se, tam utrique dissimilis esset, eaque dissimilitudine maiorem in modum compensaret, quod in illis minus recte factum videretur. Sed nescio an etiam verius sit alterum. Nam quae nobis non potest non maxima videri similitudo esse, quis ausit dicere, an forte haud parum contulerit, quo dissimillimae fierent hae fabulae? Sunt certe duae res, quae commendare hanc coniecturam videantur. Primum enim chorus, qui in *Vincto Prometheo* timidas virgines habet, in *Soluto e Titanibus* est, numinibus et natura ferocibus, et propter privatas iniurias Iovi infestis, et nunc fratris Promethei supplicio exasperatis: pariterque non iam Io aliqua oestri stimulis confecta, longoque cursu exhausta ad Prometheum advenit, opem eius implorans, sed superator laborum omnium invictus heros adest, laturus auxilium. Deinde qui in *Vincto Prometheo* dirus est exitus, in *Soluto* felix est, interfecta ab Hercule aquila, liberatoque
13e vinculis Prometheo. Sunt haec profecto eiusmodi, quae facile efficere potuerint, ut, quo similiores essent compositione hae fabulae, tanto magis tractatione ad summam dissimilitudinem adducerentur.

Paucis denique commemoranda est *Psychostasia*, in qua animas Memnonis et Achillis Iuppiter in balance pensabat, adstantibus et filiorum in bello caesorum causas orantibus Aurora et Thetide. Hanc fabulam si licet tertiam existimare trilogiae, cuius prima Memnon, secunda Nereides fuerint, egregie conspirabit cum eo, quod supra ut legitimum posuimus, tertias tragoedias spectaculi novitate et magnitudine eminuisse:

Multo difficilius est, de Euripideis trilogiis indicare. Videntur tamen eae, quas supra nominavimus, non minus confirmare sententiam nostram, quam Aeschyleae. Medea quidem, quam Philoctetes et Dictys excipiebant, gravis et severa fabula est, ut eam hoc nomine recte cum Agamemnone comparari liceat. Sed de Philocteta et Dictye quae nobis nota sunt, non sufficiunt, ut, quam similis illae Medae aut dissimiles fuerint, coniecere possimus. Eadem illius trilogiae ratio est, in qua Phoenissae mediae fuerunt inter Hypsipylem et Antiopam: sed hic quoque in media fabula aliquid operae canticis datum videmus: quemadmodum in ea trilogia, quae Alexandrum, Palamedem, et, si recte coniecit Musgravius, Troades continebat, ultima fabula praecipue in cantu occupata fuit. Certior res est in illa trilogia, quae habebat Iphigeniam in Aulide, Alcmenen, et Bacchas. Quarum etsi quae media fuit, non exstat, prima autem et valde corrupta et miris modis interpolata est, tamen quantum ab ea differant Bacchae, quarum plane alius color est, nemo non videt. Eaque fabula furentis Penthei, insanientiumque Baccharum spectaculo non minus oculos, quam canticorum vehementia aures retinuerit necesse est, ut ad eandem rationem facta videatur, de qua supra in Eumenidibus dictum est.

Omnino autem, quales Troades sunt, aliae quoque in Euripideis fabulis, eaeque breviores fere tragoediae inveniuntur, quae canticorum varietate ita sunt temperatae, ut eo in trilogiis officio functae videantur, quod Choe-14

phosis supra tribuimus. Eiusmodi sunt *Andromache*, *Supplices*, *Hercules furcus*, et, quam doctores quidam umbratici, a quorum tenuitate nimis abhorreret Hercules ille, simili iudicii perversitate ut Aeschyli *Persas*, pene ad comedias humilitatem abici deputarunt, *Alceste*. Et tamen *Hercules* ille vix quidquam divinius ab Euripide factum est. Quod nemo praeclearius ostendit, quam Goethius nostras; cuius fabellam, quam Deos *Heroes* et *Wielandium* inscripsit, ut ab operum eius editione vivo *Wielandio* excludi humanitatis fuerit, at mortuo inseri iis magno opere cupimus. Miseri sunt, quibus in illo spes est, *de mortuis non nisi bene*. Neque in his est *Wielandius*, vir immortalis, etiam si quid, ut omnes facimus, aliquando erraverit.

DE AESCHYLI DANAIDIBVS *).

Dixi in dissertatione, quam superiore anno de compositione tetralogiarum tragicarum scripsi, cum Supplicibus Aeschyli coniunctas fuisse videri Danaides. Et quamquam fragmenta, quae ex Danaidibus supersunt, tam singularem colorem haberent, ut facile satyrica videri ea fabula posset, tamen nihil in iis inveniri, quod non etiam in traegodia recte et magna cum vi dici potuisset, nec facile esse intellectu, quomodo hoc argumentum Satyris conveniret. Eam rem oblata scribendi opportunitate nunc ita persequar, ut, quamvis pauca reliqua sint fragmenta Danaidum, tamen, quale earum argumentum fuerit, investigare studeam.

Danaum narrant filios Aegypti metuentem cum filiabus Argos, quae antiqua patria erat, confugisse. Ibi regno potitum, Aegyptiadis, qui ea caussa Argos venerant; despondisse quidem filias, sed clam mandavisse, ut prima nocte sponso interimerent: quod fecisse omnes praeter Hypermnestram, quae quum Lynceo sponso suo

*) Edita est a. 1820.

pepercisset, in vincula coniecta, sed postea tamen in matrimonium data est Lynceo. Referunt rem quum alii, tum Apollodorus II. 1, 4. scholiastes Homeri ad Iliad. *α. 42.* Euripidis ad Orest. 859. ed. Matth. Pindari ad Nem. X. 10. Hyginus fab. 168. Servius ad Aen. X. 497. a quibus multum dissentit scholiastes Euripidis ad Hec. 869. qui Aegyptum a Danao Argis pulsum revertisse illuc, quum filii adolevisent, scribit. Haec quum in illa Aeschyli ingenii ubertate non uno modo materiam scribendae tragoediae praeberent, tamen eum veri simile est non atrocitatem illam caedis oculis spectatorum subiecisse, sed potius, quo mirifice delectari populares suos sciebat, iudiciale tantum facinoris disceptationem introducendam putavisse, idque tanto magis, quod etiam fama iudicii cuiusdam, et quidem duplex exstabat. Primo enim fuerunt, qui Danaum ob caedem Aegypti filiorum in iudicium vocatum traderent. Euripides Orest. 861. ed. Pors.

ὄρω δ' ὄχλον στείχοντα καὶ θάσσουντ' ἄκραν,
οὐ φασὶ πρῶτον Δαναὸν Αἰγύπτῳ δίκας
διδόντ' ἀθροῖσαι λαὸν εἰς κοινὰς ἔδρας.

Plura ibi scholiastes. Ad idem iudicium, siquidem patris et filiarum coniuncta crimina fuerunt, pertinere videtur, quod Apollodorus scribit: καὶ αὐτὰς ἐκάθησαν Ἀθηναῖα τε καὶ Ἐρμῆς, Διὸς κελεύσαντος. Alterum, de quo accepimus iudicium, Hypermnestra subiit, accusata a patre Danao. Pausanias II. 20, 5. τὸ δὲ χωρίον τὸ ὀπισθεν καὶ εἰς τὸδε κριτήριον ὀνομάζουσι, Ἵπερμνήστραν ἐνταῦθα ὑπὸ Δαναοῦ κριθῆναι λέγοντες. Et cap. 21, 1. τὸ δὲ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐπέκλησιν Πειθοῦς, Ἵπερμνήστρα καὶ τοῦτο ἀνέθηκε, νικήσασα τῇ δίκῃ τὸν πατέρα, ἣν τοῦ Λυγκέως ἐνεκα ἔφυγε. Atque explicatus etiam cap. 19, 6. τὰ δὲ ξόανα Ἀφροδίτης καὶ Ἐρμού, τὸ μὲν, Ἐπειοῦ λέγουσι ἔργον εἶναι, τὸ δὲ, Ἵπερμνήστρας ἀνάθημα. ταύτην γὰρ τῶν θυγατέρων μόνην τὸ πρόσταγμα ὑπεριδοῦσαν ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ τε Λυγκέως οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἠγούμενος, καὶ ὅτι τοῦ τολμήματος οὐ με-

τασχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς, καὶ τῷ βουλευσάντι τὸ ὄνειδος ἤξησε· κριθεῖσα δὲ ἐν τοῖς Ἀργείοις ἀποφεύγει τε, καὶ Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε νικηφόρον. Iam si quaerimus, alterumne illud, an hoc iudicium in Danaidibus introductum fuerit, Hypermnestrae quidem causam in hac fabula actam esse, vix sinit dubitare praeclarum fragmentum, quod ex oratione Veneris depromptum est. At obstare videtur inscriptio fabulae, quae de caeteris potius sororibus, vel etiam de universis cogitare iubet. Omninoque, si non dubium videtur Danaides subiunctas fuisse Supplicibus, permirum, ne dicam ineptum foret, praeteritis caeteris de una Hypermnestra agi. Quod si illae praeteriri non potuerunt, defensa est autem Hypermnestra, sic potius statuendum erit, utrumque iudicium a poeta coniunctum esse *). Et coniunctae profecto sunt caussae, quod, si puniendae erant, quae patrauerant caedem, absolvenda erat, quae non patrauerat; sin haec poenam meruerat, illis concedenda erat impunitas.

Scenam fabulae Argis fuisse necesse est. Ibi enim factam caedem, scriptores omnes consentiunt. In caeteris rebus nonnihil discrepant. Danaum plerique regnasse Argis dicunt, et scholiastae Euripidis quidem non ex Aegypto profugum, sed ab initio habitantem Argis. Hyginus et Servius, ex Aegypto venisse, et regno esse potitum. Et sic etiam Apollodorus et Pausanias II. 16, 1. 19, 3. qui regnum ei a Gelanore traditum dicunt. De facinore puellarum discrepantes narrationes, quae ad Aeschylum aliquid facere possint, ipsis scriptorum verbis afferre placeat. Apollodorus: οἱ δὲ Αἰγύπτου παῖδες ἐλθόντες εἰς Ἄργος, τῆς τε ἐχθρας παύσασθαι παρεκάλουν, καὶ τὰς θυγατέρας αὐτοῦ γαμεῖν ἤξιδον. Δαναὸς δὲ, ἅμα μὲν ἀπιστῶν αὐτῶν τοῖς ἐπαγγέλμασιν, ἅμα δὲ μνησικα-

*) Dissentiant Welckerus in Trilogia Aeschyli p. 405. et Säv-vernus in dissertatione, cui indicem fecit: über den historischen character des drama p. 55.

κῶν περὶ τῆς φυγῆς, ὠμολόγει τοὺς γάμους, καὶ διεκλήρου τὰς κόρας. Eadem pene iisdem verbis Zenobius II. 6. Scholiastes ad Oresten: Δαναὸς ἐγένετο Ἄργους βασιλεύς. οὗτος τὰς θυγατέρας ἑαυτοῦ πενήτηντα οὖσας ἐκδίδωσιν εἰς γάμον τοῖς υἱοῖς Αἰγύπτου, πενήτηντα καὶ αὐτοῖς οὖσιν. οὗτος ἀπῆλθεν εἰς τὸ μαντεῖον χρησόμενος, εἰ ἄρα καλῶς ἔγημαν αἱ θυγατέρες. ὁ δὲ θεὸς ἔχρησεν αὐτῷ, ἐκ τούτων κινδυνεύσειν. ὁ δὲ ἔπεισε τὰς θυγατέρας ἀνελεῖν τοὺς υἱοὺς Αἰγύπτου. Et alius scholiastes: αὐτὸς γὰρ ὁ Αἰγύπτος ἦκεν εἰς Ἄργος τιμωρῆσων τῷ φόνῳ. Δαναὸς δὲ μαθὼν, ἐξῆγεν εἰς ὄπλα τοὺς Ἀργείους. ἀλλὰ Δυγκεὺς πείθει λόγοις λῦσαι τὴν ἔχθραν· καὶ καθιστῶσι δικαστὰς αὐτοῖς Αἰγυπτίων καὶ Ἀργείων τοὺς ἀρίστους. ὁ δὲ τόπος, ἐνθα ἡ δίκη συνήχθη, περὶ τὴν μεγίστην ἄκραν, ἐνθα καὶ Ἰναχος ἀλίστας τὸν λαὸν συνεβούλευσεν οἰκίξειν τὸ πεδῖον, ἐξ ἐκείνου Ἀλιαίας καλεῖται, ἡ νῦν Ἡλιαία λεγομένη. Aliud ibidem scholion refert, plerosque, et in his Hecataeum, negare Aegyptum Argos venisse: sed esse quemdam ibi editum locum, ubi iudicium Argivi agere soleant, cuius mentionem fieri in Bellerophonte Euripidis his verbis:

καὶ ἔστὸν ὄχθον, Δαναῖδῶν ἐδράσματα.

4 Sic scribendum. Legitur ἐδρασμαίων. Hyginus: at Aegyptus ut rescuit Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem, et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non reverterentur. Qui postquam Argos venerunt, oppugnare patrum coeperunt. Danaus ut vidit se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. Impetratas sorores patruales acceperunt uxores: quae patris iussu viros suos interfecerunt.

Aeschylum ego quidem est cur non putem Danaum regem perhibuisse Argivorum. Videmus hunc in ea, quae superstes est, trilogia res quamvis longo disiunctas temporis spatio ita tractavisse, ut non modo non offendantur ea re

spectatores, sed ne animadvertant quidem, quantum temporis inter singulas tragoedias intercesserit. Eodemque modo in Septem ad Thebas nihil est, quo tempus indicetur, quod inter mortem Oedipi et oppugnationem Thebarum interfuit. Vt id non casu, sed arte poetae factum videatur, temporis interiecti longitudinem perite tegentis. Atqui in Supplicibus regem Argivorum videmus Pelasgum. Quod si in fabula, quae hanc exciperet, Danaum Argis imperantem introduxisset, necessario ea res commovere debuisset spectatores. Nec facile tam inscitum quisquam et ineptum fuisse Aeschylum putabit, ut eum credat prologo aliquo mutationem rerum factam nunciavisse. Itaque si vel hoc argumento conici licet, etiam in Danaidibus non Danaum, sed Pelasgum Argis regnantem introductum esse, multo magis id tota compositio Supplicum flagitat. Cuius fabulae argumentum quum aperte imperfectum sit, ita ut necessario alia fabula, in qua ad finem perducerentur quae inchoata erant, sequi debuerit, tum etiam sic comparatum est, ut, quid sequutum sit, facile colligi possit. Versantur enim Supplices in ea potissimum deliberatione, an recipiendae sint Danaides, quum ex ea re bellum immineat. Impetrata receptione adest navis hostilis, praeconique profugos repetenti vim vi repulsum iri respondetur. In qua re quum finiatur fabula, non potest dubium esse, quin Aegyptiadae statim bellum intulisse Argivis, quumque vicissent, potiti esse Danai 5 liabus intelligendi sint. Eo in proelio nisi cecidisse Pelasgum putabimus, debuit ille etiam in Danaidibus rex Argivorum perhiberi. Et ita placuisse Aeschylo, non contemnendum mihi videor auctorem habere Ovidium, versibus illis in epistola Hypermnestrae, Heroid. XIV. 23., quos Burmannus pessime ita scriptos dedit:

*ducimur Inachides magni sub tecta tyranni,
et socer armatas accipit aede nurus.*

Esto enim, ut quinque codd. *tyranni*, et Ambrosianus *aede* praebeant, tamen nihil his verbis ineptius fingi potest. Nam is, de quo loquitur Hypermnestra, neque Da-

naus esse potest: non enim in huius domum, sed ex ea deducendae erant sponsae: neque vero Aegyptus: nam, ut in illis fuerit Ovidius, qui hunc Argos venisse tradiderunt, at nullo modo eum potuit magni tyranni nomine designare, quae non potest alius quam Argivorum regis esse appellatio. Tum quis tam ineleganter loquutum credat Ovidium, ut, quum *sub tecta tyranni* dixisset, deinde *accipit aede* adiecerit? Nihil sincerius antiqua scriptura:

*ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
et socer armatas accipit ille murus.*

Nimirum hoc vult, quia non aderat Argis Aegyptus, ad regis Pelasgi domum deductas esse puellas, et hunc eas soceri officio fungentem accepisse. Ac priorem quidem versum recte iam auctor Elector. Eton. ita interpretatus est, ad Aeschyli Supplices respexisse Ovidium ratus. Est sane hoc inventum eiusmodi, ut, quoniam exquisitius est, petatum alicunde videri debeat. Non erat tamen satis idonea causa commemorandi Pelasgi, quod is in Supplicibus Aeschyli tum Argis regnasse dictus esset, nisi Aeschylus eundem etiam in Danaidibus ut regem Argivorum introduxisset. Nam sic demum recte docteqque scripsisse Ovidius censendus est. Quin illud ipsum, quod hic narrat, in Pelasgi regiam deductas esse puellas, et ab eo soceri vice exceptas, ex Aeschylo sumptum esse veri simile est. Non autem haec acta, sed narrata esse in ea fabula existimandum. Quis enim facile sibi persuadeat, pugnam, nuptias, caedem, iudicium perpetratae, intermissaeque caedis una potuisse tragœdia comprehendere? Immo satis erat, iudicium institui.

Chorum consentaneum est, ut in Supplicibus, ex filiabus Danaï constitisse. Nescio an eo pertineat fragmentum sine nomine fabulae allatum a Porphyrio in schol. Ven. ad Iliad. ξ. 200. p. 338. a. *ὁμοίως δὲ καὶ Αἰσχύλος τὰς ἐν κύκλῳ ἐστῶσας ἐν ἀπίρῳνι σχήματι φησὶν ἴστασθαι.*

ὕμεις δὲ βωμὸν τόνδε καὶ πυρὸς σέλας
κύκλω περιστήτ', ἐν λόχῳ τ' ἀπίρῳνι
εὕασθε.

τοῦτο δὲ ἐστίν, ἐν τάξει κατὰ κύκλον· ὁ γὰρ λόχος
ἐστὶ τάξις. Legitur in eo loco παρίσταται. Caeterum
qui chorum tragicum aliquando e L cantoribus composi-
tum fuisse tradiderunt, ex his pótissimum duabus Aeschyli
tragoediis coniecturam fecisse puto. Absonum enim vi-
deri debebat, pro his, quae ab omnibus ipsoque Aeschylo
L numerantur Danaides, exiguum numerum XV puella-
rum in scenam productum esse. At, nisi egregie fallor,
providerat poeta, ne, licet XV tantum cantores adhibe-
ret, tamen nimis exiguus videri puellarum numerus pos-
set, addito ingenti comitatu famularum. Cuius rei iudi-
cium exstat in Suppl. v. 982.

σὺν τ' εὐκλείᾳ καὶ ἀμηνίτῳ
βάξει λαῶν τῶν ἐγχώρων
τάσσεσθε, φίλαι δμῳίδες, οὕτως,
ὡς ἐφ' ἐκάστη διεκλήρωσεν
Δαναὸς θεραποντίδα φερτήν.

Iudicium ipsum ita credibile est institutum fuisse, ut
coram senatu Argivorum causam oraret Danaus, auctor
caedis. Par erat autem, ut a narratione facti fieret
initium: in qua quum illud fuisse videtur, quod ex Ovi-
dio collegimus, puellas ad Pelasgum, soceri partes agen-
tem, deductas esse, tum aperte ad eam pertinnerunt tres
versus a scholiasta Pindari ad Pyth. III. 27. servati. Is
ita scribit: τὸ ὑποκουρίζεσθαι αἰοδαῖς εἶπε διὰ τὸ τοὺς
ὑμνοῦντας ἐπενυφημιζομένους λέγειν σὺν κούροις τε καὶ
κόραις. Αἰσχύλος Δαναῖσι·

κάπειτα δ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος,
ἕως ἐγείρω πνευμενεῖς τοὺς νυμφίους,
νόμοισι θέντων, σὺν κούροις τε καὶ κόραις.

Heynius ex Toup̄ii coniecturis ad Suid. T. II. p. 295. s.
dedit, κάπειτ' ἀνεισι et ἕως τ' ἐγείρει. Heathius con-

iecit νόμοις αἰοιδῶν, Toupius νόμοις γερόντων, sed postea vulgatam servandam censuit, inauditam rem commentus, θέντας praecentores dici. Causinus ad Horapoll. Hieroglyph. p. 244. ἕως τ' ἐγείρω interim excito vertit, et νόμοισι θέντων interpretatur, legibus eorum, qui statuerunt hanc cantilenam. Bothius, in primo versu Heynium sequutus, dedit, ἐγὼ δ' ἐγείρω πρηνευμένης τοὺς νυμφίους νόμοισι θέλω. Sed piget afferre, quae nemini in mentem venire debebant. Neque vero Boeckhius, quod se solitum ipse in praefatione ait, omnia curiose pensavit et inter ipsa comparavit, qui Heynium sequutus, appositis in fine ultimi versus punctis, deesse aliquid ad sententiam dicat, quod sequente versu expressum fuerit. Nam priusquam quis corrigat, videndum est, an opus sit correctione. At nulla opus est, dum verba recte interpungantur:

κάπειτα δ' εἰσι λαμπρὸν ἡλίου φάος,
 ἕως ἐγείρω, „πρηνευμένεις τοὺς νυμφίους
 νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις *).“

Tum vero, inquit, it lumen solis, usque dum excito: favere iubento sponsos, ut mos est, cum pueris ac puellis. Hoc enim dicere videtur, ubi mandata dedisset filiabus, ubi deductae fuissent ad Pelasgum, ubi peracta sacra, inclinatum esse diem, usque dum ipse tempus esse canendi hymenaei significasset; inde illos in thalamos abdisse, factamque esse caedem. Porsonum, καὶ — δὲ a tragicis abiudicantem, nemo hodie audiet, qui sciat, quid hae particulae a καὶ — γε differant. Εἴμι autem, qui non nisi futuri temporis esse apud Atticos contendunt, in quibus est Buttmannus etiam in novissima editione grammaticae p. 555, poetas certe excipere debebant. Apud Aeschylum apertissime praesens est εἰσι in Sept. ad Theb. 379. et πρόσκειμι in Eum. 242. Videtur autem haec quoque Ovidius expressisse v. 27,

*) Quidquid de hoc fragmento statuatur, nec Welckeri interpretatio, p. 396. nec Sävernii, p. 55. admitti poterit.

vulgus Hymen Hymenaeae vocant.

Simul intelligi poterit ex Aeschyli verbis, quo sensu dici solitum fuerit illud *σὺν κόροις τε καὶ κόραις*. Fecundum enim coniugium apprecabantur novis nuptis, favere eos cum pueris atque puellis, i. e. cum multa prole, iuvenes. Phoenix Colophonius apud Athenaeum VIII. p. 359. F.

*θεοί, γένοιτο πάντ' ἄμεμπτος ἡ κόρη,
κάφνειὸν ἄνδρα κώνομαστόν ἐξεύροι,
καὶ τῷ γέροντι πατρὶ κοῦρον εἰς χείρας,
καὶ μητρὶ κόρην εἰς τὰ γούνα κατθείη.*

Tangit hunc morem etiam Hesychius, neglectus a Boeckhio: *κουριζομέναις, ὑμεναιουμέναις, γαμουμέναις, διὰ τὸ λέγειν, σὺν κόροις τε καὶ κόραις, ὅπερ νῦν παρεφθαρμένως ἐκκορεῖν λέγεται*. Ita VV. DD. emendarunt. Codex *κουριζόμενος, ὑμεναιούμενος*, et *ἐκ κόρεν*, quod recte in *ἐκκορεῖν* mutatum. Apparet enim, hoc dicere Hesychium pro *κουρίζεσθαι*, corrupte vulgo *ἐκκορεῖν* dici. Quod unde natum sit, ex iis intelligitur, quae scholiastes Pindari subiicit versibus ex Aeschilo citatis, quem locum multo minus circumspecte tractavit Boeckhius, qui neque scripturae diversitatem omnem attulerit, et verba maxime genuina eiecerit, et auctores, qui eandem rem attingunt, parum accurate consideraverit, et reposuerit id, quod defendi nequeat, et verbo *ἐκκορεῖν*, credo quia id grammatici *ἐκκαλλύνειν* interpretantur, inauditam exornandi significationem tribuerit. Vetus scriptura est: *κὰν τῷ βίῳ ἀκρεῖ. ἀντὶ τοῦ κόρας κορώνας, παροτρύνοντες δ' ἐνιοὶ φασιν, ἐκκορεῖ κόρους κορώνας*. Cod. Gott. Heynio teste, *εὐ-9 κορεῖ, ἀντὶ τοῦ, κούρους κορώνας προτρέπονται. ἐνιο φασί*. Ex iis, quae Boeckhius dicit, *προτρέποντες* scripturam codicis esse conicias. Porro eundem codicem *ἐκκόρει. κόρει κορώνας* habere dicit Boeckhius, de qua re nihil Heynius. Ipse Boeckhius totum locum sic refinxit, *κὰν τῷ βίῳ προτρέποντες ἐνιοὶ φασιν· ἐκκόρει,*

κόρει κορώνας, quod interpretatur: *exorna, orna cornicem*. Vt possit haec in his verbis esse sententia, quod fieri non potest, quis umquam tradidit, exornatam esse in nuptiis cornicem? Apud Horapollinem cap. 8. pag. 14. ubi de cornicum amore coniugali dictum erat, ita scriptum legitur: τῆς δὲ τοιαύτης αὐτῶν ὁμοιοῦσας χάριν μέχρι νῦν οἱ Ἕλληνες ἐν τοῖς γάμοις, ἐκκορί, κορί, κορώνην λέγουσι ἀγνοοῦντες. Attulit haec verba Boeckhius, sed non emendavit, etsi ipsa sibi repugnant. Scripserat auctor λέγουσιν εὐνοοῦντες. Aelianus H. A. III. 9. eulus verba non apposuit, ita scribit: ἀκούω δὲ τοὺς πάλαι καὶ ἐν τοῖς γάμοις μετὰ τὸν ὑμέναιον τὴν κορώνην καλεῖν, σύνθημα ὁμοιοῦσας τοῦτο τοῖς συνιοῦσιν ἐπὶ τῇ παιδοποιῷ διδόντας. Eximius hic locus est ad rem illustrandam, ex quo non hoc tantum discimus, post hymenaeum eo ipso tempore, quo sponsa devirginaretur, cuius rei significatio in verbo ἐκκόρει inest, cantionem illam cani solitam, sed in ea etiam invocatum esse boni ominis causa cornicem. Vbi vero ulla invocatio cornicis in scriptura, quam Boeckhius excogitavit? Praebet vero eam scriptura codicis Med. apud Horapollinem, κορώνη. Quae quum ita sint, vix puto dubitari posse, quin scholiastes Pindari ita scripserit: καὶ τῷ βίῳ, ὡς περ εἰ ἀντὶ τοῦ κόρους, κορώνας παροτρύνοντες (sive *ma- vis προτρέποντες*) ἐνιοὶ φασιν, ἐκκόρει κόρην, κορώνη, i. e. *devirgina virginem, cornix* *). Eaque cantionis scriptura etiam apud Horapollinem restituenda. Quam haec rei, temporis, menti scriptorum, qui hunc morem tangunt, accommodata sint, non opus videtur, ut pluribus demonstremus. Qui fieri potuerit autem, ut κορώνη pro sponso nominaretur, ex Suida in ν. κορώνη disci-

*) Ἐκκορεῖν, quod proprie aliam significationem habet, usurpandum erat propter ambiguitatem, ut apud Aristophanem Theam. 760. τίς ἐξέκορσέ σε; Διακορεῖν enim non modo aperte obscenum, sed etiam ineptum fuisset. Aliter verba cantionis constituenda putat Welckerus p. 397.

poterit, eoque, cuius ille testimonio utitur, Artemidoro V. 65.

Sed redeamus ad Danaides. In ipsa partium alteratione bene convenissent accusatori hi versus apud Stobaeum Serm. XXXIX. p. 457. Grot., si eos in Danaidibus fuisse constaret:

*οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα,
καὶ τὸν κακῶς πράσσοντα καὶ τοῦτον μένειν.*

Secundum versum, quod alibi cum priore coniunctus citetur, addidisse se ait Grotius. Edd. Trinc. Tigur. Bas. neutrum habent. In Francofurtana p. 550. solus prior invenitur, Sophocli tributus. Sed in omnibus paullo ante scripti sunt hi duo:

*οἴκοι μένειν χρῆ καὶ μένειν ἐλεύθερον,
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.*

Qui in Trinc. et Tig. sine auctore, in Bas. ex Menandri Heautontimorumeno afferuntur, ubi Clericus p. 54. s. eos ad Aeschyli imitationem factos ait. Hoc vero multo ante dixerat Clemens Alex. Strom. VI. p. 260. et hic addit in Aeschyli fragmento alterum versum. De formula *οἴκοι μένειν* multa Toupius ad Suid. T. III. p. 23.

Defendendae autem caedi aptissimus est alius nobilis versus Aeschyli,

ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός,

ut non inepte conicere videatur, qui eum in hac fabula positum fuisse putet. Affertur a Stobaeo Serm. IX. p. 223. ed. Schow. 61. Grot. a scholiasta Veneto ad Iliad. β. 114. ab Eustathio p. 188, 42. (142, 53. Bas.) et a Sexto in Disputatt. antiscept. in Galij Opusc. mythol. p. 720. sive in Fabricii Bibl. Gr. ed. priore T. XII. p. 626. ubi ei statim quasi continuus subiicitur hic versus,

ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ἔπου τιμῆ θεός.

Legitur ἔσθ' ὅποι τιμῇ, Dorice, etiam in cod. Monac. apud Thierschium in Act. Monac. T. I. P. II. p. 206. cui ea scriptura fraudem fecit, ut ἔσθ' ὅτ' ἐν τιμῇ θεῶν scribendum putaret. Galius hos versus ex diversis tragoediis sumptos iudicat. Satius erat, opinor, dicere, non positos fuisse continuos.

Causa stetisse Danaides, duplici argumento contenderim. Primum enim fieri non potuit, ut quas poeta in Supplicibus pias deorumque et legum reverentes introduxerat, easdem mox ut impias et sceleratas condemnari faceret. Itaque iam in Supplicibus providit, ut honestam et fugae et vero etiam caedis causam haberent. Fugimus, inquit in ipso fabulae illius initio,

οὔτιν ἐφ' αἵματι δημηλασίαν
 ψήφω πόλεως γνώσθεισάι,
 ἀλλ' αὐτογενῆ φυξανορία
 γάμον Αἰγύπτου παιδῶν ἀσεβῆ τ'
 ὄνοταζόμεναι.

Eademque in Promethæo indicata sunt v. 852.

πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντῆλαις
 πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται,
 θηλύσπορος, φεύγουσα συγγενῆ γάμον
 ἀνεψιῶν· οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας,
 κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι,
 ἤξουσι θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους
 γάμους.

Itaque eo potissimum se defendisse videntur, quod, nisi occidendis sponsis, non potuissent incesta connubia devitare. Simul autem ad movendos iudices generis sui mentionem facere debebant, atque eos orare, ut se origine Argivas esse reputarent. Quamquam non contenderim, eo id loco factum esse, quem Strabo in mente habuit, quum V. 2, 1. p. 221. (338. C. ed. Alm. T. II. p. 128. ed. Tschuck.) de Pelasgis scripsit: *Αἰσχύλος δ' ἐν τοῦ περὶ Μυκίνας Ἄργους φησὶν ἐν Ἰκέτισι καὶ*

Δαναΐσι τὸ γένος αὐτῶν. Multiplicem enim Pelasgorum mentionis opportunitatem haec tragoedia continere debuit. Male vero apud Strabonem legitur, ἐν Ἰκέ-12 τισιν ἢ Δαναΐσι, qua menda deceptus Stanleius in notis ad indicem fabularum Danaides et Supplices unam putavit eandemque tragoediam esse.

Alterum argumentum, quo adducor, ut absolutas a iudicibus puellas credam, hoc est, quod aliter non potuisset Hypermnestra rea agi, quod tamen factum esse, arguit fragmentum ex oratione Veneris, de quo infra dicitur. Nam si damnatae essent caeterae, sponte consequebatur, non esse crimini obnoxiam Hypermnestram: absolutis autem, quae necaverant sponso, non potuit culpa vacare ea, quae pepercerat, sed iudices eo se redactos videbant, ut, quum illas absolvissent, hanc, quae spreto patris mandato, amore sponsi incestum facere, quam iustam necem dare maluisset, condemnandam esse intelligerent.

In eius rei disceptatione ea exprompta esse argumenta credibile est, quae et culpam Hypermnestrae augere, et invidiam in Lynceum concitare viderentur. Et Hypermnestram quidem quum plerique virginem mansisse tradant, ut Apollodorus, scholiastes Homeri ad Iliad. δ. 171. scholiastes Pindari ad Nem. X. 10. atque Ovidius, contrarium dicit scholiastes Euripidis ad Hec. 869. ed. Matth. *μία δὲ τούτων μόνη ἢ Ὑπερμνήστρα ἐφείσατο τοῦ Λυγκίως, ἀπὸ τῆς μίξεως διάθεσιν ἐσχηκνία πρὸς αὐτόν.* Hanc sententiam probasse videtur Aeschylus, ut qui Hypermnestram non tam miseratione Lyncei, quam amore a caede cohibitam finxerit. Id ex his in Prometheo v. 864. intelligitur:

*μίαν δὲ παίδων ἡμερος θέλξει, τὸ μὴ
κτεῖναι σύνευνον, ἀλλ' ἀπαμβλυθήσεται
γνώμην, δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται,
κλύειν ἀναλκίς μᾶλλον ἢ μαιφόνος.*

Ita misericordiae excusatio vertit in crimen incesti. Ad Lynceum autem quod atinet, verisimile est, admonitos esse a Danao iudices, metuendum eum fore, si absolvatur. Et diserte Pausanias II. 19, 6. de Hypermnestra: *ταύτην γὰρ ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ*
 13 *Λυγκίως οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἠγούμενος.*
 Et perbene convenirent eiusmodi admonitioni versus, qui apud Aristophanem in Ranis 1478. (1431. Br.) Suidam in οὐ χροῖ et in σκύμνος, Plutarchum Alcib. c. 16. leguntur:

*οὐ χροῖ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
 μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἔν πόλει τρέφειν·
 ἦν δ' ἐτρέφη τις, τοῖς τρόποις ὑπερτεῖν *).*

Male apud Aristophanem et Suidam legitur *ἐτραφῆ*. Hi versus nescio quo casu vertigine quadam oculos virorum doctorum obscuraverint. Pronunciantur apud Aristophanem ab Aeschylo, sed Aeschyli esse, nec scholiastes, nec Suidas, nec Plutarchus, nec, qui sententiam loci Aristophanei retulit, Valerius Maximus VII. 2. dicit. Gatakerus tamen Misc. p. 504. C. primum versum quasi certo Aeschyleum a Plutarcho citari ait, augendumque dicit alteris duobus ex Aristophane. At hos duos habet Plutarchus ut Aristophanis, primum autem omittit. Idem autem Gatakerus p. 858. primum versum, quem hic quoque Aeschylo tribuit, ab Aristophane cum alteris duobus tamquam alius cuiuspiam versibus componi refert: de qua re nihil apud Aristophanem. Brunckius, ira occaecatus, medium versum trium codicum auctoritate, quibus accedere videtur etiam Venetus, optimus liber, delevit, omissum eum etiam a Plutarcho clamans, qui, ut diximus, non huic, sed primum omittit. Ravennas servat medium, satis illum et Plutarchi, et binis Suidae locis munitum.

*) Confer de his versibus Süvernium in dissertatione Germanice scripta de Aristophanis Nubibus p. 47. et G. Dindorfium in praefatione ad Aeschylum p. 9.

Nec, si quibus in codicibus deest, alia omissionis causa fuit, quam aberratio librariorum propter repetitionem postremorum verborum. Est enim, si quisquam, genuinus, modo Baccho tribuatur, more suo inepte interlocuenti, quod iam ex antiquis quidam intellexerunt faciendum esse. Itaque iam de primo tantum atque ultimo quaestio est, utrum Aeschyli sint, an Aristophanis. Plutarchi citatio nihil ad rem. Hic primum versum omisit, quia quid Aristophanes de Alcibiade sensisset, dicere volebat. Si testibus agendum, Aristophanes videri debet hos versus ad exemplum dictionis Aeschyleae composuisse, quoniam hunc loquentem faciebat. Nemo enim diserte scribit, ab ipso Aeschylo factos esse. Sed quum 14 et fugere quaedam scholiastas potuerint, neque integros habeamus veterum commentarios, versusque ipsi tales sint, quales ab Aeschylo alicubi positos veri simillimum sit, praesertim quum eadem sententia in Agamemnone v. 726. seqq. inveniatur: facile credam, ipsius poetae verbis usum esse Aristophanem. Non tamen aut hoc contendam, aut in Danaidibus eos fuisse scriptos: sed satis habeo dicere, aptos huic fabulae fuisse. Idem sentio de alio Aeschyli versu, qui non minus accommodatus foret conflandae in Lynceum invidiae:

δεινοὶ πλέκειν τοὶ μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Vt Aeschyli versum afferunt schol. Aristoph. ad Nub. 1128. schol. cod. Med. ad Theocr. Adoniaz. 48. in War-toni Emendd. editorum schol. T. I. p. 205. et inde apud Valck. ad Adoniaz. p. 356. et sine nomine auctoris Steph. Byz. in v. *Αἴγυπτος*, Apostolius VI. 94. Zenob. III. 37. apud quem *πλέκονται μηχανὰς* scriptum, Diogenianus IV. 35. ubi *πλέκειν τὸ*, Suidas in hoc ipso proverbio, ubi edd. Mediol. Ald. *τοὶ*, sed Bas. Port. Kust. Schottus *τὰς*, et sic Schottus etiam ad Adag. p. 340. et alibi, atque Kusterus ad Thesm. 929. quam adnotationem quum Brunckius suis inseruisset, in addendis ad v. 922. monuit, versum Aeschyli esse, legendumque *τοὶ*.

In illo discrimine quum essent iudices, ut, absolutis caeteris Danai filiabus, Hypermnestram non possent non condemnare, dei alicuius interventu opus erat, ut servaretur puella, cui pro crimine erant amor et misericordia. Et quis deus potior inveniri poterat, qui huius causae patrocinium susciperet, quam ipsa amoris mater Venus? Hanc ergo poeta introduxit, defendique ab ea Hypermnestram fecit. Neque enim alio tendere potuit oratio, qua illa suam potentiam declarans, monensque, quid amor valeret, ad mitiorem iudices videtur traduxisse sententiam. Quod eximie confirmatur eo, quod Pausanias, cuius verba supra posuimus, signum Veneris victricis ab Hypermnestra dicatum scribit. Partem orationis illius 15 servavit Athenaeus XIII. p. 600. A. καὶ ὁ σεμνότατος δ' Αἰσχύλος ἐν ταῖς Δαναΐσιν αὐτὴν παράγει τὴν Ἀφροδίτην λέγουσαν·

ἐρᾷ μὲν ἀγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
 ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν,
 ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάοντος οὐρανοῦ πεσὼν
 ἔκυσσε γαῖαν· ἢ δὲ τίκτεται βροτοῖς
 5 μῆλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον·
 δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου
 τέλειός ἐστι· τῶνδ' ἐγὼ παραίτιος.

Ita scribendi hi versus. Affert eos, omissis duobus postremis, etiam Eustathius p. 978, 24. (967, 9. Bas.) sed deceptus ab epitome, quum ibi paullo ante Aeschyli Alexandrini mentio facta esset, ita scribit: καὶ τις Αἰσχύλος, οὐχ ὁ ἐξ Ἀθησῶν, ἀλλ' Ἀλεξανδρέως, ὡς ἡ κατὰ τὸν Ἀθήναιον ἱστορία δηλοῖ, φησίν. Versu 1. Grotius in Excerptis p. 45. et ex eo Gatakerus ad Antonin. p. 303. τρῆσαι. Versu 3. epitome Athenaei et Eustathius εὐνάοντος, sed in epitome ad tertiam syllabam superscriptum ε. Grotius εὐνοοῦντος. Valckenarius in Diatrib. de Fr. Eurip. p. 53. sed dubitanter, εὐρώεντος. Quin Bothius εὐνάζοντος. Recte se habet εὐνάοντος, verbo ad exemplum Homeri facto Od. γ. 109.

ἐν δ' ὕδατ' αἰετόντα.

Versu 4. libri ἐκυσε. Wakefieldius ad Lucret. I. 251. male ἐκυσσε, quo errore etiam recentissimae epicorum editiones, nondum illae ita, ut in hac litterarum luce expectari poterat, expolitae, ὑποκυσσαμένη praebent. Κύειν est *fecundare*, unde κῦμα, a grammaticis de fetu adnotatum, Aeschylus atque Euripides usurparunt, κνειν autem *parere*. Grotius ἔανσε, qui, sive suo, sive typographi errore, ἔλυσσε scriptum fuisse dicit, quod nusquam legitur nisi in ed. Stanleiana. Heathius ἔδευσε, et sic etiam Maltby ad Morell. p. 393. Valckenarius ἔδυσε, Ruhnkenius ἐπλησε. Placebant sibi olim viri docti in huiusmodi hariolationibus, et placent sibi adhuc nonnulli. Quando tandem nugari desinemus? Versus 6. et 7. omittit etiam epitome. Vulgo δένδρων δέ τις ὥρα ἐκ. Miramur 16 hodie, Grotium δένδρων δέ θ' ὥρα ἐκ, Stanleium δένδρων δέ τις ὥρ' ἐκ, Heathium δένδρων δέ πως ὥρ' ἐκ scribere potuisse. Bothius pro more, δένδρων δέ τις ὄρος ἐκ. Valckenarium, qui δένδρων τ' ὀπώραν, ἢ ἄ coniecit, speramus, si scivisset in cod. A. legi δένδρων τις ὥρα δ' ἐκ legi, non id, ut novissimum editorem Athenaei, in textum receptorum fuisse, sed illud, quod nos dedimus, repositurum. Euripides Herc. F. 790.

Πυθίου δεινρῶτι πέτρα.

Superest unum adhuc Danaidum fragmentum, cui si in eadem Veneris oratione locum fuisse coniiciemus, erunt fortasse, qui id audacius factum iudicent. Legitur apud Hesychium: καθαιρομαι γῆρας. ἐκδύομαι. Δισχύλος Δαναΐσι. Edd. vett. Δανάη. Codex δαίσι. Nomen fabulae recte restitutum puto. Verba primo aspectu senis esse videntur, iuvenescere se dicentis. Et putet quis forsitan Danaum, ubi absolvi se a iudicibus sensit, ita dicere. Vereor vero, ne non modo sententia illa parum digna sit viro gravi et sobrio, praesertim unam adhuc filiam ream acturo, sed etiam ne verbum non sit apte electum. Nam quum duobus modis accipi possit καθαιρεσθαι γῆρας,

uno, ut sit sordes senectutis deponere; altero, ut notet purum senii atque expertem fieri: prior illa significatio Satyris potius quam tragoediae convenit, altera autem, quae gravis est et accommodata tragico stilo, non quadrat in hominem senem. Quum autem non dubitandum videatur, quin Aeschylus posteriore significatione verba illa posuerit, consentaneum est, ut eum certe non hac forma, *καθαίρομαι*, dixisse statuamus. Nam licet grammatici, et in primis Hesychius, verba scriptorum fere ut apud eos scripta inveniebant, in commentarios suos intulerint, tamen neque semper id fecerunt, et interdum non recte facturi fuissent, ut hoc ipso loco Hesychius. Qui, si Aeschylus, ut coniicio, *καθαίρεται* scripserat, aut integrum poetae locum debuit adscribere, aut, si more suo brevitati studere vellet, prima persona uti: aliter enim
 17 nemo non *γῆρας* pro nominativo habuisset. Iam sume tale quid scripsisse poetam:

καθαίρεται δὲ γῆρας ἀνθρώπων φύσις,

et habebis orationem et Aeschylo dignissimam, et convenientissimam personae Veneris, potentiam suam declarantis. Quod si talis, qualem coniecimus, fuit Aeschyli sententia, nihil impedit, quin eam statim illis versibus, quos Athenaeus habet, subiectam fuisse putemus, si quidem etiam Euripides apud Stobaeum Ecl. phys. I. 10. in notissimis versibus, quibus illum Aeschyli locum imitatus est, eandem sententiam, sed more suo tenuius expressam, addidit.

ὄθεν βρότειον ζῆ τε καὶ θάλλει γένος.

Gravius Staius Silv. I. 2, 187.

Sic rerum series, mundique revertitur aetas.

O R A T I O
IN
FRIDERICI AVGVSTI
REGIS AVGVSTISSIMI
SOLEMNIBVS
REGNI
SEMISAECVLARIBVS
D. XI. SEPT. A. clobcccxviii
HABITA
IN
ACADEMIA LIPSIENSI.

PRINCEPS SERENISSIME,
PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
GRAVISSIMI PROCERES,
CIVES CARISSIMI.

Quod a vetustissima memoria non contigit huic populo,^s ut, quum multos haberet principes, quos quam diutissime regnare cuperet, aliquem eorum per dimidiatum saeculum rebus suis videret praeesse: id in eo gaudemus Rege evenisse, quem et datum nobis, et per tam longum annorum spatium conservatum esse, tantum numeramus dei optimi maximi beneficium, ut eo nullum nobis tribui maius potuisse intelligamus. Quae duae res enim omnem ut cuiusvis hominis, ita etiam regis laudem continent, ut et vir bonus sit, et utilem se praebet aliis, eae in nostro Rege, **FRIDERICI AVGVSTI**
HERM. OP. II. **Y**

DERICO AVGVSTO, tam sunt eximiae, ut neque virtute quisquam illo venerabilior, neque ad patriae utilitatem, qui praeclarius de ea mereri potuerit, inveniri queat. Nam Ipsum si spectamus, summa in Eo est pietas, incorrupta fides, aequitatis amantissima moderatio, maxima sapientia, invicta fortitudo, inexpugnabilis constantia, iustitia autem tanta, ut Ei merito iam ab aequalibus Iusti cognomine appellari contigerit: ad ea autem, quae in patriae utilitatem fecit, si mentem convertimus, quaqua circumspiciamus, nulla pars est publicae administrationis, cui non optime esse et sapientissime provisum videamus; nulla classis civium, quae non, quamvis adversissimas temporum vicissitudines experta, salvam se ac felicem esse fateatur; nullum genus negotiorum aut studiorum, quod non ita colatur ac floreat, ut non modo non inferior sit Saxonia caeteris Germaniae civitatibus, sed eas longe antecellat. Amoeni ubique laetissima frugum ubertate agri; nitentes aedibus urbes pagique; florentissima mercaturae nullis impedita vexationibus celebritas; ferventissimae omnis generis artes atque opificia; studiis litterarum summus honor, summaque etiam apud externos existimatio. Quae nobis reputantibus tanta suppetit tamque larga gaudendi gratulandique materia, ut neque unde initium fieri deceat, neque ubi finem simus inventuri, facile perspiciamus. Quod si unamquamque civium classem ea potissimum animo repetere consentaneum est, quae ipsi his quinquaginta annis per optimi REGIS providentiam prospera obtigerunt: nos illud forsitan in primis decere videatur, ut, qua liberalitate ac munificentia Rex noster, fautor summus hominum litteratorum, atque Ipse optimarum scientia doctrinarum egregie formatus, studia litterarum, eosque, qui vel docendis vel discendis litteris operam dant, adjuverit, praemiisque et honoribus affecerit, grata piaque memoria recolamus. Ac profecto, sive quis scholas respiciat, doctissimis magistris instructas, discentium multitudine frequentes, disciplinae strenuitate commendabiles, victus praebitione pauperibus commodas; sive hanc Academiam intueatur, institutis salubribus ornatissimam, doctorum claritate

per omnem terrarum orbem celebratissimam, iuvenum literis operam navantium non numero solum, sed etiam diligentia et bonis moribus laudatissimam, stipendiorum denique et praemiorum multitudine ac magnitudine ad adiuvanda studia opportunissimam, cui gemina diu fuit erepta nunc crudeli fato et sublata Viteberga, non poterit non gravissimo animo venerari eximiam REGIS curam atque industriam, qui, quae a maioribus praeclare instituta acceperat, non modo conservaverit integra atque illaesa, sed omnibus modis adiit, emendaverit, auxerit, atque ad summum studuerit floris fastigium adducere. Ad haec singula dicendo persequi quamquam et iucundissimum foret, neque ab huius diei solemnitate aut sanctitate huius templi alienum: tamen in communi universae patriae laetitia, quibus doctrinarum tractatione ad liberalem eruditionem evehi contigit, non se potius respicere, quam ad ea, quae maiora sunt, animum advertere, nec quid datum sit magis, quam a quo sit datum, considerare par est. Neque enim magnitudo acceptorum mater est verae laudis, sed eius, qui dederit, virtus; nec digne satis REGEM colatis, qui quot ab Eo et quanta acceperit beneficia commemoret, sed ille, qui quam magnum sit, dare illa, aestimare didicerit. Quamobrem nihil videtur esse, auditores, in quo rectius haec versari oratio possit, quam in eo, unde omnis illa admiratio, quae iure meritoque REGI nostro debetur, tamquam ex fonte suo promanat, magnitudinem animi dico eam, qua Ille esse optimus, quam videri maluit. Quae animi magnitudo quemadmodum quondam, quum in Amphiarao, uno ex septem ducibus Thebanis, laudata esset ab Aeschylō poeta nobilissimis versibus, eaque fabula, in qua sunt illi versus, Athenis ageretur, universi populi Atheniensis iudicio in Aristide, iustissimo viro, agnita est: ita haec hominum aetas eequem habet, quem rectius cum Aristide comparari, ac magis illa esse animi magnitudine conspicuum, quam REGEM nostrum, consentiat?

Est autem haec quum omnino perrara virtus, auditores, tam in regibus eo rarior, eoque plaris facienda, quoꝝ

plura sunt, quae hos ad quamvis aliam potius, quam hanc laudem concupiscendam invitent. Considerate enim hanc omnem regnandi imperandique rationem, quam ea hodie sit alia, atque antiquis temporibus fuit. Tunc robur et fortitudo faciebat reges, quorum officium in eo erat positum, ut duces belli essent, caeterisque exemplum virtutis praerent. Fortitudo quum et auctoritatem et opes peperisset, iuris dicundi et tributa imperandi potestas accessit. Hinc filii regum, victu lautiore usi, atque a pueritia armis tractandis adsueti, facile ipsi quoque, ut patres eorum, quum corporis viribus ac fortitudine, tum omnino maiore quodam cultu supra vulgus eminebant. Ita hereditaria facta dignitas regia, quamdiu fortitudo prima virtutum habebatur, tuebatur certe regna, ut, si non a maioribus accepta fuissent, recte tamen tribui his, qui ea habebant, potuisse viderentur. Mutatis vero paulatim moribus, quum animi intelligentiae ingenique praestantiae maior, quam manuum roboris honos esse coepisset, eruditioque in omnem populum diffunderetur, emoliri magis magisque atque enervari reges, populus autem corroborari et altiores spiritus sumere, discrimenque, quod inter utroque fuerat, sensim deleri, ac postremo nonnumquam in contrarium verti. Accedebat, quod quae simplicissimae olim fuerant rerum et publicarum et privatarum rationes, magis magisque implicari et intricari coeptae sunt, ut iam non ab uno, sed a multis, non manu imperantis, sed per alios, non ore, sed scripto peragerentur. Vnde regibus iubendi praerogativa, rerum omnium facillima, mansit: qua, quibus generosior indoles est, gloriae cupiditate incensi, fere ad bella gerenda utantur, ut victoriis scilicet nobiles aut regni finibus promotis, immortale sibi nomen pariant. Quae ipsa facillima hodie ad adipiscendum laus est, si quidem quod rex iussit, alii autem exsequuntur, adulatio ipsi adscribit regi, ducemque et imperatorem et heroem vocat, etiam qui nunquam in acie fuerit conspectus. Haec belligerandi cupiditas, mire illa sollers in causis bellorum excogitandis, iniuriarumque turpitudinem praetextis honestis quibusdam nominibus callide dissimu-

lans, quo regibus, quod in privatis gravi supplicio punitur, non modo impune, sed etiam cum laude licitum esset, postremo certissimum invenit belli inferendi praesidium, aequilibrium civitatum commenta, quae apertissima confessio est, nullam civitatibus inter ipsas intercedere sanctitatem iuris, sed, omnibus ad iniuriam pronis, solo eas mutuo metu cohiberi. Scilicet populorum hanc esse ad iniurias propensionem simulant, quae non ipsorum est populorum, sed illorum, qui imperant populis, laedere quam laedi tutius arbitrantium. At inter cultas nationes non minus parva regna tuta sunt, quam quae plurimum terrae obtinent, maximaque abundant hominum multitudine. Etenim privatos, quorum semper aliqui rudes sunt et feroces, facile ad iniuriam vel levis offensa, nisi metu poenae coerceantur, exstimulat: populos autem, nisi qui iis praesunt, bellum geri velint, aegerrime arma cum pacis tranquillitate commutare videmus: qui quum id faciunt ipsi et sponte sua, non in alios populos, sed in suos ipsorum tyrannos, ut ab his, non ab illis laesi, insurgunt. Ex quo apertum est, hunc demum bonum esse et iustum et utilem regem, qui alienus ab illa gloriae cupiditate, quae laedendis aliis gentibus paritur, eum populum, quem ipse regendum acceperit, quantum possit felicem reddere studeat. Esto enim, ut quem multae pugnatae pugnae, fusi fugatique fortissimi exercitus, statuta insignia tropaea, captae magnae urbes, debellatae clarissimae gentes, abduoti numerosi greges captivorum, praedae ingentes thesauri domum avecti clarum notumque reddant posteris: quis clarior his rebus omnibus fuit Alexandro, rege Macedoniae, et quis tamen est, in quo magis appareat, quanta stultitia sit, unum hominem sibi totum velle terrarum orbem subiuicere? quod ut perficiat, quid aliud quam parte infinitesima immensi huius universi subacta una cum immemorabili hoc, in quo vivimus, pulvisculo, multo ipse immemorabilior, occidet? Sed Alexandrum tamen ridemus magis, quam ut ei indignemur, quod generosum adolescentem non tamen avaritia aut alia turpis cupiditas, sed solus gloriae immoderatus amor ducebat: quod contra ab-

ominamur, quibus gloria serva est turpitudinis. Quanto vero maior, quanto excelsior, omninoque quam deo digna illa virtus est, quae prosperitate populis et felicitate paranda augendaque censetur. At enim illa splendoris experts, modesta solet ac pene humilis incedere. Non enim factis et rebus gestis conspicua esse amat, sed omittendo et non faciendo, quod posset quis facere, contenta est; non fulminis instar alte emicat, mentesque fulgore suo praestringit, sed in occulto manens etiam ignorari se patitur; non magis repentino impetu evertendis celerem famam consequitur, sed lente paullatimque condendis, quae mansura sint, tarde seroque cognoscitur; postremo non ancipitia aequalium admirationis captat, sed vel reprehendi se ab his et contemni aequo animo ferens, incorruptum exspectat posteritatis iudicium. Atque hac laude, auditores, quae sola vera est et immortalis laus, quis est non modo nostrum, sed quisquis etiam exterorum recta mente utitur, qui REGEM nostrum, FRIDERICVM AVGVSTVM, si quemquam unquam regem, non maxime esse insignem fateatur? Quis est, qui animum eius ab omni iniusta cupiditate alienum, nullis neque regni incrementorum, neque gloriae inanis illecebris captum, in secundis pariter atque adversis temporibus, quin in atrocissimo infortunio constantem atque immotum, parique semper et moderatione et fortitudine eadem via incedentem, non et admiretur maxime, et summa veneratione suspiciat? Considerate haec singula, cives, et recolite grato animo memoriam longi huius temporis, quo nobis tam eximio Rege frui contigit. Nulla pars est officiorum, nulla temporum vicissitudo, quae non talem eum habuerit, qualem maxime civitas optare posset. Accepit ille regnum a maioribus ita aere alieno obrutum, ut, quomodo id exsolvi posset sine insigni et civium iniuria et fidei publicae detrimento, vix aliqua ratio appareret. Nihilominus tanta est hanc tam difficilem rem aggressus sapientia, ut et certissima, et, quoad licebat, etiam brevissima via istud aes alienum incredibiliter minueretur, et minueretur quidem non solum cum minima civium molestia, sed ita etiam, ut fides publica non labefactaretur, sed firma maneret, nec

firma tantum maneret, sed etiam augetur, maiorque evaderet, quam ulla alia in parte Germaniae. Quin ne recentissimis quidem temporibus, quum vastata et exhausta Saxonia a sociis pariter atque ab hostibus, atque insuper magna et in primis ad reditus uberi parte imminuta, ad summam esset miseriam redacta, novumque et illud ingens contractum esset aes alienum, aut civium dura fuit conditio, aut de fide civitatis quidquam detractum est, immo non minus integra stant omnia, quam si diuturna pace ac prosperissima a multis annis fortuna essemus usi. Nimirum duabus ille hoc artibus effecit, una, quod fidem in rebus omnibus constantissime servavit, ita ut, quod Saxonum Rex promississet, certo ratum fore et cives et exteri confiderent; altera quod bene intellexerat, quibus limitibus se continere deberet officium principis, si non modo salvam esse rempublicam, sed etiam opibus et felicitate civium florere vellet. Qui si quisquam alius, id optime singulis factis suis ostendit, non civitatem principi servire, sed principem civitatis causa esse constitutum. Quod etsi hodie quidem nemo est qui dubium esse censeat, tamen ipsa civitatis administratio ita potest instituta esse, ut, etiam si verbis contrarium prae se ferat, re tamen principem dominum faciat civium, ad quem sustentandum, ad cuius libidines explendas, ad cuius potentiam augendam opes viresque civium conferri atque absumi, civesque ipsos non sua ipsorum causa, sed ut principi satis facere possint, prosperis rebus uti velit. Atqui plurimum interest, cuius necessitatibus inserviat civitas, suisne, an principis: quia, si suis, non potest non ad maximum florem evahi; sin principis, quid aliud, quam, quum omnia incerta, fluxa, mutabilia sint, serius ocuis gravi vicissitudine e specioso, sed inani splendore, labantibus fundamentis, concidet atque corruet? qualia quum alia exstiterunt, tum nostra memoria illustrissimum exemplum fractae Gallorum immensae potentiae. Quam longe alia mente Saxoniae res administravit Rex noster, qui praeterquam quod ad dignitatem domus regiae tuendam necessarium esset, nihil sibi dari laborarique, non suas opes, suam potentiam ex molestia,

miseria, sudore, sanguine civium incrementum capere, sed potius ipse, quo civibus bene esset, assidue providere curare, laborare voluit; qui non inertiae, luxuriae, libidinibus, nugis se dedere regium existimavit, sed, gnarus peritusque rerum gerendarum, ipse summam rerum moderari, iustitiam strenue tueri, instituta salubria sustentare, legibus sapientissimis libertatem civium augere potius quam
14coercere, indefessaque cura, quod prodesse civibus posset, effectum dare; tempus denique a reipublicae administratione vacuum honestissimis litterarum studiis impendere, hoc rege dignum officium esse iudicavit. Non habuit autem satis, curam rebus gerendis atque gubernandis assiduam adhibere, sed egit etiam illud, ut et ea curaret, quae curari ab administratore rei publicae par est, et eo modo, quo curari debent. Quorum illud, vitam suam rei publicae totam dicare, valde laudabile est, meritoque praeclarum propensi in cives animi voluntatisque documentum habetur: hoc vero, recte id facere, prudentiae est et sapientiae, sine qua studium etiam diligentissimum inutile, quin nonnunquam etiam noxium est. Et REX quidem noster, auditores, qua sapientia rempublicam gesserit, experientia nos docuit: qui in hoc quoque genere, ut in caeteris rebus omnibus, non quid dicerent ii, qui sibi omnia rectius quam alii perspicere videntur, sed quid vere bonum atque utile esset spectans, principemque non dominum esse civitatis, sed moderatorem intelligens, hoc potissimum egit, ut quae impedimento esse rectis honestisque civium studiis viderentur, removeret aut arceret, non etiam ut iuberet multa fieri atque
15imperaret. Quo factum est, ut libertate, si quisquam alius Germaniae populus, Saxones maxima gaudeant. Nam quid cuique negotio tractando utile et accommodatum sit, ii tantum ipsi, qui id negotium tractant, optime perspiciunt: quibus imperare, quid facere debeant, nihil est nisi et negotium ipsum impedire, et qui ei operam dant, servorum instar habere. Illud tantum principis est, cavere, ne abutatur quis libertate sua, aut alii aliis officiant. Quod bene perspectum habens REX noster, esse liberalis, cives liberos habens, quam liberalitatem, quae nulla esset, ia-

ctare, civibus servis, maluit. Quae Eius virtus quoniam in non faciendo posita est, apud indoctam multitudinem in obscuro latet: sed qui sapiunt, tanto eam magis venerantur, quod aliena ab omni laudis ambitione, omnium maxime hunc, quo gaudemus, florentissimum civitatis statum produxit. Duobus vel tribus utar, quae maxime in promptu sunt, exemplis. Nihil tam multum ad opulentiam civitatum artiumque cultus conferre, quam mercaturae negotia, inter omnes constat. Quae quo magis libera sunt vectigalium exactione, caeterisque, quibus hic illic obnoxia sunt impeditionibus et vexationibus, eo acrius fervent, eo felicius exercentur, eo plus inde in universam civitatem emolumenti et prosperitatis diffunditur. Ac videte Saxoniam, regionem minime amplam, nullo mari conterminam, 16 nullosque portus habentem, non nisi uno amne navigabili divisam, quantopere non floreat solum mercatorum mercimoniorumque celebritate, sed superet etiam longe civitates alias, omnibus mercaturae opportunitatibus instructissimas, eo, quod libertas apud nos huic negotiorum generi summa non verbis, sed re concessa est. Deinde quid litterarum studia dicam, quibus ut semper excelluit, ita nunc maxime excellit patria nostra, sic, ut quum omnes etiam infimi loci cives multo sint quam in aliis Germaniae partibus cultiores, tum eminentium in omni genere doctrinae hominum, eorumque non aliunde accersitorum, sed apud nos natorum atque educatorum, ea et copia sit et claritas, ut non modo vicinae gentes, sed etiam remotissimae ab nobis sibi artium doctores mitti rogent, litterarumque lumen e Saxonia per omnem terrarum orbem dispergi videamus. Atqui huius quoque rei haec maxima est et potissima causa, quod litterarum doctrinarumque tractatio ipsorum, qui eas tractant, arbitrio iudicioque permissa est, neque aut quomodo litteris operam dare debeant, iis praescribitur, aut alia imponuntur a studiis litterarum alienissima, ac tempus, otium, et animi alacritatem eripientia negotia, sed qui navam atque utilem litteris operam praestiterint, quacumque id ip- 17 sis ratione visum fuerit, ad munera evehuntur, praemiisque et honoribus excitantur atque ornantur. Eadem mo-

deratione REX noster et circa sacra et in ordinibus ad comitia convocandis usus est: quumque everso ac deleto pristino imperii Germanici statu e quorundam opinione nihil obstaret, quin, si vellet, et comitiorum morem abrogaret, et Protestantium atque Catholicorum iura rationesque confunderet, nihil istorum fecit, sed, ut fas erat, et comitiorum ius salvum servavit, cum liberis civibus de republica consultare, quam imperare servis malens, neque sacrorum religiones et quo quique modo deum colendum crederent, ab rege curandum esse, sed hoc regis esse iudicavit, iura, quae quique haberent, ut sancta atque illaesa starent, efficere. Ita REX noster, libertatem civibus negotiisque eorum summam concedens, dum non fecit id, quod facere regem non convenit, illud, quod est regis officium, fecit.

Atque ex hac ipsa re etiam illud consequi vidimus, ut eo modo, quo deceret, faceret officium suum. Est enim quaedam quasi iuvenilis regnandi ratio, ex laudabili illa fortasse voluntate orta, sed inconsulta et parum prudens, quae, nihil rerum humanarum ab omni parte perfectum esse videns, dum omnia, quae vitiosa videntur, simul emendare cupit, semper novis rebus studet, leges legibus, instituta institutis cumulans, tentans omnia, tentataque rursum relinquens, et quae modo constituta erant, identidem mutans ac refingens: unde quid aliud potest, quam inconstantia quaedam, ac denique ingens rerum omnium confusio ac perturbatio nasci, quae tanto maior est ac perniciosior, quum non ipse princeps, sed nomine eius aliam civitatis partem alii, suo quisque arbitrato, et inter se dissidentes ac repugnantia iubentes, administrant. Non istam nos nostro in REGE, cives, levitatem deprehendimus: qui non solum, quod Ipse cunctis rebus praeest, declinavit repugnantiam illam decretorum, sed etiam, quod Se cautissimum in novando gessit, omnia illa et incommoda et damna evitavit, quae cum ista novandi libidine coniuncta sunt. Atque hac quoque in re iure admiramur simul et sapientiam Eius, et animi magnitudinem, qui dum illud efficeret, quod bonum atque utile cognovisset, sprevit inanem gloriam, quam novis rebus facillime licebat

adipisci, maluitque vel reprehendi a quibusdam, quod nimis tenax veterum institutorum esset. Etenim mutare quid facillimum est; difficillimum vero, quoniam nihil in civitate seorsum constat, sed omnia omnibus cohaerent et veluti concreta sunt, ita mutare, ut quis plus corrigat, quam corrumpat; plus condat, quam evertat. Quod Ille probe intelligens, periti medici¹⁹ instar, non urendo et secando etiam sincera laedere, sed lente paullatimque adhibenda medela, certius, quam celerius; in universae civitatis utilitatem, quam in partium alius commodum, alius detrimentum; in omne aevum, quam in aliquot annos mensesve prodesse maluit. Sed quid haec memoro, auditores? Maiora habemus, multoque illustriora, quae Ille dedit suae animi magnitudinis documenta. Nonne Hic ante hos septem et viginti annos regnum Poloniae, ultro Ipsi oblatum, detrectavit? Nonne, quum certatim principes Germaniae Gallorum tyranni favorem et clementiam ambirent, aliique alias sibi provincias dari gauderent, propemodum solus et dignitatem suam conservavit, et ditescere discerpto imperio Germanico, cui non semel Caesaris vice cum laude praefuisset, a Se alienum iudicavit? Nonne Ille neque regis nomen, neque ducatum Varsoviae, nisi coactus et tum suscepit, quum per Germanicorum principum discordiam Gallus in Germania tantum non nomen imperatoris haberet? Quo factum, ut ipse ille iuris omnis contemptor, qui contumeliosissime regibus insultare consueverat, Hunc tamen attractare non sit ausus. Tanta est enim verae virtutis maiestas, ut etiam quibus nihil aliud sanctum est, violare eam vereantur. Quid? an illa commemorem tempora, quibus nihil nec nobis, neque Ipsi innocentissimo REGI tristius potuit atque acerbius evenire? etsi nulla re²⁰ magis atque apertius, quam illa sorte cum dignitate perferenda, quanta Eius fortitudo, quanta constantia, quanta animi magnitudo atque excelsitas esset, cognovimus. Absit vero, ut hunc faustissimum diem illorum recordatione fuscemus, quorum speramus non esse umquam posthac similia visuram Germaniam, praesertim non modo

pace restituta firmataque concordia, sed nova etiam sancta et gravissima talis religione foederis, quale non existit antehac ulla hominum memoria. Illud vero reputate atque in mentem revocate, ut reversus in patriam, et, quemadmodum meruerat, tanta cum exultatione a civibus suis exceptus, quanta nulla unquam alibi audita fuit, non propter amissa demittens animum, sed relictis tanto diligentiore curam impendens, nihil aliud per totum illud tempus quam patriae crudelissime disceptatae vulnera sanare, tantarumque, quibus afflicta iacebat, cladum oblivionem adducere studuerit: id quod eo fecit successu, ut pene incredibile sit, regionem tot proeliis vastatam, a tantis exercitibus exhaustam, tot imperatis tributis enervatam, fertilissimis denique provinciis spoliata non modo salvam ex tam immensis malis emersisse, sed omni genere prosperitatis florentissimam conspici. Talem igitur, tamque eximum REGEM quis est nostrum, cives, qui non
 21 divino nobis beneficio datum, divino beneficio per integrum dimidium saeculi conservatum, sibi, Saxoniae, Germaniae gratuletur? qui non tanta Eius merita, tamque excelsam virtutem grata memoria recordari sanctissimum habeat pietatis officium? qui non ex intimo pectore vota pro Eius salute atque incolumitate faciat, Eumque quam diutissime Saxoniae praeesse etiam atque etiam exoptet? Nec soli nos, cives, quibus usque adhuc sub Eius regno beatis vivere contigit, hunc laetissimum diem celebramus: illi, illi quoque, non sine lacrimis, participes huius laetitiae sunt, qui multos per annos una nobiscum iustam, moderatum, lenem, clementem Eius imperium experti, nunc divisi a nobis, non solum tacita recordatione Illius, quem tam diu patris instar beneficium habuerunt, sed etiam, ut audimus, publicis testificationibus, comprobante pios animorum sensus honesta Regis, cui nunc parent, liberalitate, Saxones se esse profitentur.

Quin tu quoque ades, PRINCEPS SERENISSIME, praesentiaque tua ut insperatum, ita longe maximum adiicis laetitiae nostrae cumulum. Quid enim? Hoc ipso tempore, quo toti sumus in celebrandis REGIS nostri benefi-

ciis, novum Ille hoc nobis, tantumque, quo non poterat maius, amoris sui documentum dedit, quum Te ad nos misit suae erga nos voluntatis testem atque interpretem. **22** Salve ergo, SERENISSIME PRINCEPS, salve etiam atque etiam, qui spes es patriae, in quem omnium intuentur oculi, quem huius REGIS nostri similem fore virtute, similem meritis, similem civium amore, fortuna prospere, anguramur atque exoptamus. Vides huius urbis, huius Academiae cives, quo studio, quo fervore animorum ad hunc diem celebrandum convenerint; vides, quam magnum, quam sanctum, quam divinum sit, regem esse bonum et amantem populi sui; vides, amor populi in regem quam dulce, quam certum, quam verum sit bene meritorum praemium. Haereat indelebilis in animo Tuo huius diei memoria; elucescat in Te quoque, magnum Patru Tui exemplum sequuto, generosa Saxoniorum principum virtus; rata fiat, cui faustum haec dies omen ostendit, dulcissima spes nostra; maneat etiam haec Tua in nos, quam contigisse nobis grati laetamur, benignissima voluntas. Illi vero, cui Te ad nos misso summas agimus gratias, REGI nostro, eos Te huius urbis cives invenisse nuncia, qui fide et amore in REGEM primi esse Saxonum, si possint, allaborent.

At, o deus optime maxime, qui res humanas aeternis legibus gubernas, te pia mente veneramur, gratesque tibi agimus, quod hunc nobis REGEM dedisti, et ad hunc usque diem conservasti, qui pietate, iustitia, aequitate, **23** sapientia dignus gloria maiorum, utilis civibus, vere pater patriae, lumen aeternum nominis Saxonici, honos et immortale decus Germaniae non aequalium tantum vocibus celebratur, sed magis apud posteritatem, severam et incorruptam meritorum iudicem, inclarescet et nobilitabitur. Tu Eum, recte praeclareque factorum conscientia, civiumque unanimi gaudio et cumulatissimis gratulationibus exhilaratum, una cum dilectissima CONIVGE atque universa DOMO AVGVSTA huius faustissimae diei laetitia penitus atque ex animo perfrui concede; tu Eum diu adhuc

incolumem valentemque huic populo, ardentissimis te precibus oranti, praeesse, praemiisque virtutis iis ornari iube, quibus adversorum omnis memoria oblitteretur ac deleatur; tu fac, ut videat hoc clarum ab antiquissimis temporibus nomen Saxonum sua virtute, suo exemplo in dies illustrius exsplendescere, quique mori pro REGE aut patria non recusant, primam numerare laudum, Saxones esse.

CARMEN SAECVLARE
ACADEMIAE LIPSIENSIS
IN SOLEMNIBVS
PER
MARTINVM LVTHERVVM
EMENDATORVM
ANTE ANNOS CCC
SACRORVM
PRID. CAL. NOV. A. MDCCCXVII.

Exacta cedunt saecula saeculis,
Lenteque longis doctior artibus
Formas repertorum et vetustam
Lapsa dies faciem refingit,

Donec calentes insolito viri
Fervore tritae linquere iter viae
Audent, et enisi negatis
Ardua tramitibus capessunt,

Victrixque nullis tacta timoribus
Virtus, quod orsa est, impigra perficit,
Nec, si quid aeternum priores
Crediderant, rapido veretur

Prosternere ictu: sicut ubi inferas
 Rumpens cavernas ignipotens vapor
 Radice nunc montes revulsa
 Tartareas rapit in lacunas,

Nunc et profundo Tethyos ab salo
 Non ante visas excitat insulas
 Et regna longinquis ab oris
 Innumero populo petenda.

Orbem regebant error et impotens
 Servire caeco credulitas duci,
 Mentisque torpentes pavore
 Dira superstitio tenebat,

Clavis severae scilicet aucupans
 Nutus, et ostensum arbitrium viae
 Ducentis ad sedes beatas
 Et placidam requiem piorum,

Vt quisque larga dona ferens manu
 Placasset iram, sancte deus, tuam,
 Immune vindictae nefando
 Flagitium pretio rependens.

Sic imperator fraudis, amor lucri,
 Audax scelestas texere machinas,
 Et regis aeterni timendum
 Irreverens temerare nomen,

Formidolosis religionibus
 Miscere cuncta, atque in vitium integram
 Mutare virtutem, probroque
 Reppererat meruisse laudem,

Quum vir vigenti robore pervicax,
 Islebiae quem moenia viderant
 Nascentem, avaras unus arces
 Perculit, intrepidaque dextra

Edicta summi pontificis rogo
 Delenda tradens, tollere liberam
 Cervicem ad ingentes triumphos
 Aligero properavit ausu:

Quos ipsa summi magna manus dēi
 Praenunciarat, sospitis ad latus
 Haerentem amicum inter procellas
 Fulmine percutiens corusco.

Hoc ille fidens omine nec truce[m]
 Vultum minantis Caesaris, aut graves
 Expavit iras, nec tremendis
 Atria militibus repleta,

Maior periclis: quodque animo semel
 Staret probatum, fortiter abnuit
 Mutare, testatus supremi
 Cuncta tuentem oculum Tonantis.

Pervicit alti flammea pectoris
 Virtus, et omnis dum populus stupet,
 Insurgit experrecta somno,
 Fervidiorque volat cupido

Late sonantem vocis imaginem
 Audire, quaqua didita veritas
 Dispellat atrae noctis umbras,
 Aetheriumque diem reducat.

Vrget potentes consilio viri:
 Vrget Melanchthon, atque operi sagax
 Hortator adiutorque, leni
 Mitigat alloquio tumentes.

Nec segnis adstat fortis eques, fero
 Promptas duello proiciens minas,
 Vlricus, iracunda velox
 Ore manumque vibrare tela.

Omnes in annos tu quoque posteris
 Clarus fereris, pectore qui pio,
 Calvine, defensor fidelis
 Exstiteris monitorque recti,

Late patentem qua Rhodanus virens
 Linqvit Lemanum, et verticibus sacris
 Vicina tangens Alpīs astra
 Luce nivis rosea refulget.

Nec tu peribis, sponte tua iugi
 Eversor aspri, pro patria simul
 Et pro fide, Zvingli, sacrata
 Inclitæ oppetiisse mortem,

Dicende cunctis plurime, sed magis
 Illis, amoenas ad vitrei lacus
 Oras sub antiquo beati
 Qui Turico posuere sedem.

Teque, o per orbem qui Sapiens clues,
 Regnator almae Saxoniae, satis
 Quis laudet, aeterna decorum
 Fronde caput, meritaque lauru?

Tu rebus ingens praesidium et bonus
 Tutor, dolosas fortiter hostium
 Arcere rixas promptus, idem
 Perfugium et columen timenti

Vnde et videndi vera ducem piam,
 Matremque purae lucis, et impigram
 Virtutis altricem severae
 Saxoniam datur orbe toto

Audire, iustis ac sapientibus
 Regnata semper principibus loca,
 Hei magna iam divulgata membra
 Discidiis populo gemendis,

Qui nunc amica concelebrat prece
 Sollemne sacrum et laetificum diem,
 Felix paterni Regis aequis
 Legibus imperioque miti,

Ni te careret, nobilis urbium,
 Quae cara quondam Pieridum choro,
 Nunc orba, Vitemberga, magni
 Principium meritis Lutheri,

Coetu virorum per tria saecula
 Haerede laudis sedibus a sacris
 Pulso, relictum triste moeres
 Opprobrium, taciturna templa.

Sic fata mutant: nunc mala; mox erit,
 Vt leniorem spiritus auram agat.
 Tu sola, virtus, firma temnis
 Vim metuisse ruentis aevi.

Hinc et Luthero saecla per omnia
Stabant honores, qui refugam prius
Terris relictis veritatem
E superis revocavit oris,

Ac nosse summi iussa dedit dei,
Et corda diris relligionibus
Exsolvit, ardentem deserto
Strenuus ore facem ministrans:

Qualis Prometheus, Iapeti genus,
Duram misertus sortem hominum, cava
Narthece conclusisse ademptum
Caelitibus memoratur ignem,

Gentique fictae de fragili luto
Donasse, noctis diffugium nigrae,
Brumaeque solamen rigentis,
Auxiliumque potens laborum:

Quo iuta vitam vis animi cata,
Sollers repertrix multiplicis viae,
Formavit agrestem citatim
Artibus ingenuoque cultu.

FRIDERICO AVGVSTO
R E G I
IN
SOLEMNIBVS
REGNI
SEMISAEVVLARIBVS
D. XX. SEPT. A. MDLCCCXVIII.
ACADEMIA LIPSIENSIS.

Nunc insolentes carminibus modos,
O magna passi, discite, Saxones,
Aptare, mutatisque chordis
Laeticam celebrate lucem.

Non ulla nobis candidior dies
Emersit undis Tethyos, aut magis
Bevit exoptata multis
Cum precibus populum fidelem,

Finire lustrum quem decimum favens
Fortuna sivit non sine numine
Ab optimi Regis cupitis
Auspiciis intoque regno.

Iamserta templis addere, iam decet
 Aras ad omnes et populum et patres
 Sincera gratantes dicare
 Vota, pii monumentum amoris.

Iam fas puellarum ac iuvenum choros
 Versare gyris mobilibus pedem,
 Donec redux Aurora pellet
 Noctis equos nimium fugaces.

Tuque, o Thyoneu, laetitiae dator,
 Adsis, virenti tempora pampino
 Cinctus, resignatumque largis
 Funde cadis veterem liquorem.

Tu pectus imples igne sacro, pater:
 Tu verba monstras promere libera:
 Tu das amicam oblivionem,
 Thyriger, uberius remiscens

Crateras: est quum non meminisse quid
 Conducit, et quae facta semel retro
 Flecti negatum, corrigenda
 Linquere post alio sub astro.

Adsis, precamur, dulceque porrigas
 Solamen, ut qua mente decet sacram
 Lucem colamus, quique in imis
 Vivit amor residens medullis,

Grato rependat pectore debitum
 Hvic, qui iuventam dum viridem dabat
 Aetas, decoram quum senecta
 Canitiem tulit, usque constans,

Verusque dicti, et propositi tenax,
Iustusque, sanctusque, et reverens dei,
Et mitis, et clemens, et aequus,
Res populi patriaeque rexit;

Quidquid secundis, quidquid et asperis
Fortuna rebus perfida luderet,
Non degener magnorum avorum,
Debiliove animo repertus.

Nil est, benignus quod populis deus
Donare maius rege bono queat,
Cui mens paterni plena amoris
Et sapiens, et amica recti,

Quid prosit illis, quos sibi creditos
Sceptro tuetur, pervigili videt
Cura, neque amittit peritas
Temporibus dubiis habenas.

Non ille multo sanguine fortium
Emptam laborat quaerere lauream,
Nec gaudet indefessus urbes
Arvaque finitimis adempta

Iunxisse regno, scilicet omnium,
Quascumque sacro lumine sol videt,
Si regnet orarum, haud futurus
Nobilior meliorve civis

Illic, ubi omnes, summus et infimus,
Vt cuique filum ruperit Atropos,
Aequantur, et iudex severa
Fronte sedet taciturnus umbris,

In purpuratos praecipue gravis
 Vindex tyrannos, si quis inutilis
 Turpive ludo segnis aevum aut
 Saevitia metuendus egit.

O REX, Tuorum perpetuum decus
 Certumque sidus, TE generosius
 Enisa virtus, TE perenni
 Segregat his pietas corona.

Tv, quae vetustis, quaeque recentibus
 Inflicta bellis vulnera sensimus,
 Sanare nec duram parasti,
 Nec dubiam sapiens medelam;

Tv pacis almae muneribus frui
 Permittis, et non imminuis gravi
 Censu, quod ab duro labore
 Reddit ager tenuis colono;

Per TE moratorum osor ab ultimis
 Mercator oris Hesperias vehens
 Commutat Eoasque merces
 Plurimus, emporisque acervat.

Vnde et, remotis obſtibus, labens
 Intravit urbes Copia, libero
 Cornu refundens, quidquid orbis
 Gignit opum variatus horis.

Idem eruditos erigis artium
 Cultus, et insignem ingenio virum
 Turba levi secernis, ipse
 Pieridum bene notus hortis.

Quo fonte mentes fervidior rigat
 Septos cupido rumpere tramites,
 Famaeque cuncto dictus orbe,
 Indolis ingenuo lepore

Saxo renidet gloria gentium
 Germanicarum et praecipuum decus,
 Ipsae relicto quem sequutae
 Vmbrifero Helicone Musae

Iunxere sedem perpetuam, et sacro
 Nunc ore certant incolumem Tuam,
 O REX, fidem, praesensque longos
 Dicere praesidium per annos,

„Salve,“ canentes, „optime principum,
 Qui Iustus omni, qui Patriae pater
 Vocandus aevo, per minorum
 Nobilis historias ferere.

Te qui gubernat res hominum deus
 Fidis, precamur, Saxonibus Tuis
 Praeesse det seros in annos
 Nestorea validum senecta.

Nestor quoque annis ac sapientia
 Vicisse claret Graiugenum duces:
 Sed sortis haud expers iniquae,
 Antilocho doluit perempto.

Quod si nitentes iam brevior Tua
 Per regna fluctus Albis agit pater,
 Vel terminos moestae reflexos
 Salaides gemuere nymphae;

362 FRID. AVG. REGI IN SOLEMNIBVS SEMISAECVLARIBVS.

**Illique multi, saeva necessitas
Quos separavit civibus a Tuis,
Quondam Tuos, si lacrimantes
Lene Tuum meminere regnum :**

**At librat aequa dissimiles deus
In lance sortes, huic cumulans opes,
Illum volens virtute celsum
Spernere res hominum caducas.**

**Non regna regem, nec faciunt opes:
Rex est, sub alto pectore regia
Cui mens, secundis non abutens,
Nec trepidis timefacta rebus,**

**Quae sint saluti civibus, unice
Gestit paravisse: hunc sua nobilem
Miratur aetas; hunc superstes
Gloria post obitum sequetur.“**

INDEX GRAECVS.

A

Ἄβας 206.
 ἄβρος 229. seq.
 ἄβαν 230. seqq.
 ἀγαπῶμενος, ἀγαπωμένη 234.
 Ἄγανη 191.
 Ἀγήνωρ 204.
 Ἀγλαΐη 189.
 Ἄγριος 193.
 Ἀγγινότη 205.
 Ἀγγίσης 193.
 Ἀελλῶ 179.
 Ἀθῆναι 212.
 Ἀθήνη 190.
 Αἰακός 192.
 Αἴας 193.
 Αἰγαῖον ὄρος 188.
 Αἰγιαλεὺς 203.
 Αἰγίμιος 214.
 Αἴγινα 192. 199.
 Αἴγυπτος 205.
 Αἴθης 186.
 Αἰήτης 191.
 Αἰθῆρ 173.
 Αἰνείας 193.
 Αἴσων 192.
 Αἰτωλία 214.
 Ἀκρίσιος 206.

Ἀλενάδης 202.
 Ἀλκαῖος 209.
 Ἀλκινόη 210.
 Ἀλκμήνη 191.
 Ἀμισαδάρος 182.
 Ἀμφιτρίτη 191.
 Ἀμφιτρούων 191. 209.
 Ἀναξῶ 209.
 Ἀνδραίμων 214.
 Ἀνδρομέδη 208.
 Ἀντίοχος 210. 214.
 Ἀπις 204.
 Ἀπόλλων 189.
 Ἀπολλωνίς 299. seqq.
 Ἀργεία 213.
 Ἄργης 176.
 Ἄργος regio 214. vir 201. 202.
 Ἄρης 190.
 Ἀριαδνη 191.
 Ἄριμοι 181.
 Ἀρισταῖος 191.
 Ἀριστόδημος 213.
 Ἀριστόμαχος 213.
 Ἀρμονία 190.
 Ἀρπυιαί 179.
 Ἄρτεμις 189.
 Ἀστερίη 185.
 Ἀστραῖος 184.

HERM. OP. II.

A a

Ἄστυδάμεια 210.
 Ἄσωπός 204.
 Ἄσωπῶ 289.
 Ἄτλας 186.
 Ἄτρεὺς 211.
 Ἄτροπος 188.
 Αὐτεσίαν 214.
 Αὐτονόη 191.
 ἄφρεις 257.
 ἀφροσύς 256. seq.
 Ἀφροδίτη 177.
 Ἀχελῷς 289. 301. 304.
 Ἀχελῶς 304.
 Ἀχιλλεύς 193.

B

βαρυδότεια, βαρυδάτωρ 241.
 βάσις 108.
 Βελλεροφόντης 182.
 Βήλος 205.
 Βίη 185.
 Βορυσθενίς 299. seqq. 304.
 Βριάρεως 176.
 Βρόντης 176.
 Βροτός 173.
 Βύβλιοι 202.

Γ

Γαῖα 172.
 Γαιήοχος 186.
 Γηρουνεύς 181.
 Γίγαντες 177.
 Γοργόνες 180.
 Γοργοφόνη 209.
 Γουνεύς 210.
 Γραῖαι 179.
 Γύγης 176.
 Γύης 176.

Δ

Δαναή 206.
 Δαναός 205.
 Δαῖμος 190.
 Δεινῶ 180.
 δενδρώτις 335.
 Δῆλος 189.
 Δημήτηρ 185.

Δίκη 188.
 Δίκτυς 207.
 δῖος 242.
 Διώνυσος 190.
 δοτήρ 240.
 δοτήρ 240.
 Δύμας 214.
 Δωρίς 179.
 δάτωρ 240.

E

Ελλειθνια 190.
 εἶμι praesens 326.
 Εἰρήνη 188.
 Ἐκάτη 185.
 Ἐκατογχειρες 176.
 Ἐκβάσος 204.
 ἐκπορεῖν 328.
 ἐκφράσσειν 63.
 Ἐλειος 209.
 Ἐλεος 212.
 Ἐλλάς 212.
 Ἐνδηΐς 192.
 Ἐνναίλιος 180.
 Ἐννώ 180.
 Ἐπαφος 202.
 Ἐπίδανρος 204.
 Ἐπιμηθεύς 188.
 Ἐπιπαόρη 289.
 Ἐρεβος 173.
 Ἐρίβοια 192.
 Ἐριννύες 177.
 Ἐρμῆς 190.
 Ἐρος 172.
 ἔσμος 250. seqq.
 Ἐρύθεια 181.
 Εὐάδνη 204.
 Εὐήρης 210.
 Εὐνομή 188.
 Εὐρύαλη 180.
 Εὐρυβίη 179.
 Εὐρυδίκη 206.
 Εὐρυνόμη 189.
 Εὐρυσθενίς 214.
 Εὐρυσθεύς 210.
 Εὐρυτίων 181.

Εὐφροσύνη 189.
 Ἐχμος 213.
 Ἐχιδνα 181.
 Ἐχινάδες 210.

Z

Ζεὺς 186. 187.
 Ζήλος 184.

H

Ἥβη 190.
 ἠγάθεος 242.
 Ἥλειοι 211.
 Ἥλεκτρον 179.
 Ἥλεκτρων 209.
 Ἥλιος 183.
 Ἥλις 214.
 Ἥμαθίων 192.
 Ἥμερον 173.
 Ἥρακλῆς 181. 186. 210.
 Ἥρα 186.
 Ἥφαιστος 190.
 Ἥως 183.

Θ

Θαλίη 189.
 Θάυμας 179.
 Θεία 175.
 θεῖος 242.
 Θεξίων 204.
 Θέμις 175.
 Θήβη 192.
 Θυέστης 211.

I

Ἰαπετός 175.
 Ἰάσιος 191.
 Ἰάσιων 192.
 Ἰασος 204.
 Ἰδη 193.
 Ἰδυία 191.
 Ἰναγος 201.
 Ἰνώ 191.
 Ἰόλαος 182.
 Ἰόλη 213.
 Ἰπποδάμεια 207.

Ἰπποθόη 210.
 Ἰππονομία 209.
 Ἰππότης 214.
 Ἴρις 179.
 Ἰσημνη 204.
 Ἰστίη 185.
 Ἰφικλῆς 212.
 Ἰώ 201. 202.
 Ἰωλπος 192.

K

Κάδμος 190.
 καθαιρέσθαι 335.
 Καλλιρόη 181.
 Καλυψώ 193.
 Κασσιόπεια 208.
 Κέρβερος 182.
 Κέφαλος 192.
 Κητώ 179.
 Κηΰξ 212.
 Κηφεύς 208.
 Κηφισσώ 299. 303.
 Κίρκη 191.
 Κλυμένη 186.
 Κλωθώ 188.
 Κοῖος 175.
 Κομαιθώ 210.
 Κοττος 176.
 Κουρήτες 202.
 Κράτος 185.
 Κρεσφόντης 214.
 Κρέων 212.
 Κρήτη 188.
 Κρίασος 204.
 Κρίος 175.
 Κρόνος 176. 177.
 κύειν 335.
 Κύθηρα 177.
 Κύκλωπες 176.
 Κυμοπόλεια 188.
 Κύπρος 178.

A

Λακεδαίμων 206.
 Λαονόμη 209.
 Λάρισσα 208.

Λατίνος 193.
Λάγεις 188.
Λεραία ὕδρα 182.
Λήμον 190.
Λητώ 185.
λίαν 231.
Λιβύη 203.
Λικύμνιος 210.
Λοκρίς 213.
Λοκία 206.
Λυκος 188.
Λυσιδίχη 210.

M

μάειν 175.
Μαίη 190.
μάλα 233.
Μαντίνειος 206.
Μαραθῶν 213.
Μεγαπένθης 209.
Μέδουσα 180.
Μελία 203.
Μέλια νύμφαι 177.
μέλισσα mel 256.
Μέμων 192.
Μέμφις 203.
Μενοίτιος 188.
Μεσσηνή 214.
Μήδεια 191.
Μήδειος 192.
Μηκωνή 188.
Μήστωρ 209.
Μήτηρ 188.
Μιδέα 210.
Μίδεια 209.
Μίνως 191.
Μνημοσύνη 175.
Μοίρα 178. 188.
Μούσαι 189.
Μυκήνη 209.

N

Ναύπακτος 213.
Ναυσίθοος 193.
Ναυσίνοος 193.
Νήαιρα 204.

Νέδα 295.
Νειλώ 289.
Νεμειάιος λέων 183.
Νηρεὺς 178.
Νίκη 185.
Νικίππη 210.
Νιόβη 204.
Νύξ 173.

O

Ὀδυσσεὺς 193.
Οἰνόμαος 207.
Ὄξύλος 214.
Ὀρέστης 213.
Ὀρθρος 181.
Ὀρτυγίη 189.
ὄς et ὄστις 53. seqq.
Ὀυρανός 174.

Π

Παιάν 189.
Πακτωλῶ 290.
Πάλλας 184.
Πάμφυλος 214.
Παρνησσός 188.
Πείρανθος 204.
Πείρασος 204.
πέλαγος 174.
Πελασγιάτις 208.
Πελασγοὶ 174.
Πελλας 192.
Πέλοψ 210.
Περίβοια 192.
Περίρηης 209.
Περιμήδη 212.
Περσεὺς 180. 206.
Περσηΐς 191.
Πέρσης 184.
Πεφρηδῶ 180.
Πήγασος 180.
Πηλεὺς 192.
Πεζῶδαρος 182.
Πλοῦτος 191.
Πολυδέκτης 207.
Πολύδαρος 191.
Πολύξενος 211.
ποντίζειν 174.

πόντος 174. 178.
 Ποσειδάων 186.
 Προίτος 206.
 Προκλής 214.
 Προμηθεύς 188.
 Πτερέλαος 210.
 Πυθώ 188.

P

Ρεία 175.
 Ροδία 289.
 Ρόδος 213.

Σ

Σελήνη 183.
 Σεμέλη 190. 191.
 Σέριφος 207.
 σημεῖον 108.
 Σθενώ 180.
 Σθένελος 209.
 Σκειρωνίδες πέτραι 213.
 σποράδην 134.
 Στερόπης 176.
 Στραμῶν 204.
 Στύξ 184.
 σύν κόροις τε καὶ κόραις 326.
 seqq.
 Συρία 202.
 Σφιγξ 183.
 σφόδρα 233.

T

Τάφιοι 210.
 τὲ 53. seqq.
 τέγγειν 221.
 Τελαμῶν 192. 193.
 τελεσιδαιτεία 240.
 Τελησσοῦς 204.
 Τελχίνες 204.
 Τελχίς 204.
 Τευμησσοῦς 204.
 Τευταμῖος 208.
 Τηθύς 176.
 τημεῖν 221.
 Τηλεβόαι 210.
 Τηλέγονος 202.

Τηλεδίκη 203.
 Τημενος 213.
 Τιθωνός 192.
 Τίρυνς 209.
 Τισαμενός 213.
 Τιτήνες 175. 176.
 Τληπόλεμος 213.
 Τραχίς 212.
 Τριτογένεια 190.
 Τρίτων 190.
 Τριτάνη 289.
 Τύραννος 210.
 Τυρσηνοὶ 193.
 Τυφάων 181.
 Τυφωεύς 188.

T

Υλλος 213.
 Ὑπερίων 175.
 Ὑπερμνήστρα 205.
 ὑποκυσαμένη 335.

Φ

Φαέθων 192.
 Φερσεφόνη 189.
 Φιλυρίδης 192.
 Φινεύς 208.
 Φίξ 183.
 Φόβος 190.
 Φοίβη 176.
 Φόρκυς 179.
 Φορωνεύς 203.
 Φοργία 210.
 Φύλας 214.
 Φῶκος 192.

X

Χάος 172.
 Χάριτες 189.
 Χείρων 192.
 Χερσιδάμας 210.
 Χίμαιρα 182.
 Χρόμιος 210.
 Χρυσάωρ 180.

Ψ

Ψαμάθη 192.

- Ω
 Ωγήν 174.
 Ωκαλία 206.
 Ωκεανίδες 183.
 Ωκεανός 174.
 Ωκυπέτη 179.
 Ωραι 188.

INDEX LATINVS.

A

- Aeschyli tempora 144. seqq.
 160. familia 155. statua 156.
 seq. itinera in Siciliam 147.
 149. seqq. Prometheus quando
 scriptus 146. Προμηθεύς
 πυρφόρος et πυρκαεύς 315.
 item Septem ad Thebas 147.
 Persae iterum in Sicilia acti
 150. Aeschylus actores ipse
 docuit 154. impietatis reus
 163. apud eum versus
 spurii 76. seqq. tetralogiae
 308. seqq. Ανκουργία 308.
 Ψυχαστασία 317. Danaides
 319. seqq.
 Aminias fraterne Aeschyli 166.
 attamen 269. seqq.

B

- Bentleii editio Terentii 263.
 seqq.

C

- Chorus cyclius 140. quadratus
 140. Laconistarum 140. tra-
 gicus ex quot personis 140.
 seqq. tragici chori incessus
 134. seq. chorus Aeschyli
 Eumenidum 124. seqq.
 Comparationes Homeri 40. seqq.

D

- Danaidum fabula 319. seqq.
 Draconis liber de metris 2. seqq.

E

- Epitriti 109.
 et tamen 269. seqq.
 Eumelus 298. seqq.
 Euphoriion Aeschyli f. 157.
 Euripides quando natus 145.
 161. eius tetralogiae 308.
 seq. 317. Αλκμαιωνίς 303.
 ex correptum 274. seqq.

F

- Faces Furiarum 142.
 Furiae multae 125. 132. cum
 facibus 142.

H

- Hesiodi mythologia 169. Theo-
 gonia 167.
 Historiae Graecae primordia
 195. seqq.
 Homeri mythologia 169.

I

- Ictus in repetitione verborum
 apud poetas Latinoſ 283.
 seqq.
 Ius fabula 203. seqq.

M

- Metaphorae ratio 255.

